ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA, Prior Cartusiæ.
VI Kalend. Mart. M. DCCC. XC.

IMPRIMATUR.

✝ DESIDERATUS-JOSEPH, Episc. Atrebat.,
Atrebat., Nonis Mart. M. DCCC. XC.

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITI

VOLUMEN SEXTUM

MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC XC

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM TERTIUM PROSEQUITUR

* JESU CHRISTI ANNUS 1358.

Innocentii PP. VI Ann. 6.	Ordin. Cartus. Ann. 275.	Joann. Birelli Pr. Cart. Ann. 13.

ECCLESIA CARTUSIÆ AVENIONENSIS DEDICATUR.

I. ANNUS Christi millesimus trecentesimus quinquagesimus octavus, Indictione undecima, exsurgit quo Dominus Papa Innocentius VI ecclesiam cartusiæ Avenionensis dedicari mandavit. Memoria hujus consecrationis pendet ad mausoleum ejusdem Innocentii (de quo inferius*), in nostra Villænovæ Domo positum :

* Ad ann. 1362.

« Noverint præsentes et futuri quod Sanctissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus sanctæ memoriæ Innocentius Papa sextus, natione Lemovicensis, fundator hujus monasterii, fecit consecrari hanc ecclesiam, ipso ibidem tunc præsente, una cum collegio S. Romanæ Ecclesiæ, per reverendissimum in Christo Patrem, dominum Guidonem de Bolonia, Dei gratia episcopum cardinalem ; ad honorem et memoriam

ANNUS 1358

Dei et Beatæ Mariæ virginis sanctique Joannis Baptistæ ac sancti Stephani proto-martyris, anno Domini 1358, et die 19 mensis Augusti, quæ est dies præcedens festum S. Bernardi. Concessitque omnibus et singulis Christi fidelibus, die consecrationis prædictæ devote ecclesiam ipsam visitantibus, qui sunt in statu gratiæ vel erunt, infra octo dies proxime sequentes, singulis annis perpetuo, per bullam patentem, septem annos et septem quadragenas dierum de vera Indulgentia. Etiam durantibus Octavis dictæ consecrationis, concessit omnibus ipsam devote visitantibus, pro qualibet die, tres annos et tres quadragenas dierum Indulgentiæ. Summa annorum et dierum prædictarum Indulgentiarum sunt : triginta et unus annus et 25 dies. »

Indulgentiæ in die dedicationis concessæ.

R. P. BIRELLUS A CONFESSIONIBUS COMITIS SABAUDIÆ,

II. Reverendum Patrem Joannem Birellum supra diximus multum valere apud Pontifices, Reges et Barones ejus temporis ; quos inter erat Amedeus, Sabaudiæ comes. De quo referunt quod cum Cartusiam iret, ut omnibus præsentibus et venturis insigne præberet exemplum reverentiæ in servis Dei ibidem morantibus, ipse et famuli ejus, primo statim introitu Deserti, arma sua posuerunt et ea pontis Custodi tradiderunt. Hujus rei postea conscripserunt Instrumentum, quia domini de Intermontibus simile quid facere nolebant. « Dictus Comes nihil agere præsumebat quam quod præfatus Cartusiæ Prior voluisset et mandaret : unde sæpius ei peccata sua confitebatur, ad Cartusiam usque veniendo, eumque suum patrem nominabat. Contigit autem quod una vice prædictus Prior, eidem Comiti quamdam peregrinationem arduam injungeret, prolixæque viæ, juxta statum suum. Cumque dictus Comes dictam peregrinationem peragere vellet, Comitissa ejus uxor graviter ferens, precibus quibus poterat, per literas dictum Priorem rogavit, quatenus dicto Comiti licentiam concederet equitandi ; sed ipse hoc concedere recusavit, allegans quod dictus Comes juvenis erat et fortis ad dictam peregrinationem peragendam. Ad hæc dicta Comitissa more muliebri indignata, eidem Priori sic rescripsit : Bene custodies te, quod non ibis cum ipso. Nihilominus ipsum semper mira

reverentia honoravit, et præcipuo affectu dilexit, in tantum huc *usque hodie* eum bonum et magnum vocet Priorem, *secundum idioma linguæ suæ*. Demum cum dictus Comes magna tristitia absorberetur, eo quod de dicta Comitissa prolem non haberet quæ sibi succederet in comitatu, timeretque ne ad manus extraneas deveniret, videlicet ad consortem sororis suæ, hoc ipsum dicto Priori studuit intimare; dictus vero Prior ipsum consolans fidere jussit. Postmodum vero Conventum suum convocans, ac causam dicti Comitis in medium proponens, orationem indixit, cum eis pariter orationi instans, pro prole eidem concedenda. Quid multa ? in brevi est exaudita oratio ejus, filiumque de uxore quæ sterilis putabatur suscepit, qui etiam Amedeus vocatus, nunc Comes Sabaudiæ est effectus. » Hucusque Chronicon Priorum Majoris Cartusiæ.

ANNUS 1358

cui prolem suis precibus obtinet.

III. « Autor vero hujus Chronici, ait noster Garnefeldt, quæritur et indagatur. Quis ille ? Si dixero me nescire : lector jure indignabitur. Quid ergo ? In tanta rerum caligine lumen aliquod poterit affulgere. Lumen ? Imo vero. Autorem igitur hujus opusculi constituo venerabilem P. Henricum Kalkar, Priorem cartusiæ Coloniensis ; idque ex triplici conjectura :

QUIS AUCTOR CHRONICI PRIORUM MAJ. CARTUSIÆ ?

In Notis ad prædictum Chronicon.

1. « Quia sub ipsius nomine in quibusdam bibliothecis Cartusianorum hic libellus reperitur, legitur, asservatur; ut videre licet in Provincia Franconiæ apud Buxianos Cartusienses.

2. « Quoniam floruit eo tempore, quo Chronicon est finitum, id est anno Domini 1367. Et quia sub Generale qui post hunc annum Ordini præfuit, gravissimo schismate Ecclesia et familia nostra scissa est, ipse ulterius noluit producere Chronicon inchoatum, sed posteris relinquere continuandum.

3. « Quandoquidem P. Kalkar sæpiuscule in Majori Cartusia interfuit Capitulo generali : facili negotio potuit adipisci ea quæ ad rem videbantur, tam ab ipso Monacho collectore (cujus in Præfatione mentionem facit) quam ab aliis Patribus in Historia nostra graviter versatis. Hæc mea est conjectura ; si quis aliter probaverit, non reluctor.

ANNUS 1358

Vide supra.

« Hinc animadvertere licet quo anno floruerit autor hujus Chronici. Nam dicit, *usque hodie,* hoc tempore quo hæc scribo, anno Domini 1370. Deinde observandum ex hoc loco, Autorem hunc non fuisse Gallum sed potius Germanum quam Sabaudum natione; quia dicit, *secundum idioma linguæ suæ :* ex quibus duobus argumentis probabilis conjectura exurgit quod Autor fuerit Pater Henricus Kalkar germanus, qui floruit eo tempore, anno 1370. »

PRIOR PARISIENSIS PROTECTOR ET VISITATOR COLLEGIORUM :

Boissiaci,

IV. Hoc anno, vel sequenti ut quidam volunt, dominus Godefridus de Boissyaco-sicco *(Boissy-le-Sec)* et ejus nepos Stephanus de Boissy, canonicus Laudunensis, Collegium Boissiacum in Parisiensi Academia condiderunt ; cui Boissiaci nomen indiderunt a nomine suo : et constituerunt Cancellarium ecclesiæ cathedralis Parisiensis et Priorem cartusiæ Vallis viridis, ambos simul aut unum eorum in alterius absentia, perpetuos Collatores, Protectores et Visitatores. Id constat tum ex Statutis hujus Collegii, tum ex Litteris fundationis in quibus hæc reperiuntur : « .... Item intentionis meæ est, ait Stephanus de Boissy, quod Executores ponant et ordinent dictos scholares, quandiu vitam duxerint in humanis, et principaliter illi onus executionis meæ gerent ; et quod non possint ponere alios quam de genere, exceptis tribus, ut supra. Et quando deficient illi de genere, ponentur illi de villa de Boissyaco primo. Et si non sint aliqui de villa, vel non velint esse, ponentur de Boissyaco-sicco, qui non sint nobiles, sed de humili plebe et pauperes, sicut nos et prædecessores nostri fuimus. Post mortem autem Executorum, ponentur et deponentur (si opus fuerit, quod absit), ut supra, per Cancellarium Ecclesiæ et studii Parisiensis, et Priorem Heremitarum Fratrum Ordinis Cartusiensis prope Parisius, vel alterum ipsorum, si ambo non maneant Parisius vel prope. Et quod ipsi non poterunt alios ponere quam de genere, si sint aliqui qui velint esse scholares ; vel de villa, si non sint aliqui de genere ; et si non sint aliqui de villa, de hamellis parochiæ ; et postmodum de villis propinquioribus villæ de Boissyaco, ut supra per ordinem. »

Bullæus, Histor. Univ. Paris. IV, 354.

ANNUS 1358

Capetarum Montis-acuti,

Insuper Prior cartusiæ Vallis viridis perpetuus est Visitator duorum aliorum civitatis Parisiensis collegiorum : quorum primum est illud celebre collegium Capetarum Montis Acuti, fundatum ab Ægidio archiepiscopo Rothomagensi anno 1314; cujus nepos Petrus de Montaigu, cardinalis episcopus Laudunensis, auxiliatricem operi manum porrexit. Magister Joannes Standone doctor theologus, dominus Villetæ et hujus gymnasii Principalis, anno 1480, ibidem instituit ordinem Pauperum Montis-Acuti, qui *Capetæ* dicti sunt eo quod ferant pallia olim Cappæ nuncupata. Disciplinæ vero scholasticæ, tum administrationis census hujus collegii summum imperium devolutum est in Priorem cartusiæ Parisiensis qui est Superior, Censor seu perpetuus Visitator, decreto inclyti domini Ludovici Gravillæi, Thalassiarchæ seu Admiralis Franciæ, instauratoris et benefactoris munificentissimi hujus collegii. Ad prædictum itaque Priorem spectat electio Principalis seu Patris Pauperum prædictorum Capetarum ; sicut et admittere eum qui cupiens fieri Capeta sese offert præfato Principali et aliis ad id negotii deputatis. Tunc enim, eorum nomine, ipse qui vult esse Capeta defert prædicto Patri Priori Visitatori hujusmodi scriptum : « Venerande Pater, apud nos in vestra familia vacat locus. Hic autem N*** recipi petens, idoneus et sufficiens de requisitis ad statum, interrogationibus factis, inventus est idoneus : vestrum de eo fiat beneplacitum. » Ubi vero Pater Visitator vidit et intellexit postulantem, eum cum simili scripto ad venerabilem ecclesiæ cathedralis Pœnitentiarium remittit; et si pariter conveniant et subscribant, postulans redit ad collegium et in illud admittitur.

Scotorum.

Secundum collegium, quod Communitas appellatur, fundatum est a R. Jacobo Bethunio, archiepiscopo Glasconensi in Scotia, et in Gallia pro regina Maria Stuart legato; qui cum ob hæresim sacrum Religionis nostræ cultum et studia literarum excludi a Scotia conspiceret, fundavit, anno 1603, ex suis facultatibus exiguam Communitatem Pauperum Scotorum Parisiis studentium ; quibus cum statutum tradidisset et

ANNUS 1358

regulam, et Priori cartusiæ Parisiensis directionem prædictæ Communitatis credidisset, voluit ut nulla alia persona vel quælibet Communitas posset eam quovis prætextu aut occasione prætendere. Hæc societas quæ nunc decem scholasticos continet, sita est in Universitate in vico *des Amandiers* prope sacram S. Genovefæ ædem ; regitur a Procuratore administratore qui studia, actiones et prædictorum scholasticorum mores perscrutatur, ut omnia postmodum referat ad Prædictum Priorem (qui pro libito instituit et absolvit dictum Procuratorem), ipsisque Collegiatis, vulgo *Boursiers*, providet de hospitio, lecto, supellectili et calefactione ; pro victu vero ac vestitu dat centum quinquaginta libras annuatim singulis, de quibus conveniunt simulque vivunt. »

DUX ALBERTUS DOMUS GEMNICENSIS FUNDATOR MORITUR.

V. Supremum obiit diem hoc anno illustrissimus Albertus, Domus Gemnicensis fundator, de cujus sepultura hæc ejusdem cartusiæ Chronicon : « ..... Post triduum funus ab urbe Waydoven ad Cartusianos in Gemnicum, in quorum animis atque mentibus et mortui Ducis memoria et vivi peregregium benevolentiæ studium perennabit, delatum, amplissima concelebratissimaque pompa curatum, ac monumento marmoreo in medio choro, juxta conjugem ipsius, conditum est. Sepulchrum hoc titulo signatum vetusto est charactere : Anno Domini MCCCLVIII, 13 Kalend. Augusti, obiit illustris, animosus et sapiens Princeps, D. dominus Albertus, quondam dux Austriæ, Styriæ et Karinthiæ. . . . . . genitor illustrium Principum dominorum Rudolphi, Friderici, Alberti et Leupoldi, Ducum (sic) Katharinæ et Margaretæ, et sepultus in Gemnico monasterio suæ fundationis, Ordinis Cartusiensis, in hoc sarcophago requiescit. »

*JESU CHRISTI

ANNUS 1359.

Innocentii PP. VI	Ordin. Cartus.	Joann. Birelli Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 276.	Ann. 14.

TRICENARIUM PERPETUUM TALAYRANDO CONCEDITUR,

I. MILLESIMUS trecentesimus quinquagesimus nonus incipit annus, Indictione duodecima, quo R. P. Joannes Birellus, Prior Cartusiæ, Talleyrando cardinali gratias reddere, insigniori quo posset modo, decrevit. Ab anno etenim 1330 affectum suum et beneficia erga Domum Vallisclaræ et totum Ordinem adeo exhibuit Talleyrandus ut talem ordinationem fecerit Capitulum generale anni 1356 : « Pro reverendissimo Protectore nostro, domino cardinali Petragoricensi, particulari promotore negotiorum Ordinis, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto. » Per Chartam vero præsentis anni, conceditur eidem, quamdiu vixerit, tricenarium de quo supra quotannis faciendum, et post obitum, tricenarium perpetuo per omnes Domos celebrandum : rarum sane beneficium quod hactenus tribus tantum personis concessum fuit. Birellus hujus gratiæ specialis voluit quoddam scribi publicum et authenticum Instrumentum, ubi præsertim de his quæ Talleyrandus dederat Domui Vallisclaræ sic loquitur : « Ipse monasterium Vallisclaræ nostri Ordinis inchoatum per inclytæ recordationis principem Archambaldum, comitem Petragoricensem, germanum suum præclarissimum, quasi in primo lapide præmatura morte sed tamen devota et Deo grata sublatum, erexit, munivit magnificeque dotavit. Et nihilominus quasi ex superabundanti pro supplemento aliquorum ædificiorum re-

ANNUS 1359

stantium, duodecim millia florenorum in manibus Ordinis novissime (nempe hoc anno 1359) numeravit. Et, ut tenemus indubie, maturius magnificentiusque consummasset, nisi guerræ quæ ibidem perseveraverunt inter Reges Franciæ et Angliæ viginti et quinque annis et amplius obstetissent. » Hæc Birellus noster, in cujus verbis duo annotanda sunt : Primum hanc Domum sub finem vitæ Archambaldi comitis inchoatam fuisse, ac proinde Sammarthanos emendandos esse qui dicunt eam ab eodem fundatam fuisse sub Audoino Petragoricensi præsule, id est ante annum 1314 quo successor illius jam sedebat. Alterum est, spem ab Ordine conceptam « quod maturius magnificentiusque fundationem consummasset, » ut loquitur Birellus, non fuisse inanem ; nam anno proxime sequenti, videlicet 1360, suum condens testamentum, decem millia scutorum Joannis auri legavit in absolutionem operis, ut patet ex codice autographo cujus exemplar a Sammarthanis editum de ejusmodi legato hæc habet : « Item legamus Conventui Vallisclaræ, Ordinis Cartusiensis, Petragoricens. diœcesis, x millia scutorum Joannis auri, quæ jam habemus separata in quadam capsa cujus claves habet Prior Cartusiensis de ultra pontem Avinionis, pro faciendis ædificiis ad dicti Conventus perfectionem et consummationem necessariis, et pro emendis reditibus dicto Conventui necessariis, pro Fratrum de Conventu sustentatione detenta : et volumus quod Prior Majoris Cartusiæ habeat curam majorem et sollicitudinem quod dicta Domus perficiatur et reditus qui sunt necessarii emantur, et si præmissa non sufficient, secundum relationem Prioris Majoris Cartusiæ qui nunc est vel qui fuerit suo tempore, volumus quod de distributionibus Cameræ Dominorum Cardinalium executores nostri habeant D. Priori usque ad summam trium millium florenorum, si tanta summa indigeat, vel de minori summa, si illa minor sufficiat, providere. Item legamus Episcopo et Capitulo Cadurcensi in recompensatione Prioratus de Brole quem fecimus uniri dicto Conventui Vallisclaræ, mille florenos committendos in utilitatem Ecclesiæ Cadurcensis supradictæ, si dicti

ob ejus in Nos beneficia singularia.

Prioratus collatio ad eos pertinebat : alioquin illi seu illis ad quem vel ad quos ipsius Prioratus ante dictam unionem provisio, collatio, præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinebat, etc. Actum et datum Avinioni, in studio cameræ hospitii habitationis nostræ, anno a Nativitate Domini 1360, Indictione xiii, die festi B. Frontonis, qui fuit die Martis mensis Octobris, Pontificatus Domini Innocentii Papæ VI, anno octavo, etc. »

ANNUS 1359

Hanc tamen pecuniam Nostros nunquam recepisse colligimus ex Charta anni 1463, quæ controversiam inde inter Priores Villænovæ et Vallisclaræ ortam sic dirimit : « Priori Vallisclaræ non fit misericordia. Et de his quæ petit a Domo Vallis Benedictionis : attento quod tenor testamenti non continet quod Prior Avinionis receperit capsam in qua summa decem millium scutorum habebatur, licet dicatur ibi quod clavem dictæ capsæ habuerit ; non videtur nobis quod ad dictam summam solvendam teneatur, nisi abunde constaret de rei veritate. Ideo si quæ alia Instrumenta habet dictus Prior Vallisclaræ, illa mittat ad futurum Capitulum et ministrabitur ei justitia. »

PRIVILEGIUM IMMUNITATIS MONTI DEI CONCESSUM,

II. Ut tandem paci et tranquillitati Domus Montis Dei, tam frequenter a vicinis immerito lacessitæ, rex Franciæ Joannes semel consuleret, amplissimum et in Nostros perhonorificum dedit circa hunc annum salvæ guardiæ et immunitatis privilegium quod silentio prætermittere nolumus :

a rege Francorum Johanne,

« Johannes Dei gratia Francorum rex, universis præsentes literas inspecturis, salutem. Rationi congruum arbitramur si prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo ad hoc nostræ mentis aspirat affectus quod personæ ecclesiasticæ quæ de die et de nocte ad divinum vacant servitium, pacis tranquillitate gaudeant et per regalem potentiam nostris temporibus a violentiis et injuriis defendantur, ut eo liberius valeant omnipotenti Altissimo famulari quo per regalem potentiam favorabiliter senserint se adjutas. Eapropter notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos ad religiosos viros Priorem et Conventum loci Montis Dei, Remen-

ANNUS
1359

ut Deum quietius colere valeant.

Baillivo regio res et personæ Domus commendantur.

sis diœcesis, Ordinis Cartusiensis, in baillivia Viromendensi prope fines regni nostri commorantes, considerationem specialem habemus. Ut quiete vivere et Autorem pacis in pace colere valeant, clipeo regiæ protectionis adjuti, Religiosos ipsos et monasterium suum, domum et locum prædictos, homines suos et ecclesiæ suæ de corpore, grangias, nemora, prata, molendina, loca, aquas piscarias et possessiones qualescumque suas, quas juste et pacifice possident in præsenti et amodo legitime possidebunt, familiam suam et quaslibet personas ejusdem monasterii sive Domus, quatenus in præmissa immediate nobis subsunt vel suberunt, sub nostra successorumque nostrorum Regum Franciæ protectione et gardia speciali suscipimus per præsentes; earum tenore mandantes et committentes baillivo Viromendensi qui nunc est et pro tempore fuerit vel ejus locum tenenti, quem etiam gardiatorem eorum constituimus specialem, quatenus prout ad eum pertinuerit, ipsos Religiosos in suis et ecclesiæ suæ justis possessionibus, franchisiis, libertatibus, usibus, juribus, jurisdictionibus et saisinis præsentibus et futuris, in quibus ipsos esse et suos prædecessores fuisse pacifice ab antiquo repererit, manuteneat et conservet, ipsosque Religiosos, monasterium suum seu Domum suam prædictam et dictos homines suos et personas ac bona quæcumque ejusdem monasterii sive Domus eorumdem, ab omnibus injuriis, violentiis, gravaminibus, molestiis, vi armorum, potentia laicorum ac inquietationibus et novitatibus indebitis quibuscumque defendat; nec permittat contra ipsos Religiosos eorumque familiam, res et bona, aliquas fieri seu inferri indebitas novitates. Sed si factas esse invenerit, ad statum pristinum et debitum reduci, et nobis et dictis Religiosis emendam condignam propter hoc præstari faciat prima ratione : affidagium etiam et securitatem a quibus et quando fuerit opportunum, juxta patriæ consuetudinem, eisdem dari faciat et præstari; et hujusmodi specialem gardiam nostram in ejus assisiis et locis aliis de quibus expedire viderit publicari, ne quis possit in contrarium ignorantiam allegare; reos quoque protectionis et specialis gardiæ

ANNUS 1359

nostræ sic justitia mediante civiliter puniat, quod cedat cæteris in exemplum. Et si super aliquibus rebus contentiosis inter partes oriatur debatum in casu novitatis, ponat illud ad manum nostram tanquam superiorem, et per eam remendentiam de eis faciat si et ubi rationabiliter fuerit facienda; necnon persolvi faciat dictis Religiosis reditus suos ac debita sua bona et legalia, clara et liquida, de quibus nulla quæstio referetur. Et compellat seu compelli faciat debitores ipsorum ad solutionem hujusmodi debitorum ; et adjournet seu faciat adjournari omnes illos qui superdictis debatis et debitis quæstionem seu oppositionem retulerint, ad certos et competentes dies coram suis competentibus judicibus, super hujusmodi quæstionibus et oppositionibus debite processurus. Quæ debata tam in casu novitatis quam super dictis debitis, coram ipsis judicibus agitari et sine debito terminari summarie et de plano, volumus atque mandamus, prout pertinuerit ad quemlibet eorumdem ; et omnia et singula faciat quæ circa hæc necessaria fuerint vel etiam opportuna. Cumque præfati Religiosi prope fines regni nostri, ut præfertur, commorantur distantque a sede nostra Laudunensi (ad quam suum resortum habere dicuntur) per viginti leucas et amplius, quapropter de facili copiam servientium nostrorum habere non possint, ipsique Religiosi de certis et verisimilibus conjecturis et pluribus personis cognitis et incognitis tam in regno nostro quam etiam in Imperio commorantibus habeant timere : pro præmissis facilius exequendis, unum vel plures servientes nostros vel alios probos viros idoneos per ipsos Religiosos nominandos, ipsis Religiosis per dictum baillivum deputari volumus quando expediens vel opportunum fuerit, si super hæc requirent, suis sumptibus. Quibus probis viris idoneis prout servientibus nostris et gardiatoribus dictorum Religiosorum pareri volumus et mandamus, expletaque per eos in præmissis et earum dependentibus facta, tantæ efficaciæ seu autoritatis esse volumus ac si per servientes nostros facta extitissent. Nolumus tamen quod de his quæ causæ cognitionem exigunt se nullatenus intromittant. Quod ut firmum et stabile

Gardiatores sibi eligere possunt.

ANNUS 1359

permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum, nostro et alieno in omnibus jure salvo... »

MISSA TRIUM LECTIONUM IN PRIVATO.

III. Capitulum præsentis anni statuit « quod Missa festi trium Lectionum, quæ propter solemniorem Missam non potest dici in Conventu, dicatur privatim ab hebdomadario (si ipse non celebrat) vel ejus Vicario, si sufficiant sacerdotes. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1360.

Innocentii PP. VI Ann. 8. — Ordin. Cartus. Ann. 277. — Elisarii Pr. Cart. Ann. 1.

I. SEXAGESIMUS supra millesimum trecentesimum sequitur annus Redemptoris, Indictione decima tertia, quo venerabilis P. Joannes Birellus, postquam Majori Cartusiæ atque adeo toti Ordini cum magna prudentia vigilantiaque quatuordecim annis præfuisset, in ipsa Epiphaniæ solemnitate miraculis clarus obiit : de cujus extrema infirmitate et pio transitu hæc Chronicon Priorum Cartusiæ : « Prior Cartusiæ tam admirabilis in vita contemplativa pariter et activa videbatur, quod vix ei consimilis reperiri posset ; si quando (ut fertur) vitæ se contemplativæ dedisset, in tanto extatico rapiebatur excessu, quod Seraphim potius videretur quam homo ; si vero vitæ activæ, ultra naturam humanam perspicaciter hoc facere cernebatur. Nam licet in multis occupatus esset ut Martha, non tamen (sicut ipsa) erga plurima turbari videbatur. Exemplo enim ab Aod duce Israelitici populi, qui utraque manu pro dextera utebatur, sicut nec prosperis elevabatur ita nec frangebatur adversis. Cum vero Deus tanta ejus merita remunerare decrevisset, quadam a Deo est infirmitate percussus, propter quam anima ejus de habitaculo suæ carnis est evulsa. Tunc Vicarius dictæ Domus ad eum inungendum, cum aliquibus de Conventu perrexit ; si quidem totus non potuit interesse Conventus, eo quod tunc Matutinæ in ecclesia cantabantur : cumque fuisset intinctus, et omnia

R. P. BIRELLUS SANCTE MORITUR.

ANNUS 1360

ecclesiastica Sacramenta cum Viatico recepisset (utpote quod prope finem esse videbatur), tunc jussit omnes adstantes recedere portamque cellæ recludi, ipsum solum relinquentes. Quo peracto, ac nisu quo potuit, de lectulo prosiliit et oratorium intrans pavimento sedebat. Tantaque lacrymarum imbre se ipsum perfudit (reum se clamitans peccatoremque coram Deo accusans), ut eisdem lacrymis copiose perfuderit pavimentum. Quidam vero Clericus Redditus ejusdem Domus, facti ignarus, audiens ejusdem lamentum, cellam ipsius intravit, ipsumque nimiis singultibus vix respirare valentem, in pavimento prostratum invenit ; qui ab ipso sustentatus et adjutus, utpote qui in extremis erat, ad lectulum rediit. Tunc pro expectatione sui exitus, Monachis congregatis, dominicæ (ut moris est) Passiones legi cœperunt. Vir vero Dei cum tanta attentione dictas Passiones audiebat, ac si nihil fere mali fuisset perpessus ; sed o mirabile auditu ! cum enim ille qui dictas Passiones legebat interdum erraret, Vir Dei (in cujus corpore vix extremus halitus palpitabat) a nisu quo poterat emendabat. Non verba evangelicæ veritatis poterat sustinere minus bene proferri. Lectis vero Passionibus, ac Litania decantata, inter verba orantium sancta illa anima spiritum efflavit. Demum cum Avinione percrebuisset, Priorem Cartusiæ de hoc mundo transivisse, Papa Innocentius hoc audiens, in vocem lacrymarum (prout fertur) prorupit, dicens : Valentior Religiosus et Clericus mundi mortuus est. Cum vero Papa prædictus, post modicum tempus in extremis laboraret, coram infinitis adstantibus intonuit, dicens : Utinam anima mea talis coram Deo esset, qualem credo fore animam Domini Joannis, quondam Prioris Cartusiæ. Dictus etiam Cardinalis Petragoricensis, qui ejusdem electionem impediverat, cum ejus mortem percepisset, in hæc verba prorupit : Væ nobis, tristes nos, tristis Ecclesia Dei, quia Collegium et Ecclesia sancta Dei talem non promeruit habere pastorem ; non enim digni fuimus tam sancto Pastore.

Eum publice laudat Innocentius VI.

« Post modicum vero temporis, dicto Priore defuncto, duo de ejus patria venerunt (erat enim Lemovicensis *) qui a suc-

* i. e. de agro Lemovico, et forsan de pago dicto Camboliva.

cessore suo Priore Cartusiæ, reliquias de dicto Priore defuncto magnis precibus petierunt; asserentes eum duo notabilia miracula peregisse in patria sua post mortem. Dictus vero successor eisdem unum de ciliciis dedit, quæ dum adhuc vixerat deferebat. Siquidem cilicia nodosa (asperrimo pilo in modum camisiæ facta) super carnem die noctuque semper ad mortem usque gestavit, in longitudine poplites protegentia, ac manicas longas fere usque ad manus ferentia. Tali enim lorica miles Dei usque ad mortem semper incessit armatus.

ANNUS 1360

Cilicium ejus horridum.

« Defunctus est autem, sive potius ad vitam transivit, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, die sancto Epiphaniæ. Dum vero adhuc iste sanctus Prior viveret, et quidam Monachus super quodam lapide (qui est post tribunal * ecclesiæ dictæ Domus, ubi omnes ibidem morientes exportantur) lavaretur, coram adstantibus in hæc verba prorupit : Confido firmiter de bonitate Dei, et de ejus misericordia indubitanter præsumo, nullum hic fuisse morientem superque istum lapidem lotum, quin sanctus in conspectu Dei habeatur. » Non quod dictus lapis aliquem sanctificare posset hoc dixit, sed quia nullus nisi a Deo prædestinatus, in eadem Domo usque ad finem perseverare valeret, quod quotidie cernitur et videtur ; qui licet multi in eadem Domo vocentur, tamen pauci, nisi bene probati, videntur perseverare. »

* i. e. Absis ecclesiæ.

II. Porro hujusmodi lapidis, super quo defunctorum Religiosorum abluebantur corpora, meminit autor *Speculi Monachorum* * his verbis : « Tædio affectus componat se meditando supra petram in qua lavantur mortui, et cogitet apud se quomodo tractentur ibi sepeliendi : nunc in tergum, nunc in faciem versantur : quomodo nutet caput... etc. » Ex his obiter perspicis non solum apud Cartusianos, verum etiam apud alios passim Religiosos hanc defunctorum lavandorum corporum consuetudinem in usu olim fuisse : quam tamen, ne ut neotericam despuas, cum veteribus Græciæ Monachis communem Cartusienses habere discimus ex *Rituali Græcorum* Jacobi Goario Ordinis Prædicatorum : « Monachorum quopiam, ait, ad Dominum migrante, cum corpus ejus lavari

RITUS CARTUSIANOS SEPELIENDI ANTIQUISSIMUS.

* Extat inter opuscula S. Bernardo addicta.

fol. 544, cap. Officium funeris Monachorum.

ANNUS 1360

contigerit, nec nudum omnino conspici conveniat, præfectus ad hoc Monachus spongia tepenti aqua delibuta illud detergit, spongiaque crucis signum exprimit in demortui fronte, in pectore, in manibus, in pedibus, in genibus tantum. Nitido deinde indumento inducto, vetere abjecto, nuditate tamen ejus nunquam ita revelata ut conspiciatur, illum tegit. Quo peracto, illum cucullo circumdat, et galeam sive pileum capiti impositum ad barbam usque, ne cadaveris appareat facies, demittit. Tum vero ordine analabum * ei circumponit et pallium, loraque succingit novisque sandalis, mandyamque* deinde expandunt, et cadavere e storea elevato, a capite ad pedes usque explicant...... His peractis Hebdomadarius advocatur, qui assumpta stola, et suffitu thuribulo injecto, de more benedictionem præmittit. Ter *Sanctus. Sanctissima Trinitate. Pater noster. Quia tuum est*........ Tum vero Fratres cadaver efferentes, ad ecclesiam deportant, et si quidem sacerdos fuerit qui migravit Frater, corpus ejus in ecclesiæ gremio deponitur : si laicus, in vestibulo..... Deinde incipimus Psalmum : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, Alleluia..... Beati immaculati in via, etc*...... Lectum simul cum cadavere efferentes ad cæmeterium progredimur..... Sepulchrum cum attigerimus in eo cadaver demittitur. Sacerdos vero batillo terram acceptam in crucis modum corpori supermittit, dicens : *Domini est terra, etc*..... Atque ita tegunt, ut pro more est, sepulchrum...... Humili vero corporis inclinatione demittimus nos propter Fratrem nostrum defunctum quotquot monumento astamus, dicentes : *Da requiem Domine animæ servi tui*. Atque ita ad cellas secedimus. » Hæc Goarius ; quæ apprime et quasi per omnia consentiunt ritibus et cœremoniis in Ordinario nostro descriptis. « Interim autem Defuncti corpus abluitur, et induitur lumbari, cilicio, tunica magna, caligis, pedulibus, cingulo canabino et cuculla. Omnia autem prædicta sepeliendorum indumenta honesta sint, saltem non detrita valde. Sic indutus imponitur feretro, et cilicino tegumento vel panno nigro cooperitur.... Sacerdos indutus stola nigra accedit ad corpus, et incipit alta voce : *Pater*

* tunicam.
* pallium.

Ordinarium Cartusiense, cap. XXXIV, passim.

noster ; deinde accepto thuribulo thurificat semel et subdit : *et ne nos inducas, etc.* His expletis, Defuncti corpus fertur ad ecclesiam.... Finitis orationibus incipitur a Cantore psalmus *In exitu Israel,* et statim Defunctus ad sepulchrum portatur ; cum ventum est ad sepulchrum Sacerdos benedicit fossam, tuncque deponitur corpus in ea, et Sacerdos primus ponit terram.... quibus finitis, redimus a tumulo... et Sacerdos ad Lectorium stans dicit : *Requiem æternam dona eis, Domine.* » Notandum vero est, jam a duobus plus sæculis, morem in cinere deponendi defuncturos, in Ordine nostro desiisse.

ANNUS 1360

III. Nunc ad Helisarium, Joannis Birelli successorem nostra sese convertat oratio. De eo sic Autor anonymus *Brevis Historiæ* Ordinis Cartusiensis :

ELIZARIUS BIRELLO SUCCEDIT.

« Anno Domini 1360, mense Januario, Domno Joanni Birello successit in prioratu Domus Cartusiæ, venerabilis Pater D. Heliziarius sive Elizarius monachus * dictæ Domus Cartusiæ, tunc autem Prior Domus Boni-Passus et Visitator provinciæ Genevensis. Hic pius Pater, tantæ fuit abstinentiæ, austeritatis et pœnitentiæ, quod nullus fere antecessorum suorum eidem in præmissis poterat comparari. Siquidem aliquibus, imo quasi omnibus excedere videbatur, pro eo quod pœnitentiam tam arduam faciebat, quod natura humana vix poterat sustinere ; unde cum naturam ipsam conaretur vincere, ab ea quoque sæpius vincebatur. Cum enim ex orationis fervore et contemplationis excessu diem crebro cum nocte insomnem duxisset, natura superante, interdum in medio galileæ in claustro ex nimia somnolentia collabebatur ad terram ; ibique cum nullus præsens affuisset, dormire cogebatur super pavimentum. Semper fere nudus, et discalceatus (hoc est sine pedulibus) atque capite nudo, non obstantibus intensis frigoribus, quæ ibidem in hyeme vigent, incedebat. Nunquam in lecto fere decubans, nunquam cilicium vel tunicam mutans, quousque bene fuisset attrita; superfluum enim reputabat, beati Hilarionis exemplo, munditias quærere in cilicio quod portabat ad carnem. Prædicti Patris etiam abs-

pag. 247.

* sic ipse scribebat.

Vir austeritatis stupendæ,

ANNUS 1360

tinentias, disciplinas, vigilias necnon et pœnitentias spiritusque sui devotiones, nemo describere valeret, quoniam quidem modum et naturam excedere videbatur humanum. Et cum sibi ipsi austerus valde et durus in singulis esset, omnibus tamen pius et misericors extitit : unde hunc titulum præ cæteris post ejus felicem transitum in Charta Capituli habere meruit : Obiit *pius* Pater Domnus Elizarius, Prior Cartusiæ. O quoties in ecclesia, tempore divinorum cum psalmodiam cum aliis decantaret aut Missam celebraret, in mentis excessu rapiebatur! Sed et o quanta eidem secreta Dei revelabantur! Siquidem interdum ex nimia lætitia spirituali, et mentis excessu saltare quodammodo et insanire fere in choro videbatur. Nam sæpe ex nimio mentis excessu seipsum oblitus et nesciens ubi esset, in laudem Dei tam alta voce exultabat, quod ab aliis notabiliter discordaret. Interdum vero ad seipsum rediens, de discordia, quam inscius in raptu fecerat quamplurimum erubescebat. Dum enim quodam tempore dominicam Capituli generalis Missam in Conventu omnibus præsentibus celebraret, dum *Credo in unum Deum* Conventus cantaret, raptus fuit ibidem existens in altari, nec a Diacono sibi calicem offerente et strepitum faciente, ad humanum poterat intellectum reduci, quin immobilis et insensibilis per spatium remaneret. »

et altissimæ contemplationis.

DOMUS STETINENSIS FUNDATUR.

IV. Domus Stetinensis hoc anno, sub vocabulo *Gratiæ Dei*, in diœcesi Caminensi, 2000 passus a mari Baltico sita, a Barnino III Pomeraniæ duce, fundata primam plantationem ex cartusia Pragensi accepit, Provinciæque Alemaniæ superioris annumerata fuit; crescente demum numero Domorum Ordinis, anno 1412 ab eadem separata et pro firmanda nova Provincia Saxoniæ assumpta est. Post annum 1546 in Chartis Capituli generalis nullus amplius ejusdem Domus Prior invenitur : unde constat illis temporibus eam cartusiam fuisse deperditam. Et revera, circa sexti decimi sæculi medium, hoc loco Hæretici vi potiti, ibi arcem de Oderburg ædificaverunt, quæ postea a Suedensibus destructa est.

DE FICTITIA DOMO PODII-BRADII.

V. Reverendus Pater Georgius Crugerius S. J. scripsit, in

suo libro *de Regimine Principum,* sub idem tempus Boizk de Cunstat accessisse quosdam e Pragensi cartusia Monachos, qui novam inhabitarent fundationem Podii-Bradii in Bohemia a se erectam. Doctum errasse autorem conjicere licet; nam de hac Domo nulla fit mentio in Chartis Capituli generalis.

ANNUS 1360

CONRADUS HAIMBURGENSIS MORITUR.

VI. Die septima decima mensis Augusti hujus anni obiit in Domo Gemnicensi religiosus vir Conradus, vulgo dictus de Haimburg et de terra Aquensi. Hic, Domus Seitzensis professus et postea (anno 1342, feria II, in crastino S. Joannis Baptistæ) Prior ejusdem, Proto-vicarius cartusiæ Maurbacensis extitit; dein cum magna laude et utriusque status prospero successu, Domum Schnalsensem, et bis cartusiam Gemnicensem, (ab anno scilicet 1350 usque ad annum 1354, et postea ab anno 1358 usque ad præsentem annum) gubernavit, et Proto-visitator fuit Provinciæ Alemaniæ Superioris. « Vir incomparabilis, ut in antiquo Codice legitur, dignus quem fama litteris, virtus cœlis consecravit. Quis enim litteris eum non consecret et cœlis qui ante omnia divini Numinis cultum, Beatæ Mariæ laudes et honores, omniumque cœlitum gesta et facta impensissima opera propagavit, æternumque pietatis suæ in ultima sæcula monumentum transmisit?.... Magna non tantum inter suos, sed et inter illos omnes qui eum noverunt, gratia atque benevolentia floruit. » Anno 1354, excusso sollicitudinis jugo, in claustrum Domus Gemnicensis se recepit ut soli Deo in oratione et librorum scriptione vacaret. Vir supra fidem magnus, diebus suis plures quam LXXX sacros Hymnos aliasque pias commentationes plurimas scripsit; quas inter merito memorari possunt: « Hymni de B. Virgine Maria, Rythmi varii de Sanctis, Integra psalteria Rythmorum de B. V. Maria, Tractatus super Alleluia pascali, Officiola parvula, Matutinale duplex, majus et minus. » Anno 1356 victus precibus Mainhardi electi episcopi Tridentini (alii volunt Caroli IV Imperatoris) librum edidit in honorem Virginis Deiparæ, quem ideo inscripsit: *Laus* sive *Matutinale B. Virginis*

Plura scripsit,

ANNUS 1360

Mariæ : cujus libri pars altera prostat in cartusiæ Maurbacensis bibliotheca cum hoc titulo : Incipit Pars secunda libri Matutinalis qui dicitur *Laus Virginis,* et debet incipi in die S. Joannis Baptistæ, hoc est 24 Junii. »

et præcipue : Laus Virginis.

Multa hujus Matutinalis exemplaria in Domibus Alemaniæ asservata sunt : sed in plerisque tacito autoris nomine. Unum tamen olim in bibliotheca Waldicensis cartusiæ repertum est, in quo prima fronte autor ipse se prodit his verbis, exponens cujus incitamento librum scribere aggressus sit : « Ad laudem Matris Virginis ejusque sacratissimæ Prolis, ad satisfaciendumque desiderio venerabilis in Christo Patris domini Mainhardi de Nova-Domo electi Tridentini hoc devotius requirentis, ego frater Conradus, vita peccator, habitu religiosus, minimus Ordinis Cartusiensis, sollicitudinem super hoc sequens volumen et curam recepi, elegantioribus dictis originalibus sanctorum orthodoxæ fidei Doctorum revolutis et perspectis, ad laudem tantæ Virginis, lectiones Matutinales pro singulis anni diebus per tres, in Virginis vero festivitatibus et Octavis ejusdem per sex, et Homilias ejusdem distinguens pro ingenii mei modulo, sub anno Incarnationis Dominicæ MCCCLVI in unum studiose collegi, etc... » Quanta vero in existimatione fuerit apud omnes ipsosque ecclesiarum Præsules, anno 1356, primus omnium testatus est Godefridus de Weisseneck Passaviensis episcopus, qui ut ejusdem libri usum suæ plebi commendaret, legentibus Indulgentiam per has literas impertiit : « Godefridus, Dei gratia, Passaviensis episcopus, omnibus et singulis clericis sæcularibus et regularibus, et aliis cujuscumque conditionis personis per nostram diœcesim constitutis, salutem in Domino sempiternam. Etsi omnibus quæ Dei et Sanctorum laudem continere dignoscuntur, ex debito incumbentis officii pro nostræ possibilitatis modulo effective teneamur intendere ; ea tamen per quæ intemeratæ Virginis genitricis Dei Mariæ præconium extollitur, piæ devotionis affectu ferventi insident cordi nostro. Ipsa est Imperatrix, egregia Mater est gratiæ, Forma justitiæ, Porta cœlestis patriæ, egestatis relevamen et miseriæ ac suavis Pin-

Quem librum approbarunt, Episcopus Passaviensis,

cerna stillæ cujuslibet gratiosæ. Omnibus igitur vere pœnitentibus et contritis qui de Libro qui intitulatur *Laus Mariæ Virginis* de novo edito a quodam Cartusiensi, ad cursum B. V. Mariæ lectiones devotione debita quotidie legerint, pro qualibet die qua (ut præmittitur) prænominatas lectiones legerint, XL dies Indulgentiarum de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Insuper præsenti concessione dispensative permittimus quod hi qui hujusmodi novas lectiones dicendo seu legendo tenuerint, ad consuetas lectiones, etiam per constitutiones nostras seu prædecessorum nostrorum si quæ sub ipsis emanaverint ordinatas, minime teneantur. Datum Passavii in Octava Corporis Christi 1356. »

ANNUS 1360

Sequens etiam diploma, anno 1358, dedit Ernestus Pragensis archiepiscopus, in commendationem ejusdem Conradi opusculi :

et Pragensis archiepiscopus.

« Ernestus Dei et Apostolicæ Sedis gratia, S. Pragensis Ecclesiæ archiepiscopus, universis et singulis clericis, sæcularibus et regularibus cujuscumque status, conditionis aut præeminentiæ fuerint, jure ordinario nobis subjectis, ac omnibus Christi fidelibus infra nostram diœcesim constitutis, salutem in Domino sempiternam. Notum sit universitati vestræ quod accedens ad nostram præsentiam venerabilis in Christo Frater et dominus Mainhardus de Nova-Domo, electus Ecclesiæ Tridentinæ, exhibuit et præsentavit quemdam libellum nuper de novo editum ad laudem et honorem Beatissimæ Mariæ Virginis, qui intitulatur *Laus Virginis Mariæ;* petens a nobis cum instantia quatenus benignius annueremus, ut per Clericos nostræ diœcesis quibus placet et quorum corda tangeret Spiritus Sanctus, series dicti libri ad cursum B. V. M. successive pro lectionibus legeretur : non obstantibus lectionibus ad cursum ipsum ab antiquo legi consuetis, ex constitutione nostra et prædecessorum nostrorum quorumcumque, et nihilominus dictas lectiones devote legentibus certas Indulgentias ad promerendam vitam æternam concederemus. Nos itaque precibus hujusmodi justis et rationabilibus favorabiliter annuentes et præsertim per

Chronicon Maurbac. ms. sub VII Priore.

ANNUS 1360

hoc venerandæ et intemeratæ Virgini Mariæ, cujus ex partu felicissimo desuper cœlestis throni fulgore humano generi non ambigimus, imo aperte cognoscimus interminabilis felicitatis augmentum divini muneris incessabili profluvio derivari, speciale præconium laudis provenire et efficere cupientes: omnibus vere pœnitentibus, contritis et confessis, qui dictas lectiones de novo compilatas, ad cursum legerint devote, pro qualibet die 40 dies Indulgentiæ de injunctis pœnitentiis misericorditer dispensamus; insuper concedentes quod hi qui hujusmodi novas lectiones tenuerint, ad alias quæ prius legi consueverunt, ut præfertur, non sint aliquatenus alligati et adstricti. Harum, quibus sigilla nostra sunt appensa, testimonio literarum. Datum Rudnitz, anno 1358, die vero vigesima secunda mensis Decembris. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1361.

Innocentii PP. VI	Ordin. Cartus.	Elisarii Pr. Cart.
Ann. 9.	Ann. 278.	Ann. 2.

ELISARIUS FRUSTRA MISERICORDIAM PETIT.

Lib. IV. cap. 13.

I. SEXAGESIMUS primus supra millesimum trecentesimum sequitur annus Redemptoris, Indictione decima quarta, quo R. P. Elisarius alterum oculum amisit, et innixe sed frustra absolutionem postulavit. Rem sic enarrat sæpedictus autor Chronici Cartusiensis : « Secundo regiminis sui anno, inquit, unum ex gravi infirmitate oculum perdidit R. P. D. Helisarius. Qui putans bonam se nactus occasionem, amore quietis et supernæ dulcedinis, in generali se Capitulo postulavit absolvi, causam insinuans turpitudinem cæcitatis. Cui Patres responderunt, non justam se causam objecisse, præsertim cum inter cætera membra corporis nullum, quemadmodum oculus, alterius soleat supplere defectum. Siquidem orbitas unius oculi, alteri præstat virtutem acutius pervidendi. Verum Helisarius lætus quod faciem gestaret informem, jocans dicere solebat : Ego damnum habens, non queror : sufficit enim mihi unus pro voto oculus, qui faciem turpia timentem honestet. »

JACOBUS DE VIVIACO DECEDIT.

II. Hoc quoque anno decessit V. P. D. Jacobus de Viviaco alias Prior Cartusiæ. Quod probatur ex Charta Capituli generalis anni 1362, quæ sic habet : « Obiit D. Jacobus olim Prior Cartusiæ, qui habet monachatum per totum Ordinem 4 Kalendas Augusti. » Verum R. P. D. Franciscus de Puteo et D. Molin eumdem quidem diem 4 Kalend. Augusti signant,

ANNUS 1361

sed ponunt anno 1362, quod tamen stare non potest; nam Capitulum generale celebratur ante mensem Augusti. Habet etiam Chronicon eum obiisse anno 1362 et ita de eo scribit V. P. D. Buat: « Obitus, inquit, Jacobi de Viviaco scriptus est 29 Julii anni 1362, in Kalendario, quod vidi apud Patres S. J. Friburgi; quod Calendarium est Abbatiæ *de Marsens**, latine : Humilis-Montis, Ordinis Præmonstratensis, quam possident iidem Patres Friburgenses, in quo fit mentio ipsum R. P. Jacobum dedisse participationem Ordinis Abbati tunc temporis, ipsius consanguineo*. Quapropter prædictus Abbas dedit ei Anniversarium perpetuum in eadem Abbatia, quæ modo funditus destructa est. » Hæc ille. Sed omnino standum est Chartæ Capituli generalis. Quod autem scribatur in Calendario anni 1362, hoc parvi refert, quia potuit illius obitus præfato Abbati tantum eodem anno denunciari a Patribus nostris post celebrata comitia, ad sua redeuntibus. Denique nec sibi nec suis inutilis fuit noster Jacobus dum solus in cella vixit : dicitur enim pios et utiles tractatus scripsisse : *de Pœnitentia vera, de Patientia Christiana* et *Sermones devotissimos de Tempore et de Sanctis*.

*juxta *Bulle*.

* W. de Rua ?

Nicol. Riccius, in suis Collectaneis ms.

B. PETRUS PETRONI SANCTE MORITUR.

Lib. II, cap. 1.

III. Ante Jacobum, die videlicet 29 Maii hujus anni, sanctissime obierat D. Petrus Petronus Maggianæ Domus monachus. Cujus beatum finem magna mirabilia præcesserunt, et secuta sunt. Quæ omnia fusissime a nostro Bartholomæo Scala Vitæ illius autore relata, contractiori quam poterimus stylo perstringemus, sæpius usi, pro more nostro, ipsismet scriptoris verbis.

Mente et corpore semper virgo permansit.

« Quindecim diebus ante quam de statione vitæ Petrus decederet, Joachimum nobilem Senensem, amicum suum familiarissimum accersit, cui divino Numine, ut beatus Vir affirmabat, eum impellente et urgente, secreto declarat ipsum se per omnem vitam tum mente tum corpore integrum, impollutumque servasse; et ab annis sedecim omnia postulata impetrasse a Deo, ita ut aliquando in extasim raptus hanc vocem e cœlo dilapsam audierit : Exaudita est, Petre, oratio tua. Deinde præclaras revelationes visionesque sibi divinitus

ANNUS 1361

factas et objectas indicat, et quod Christus sese illi visendum ostenderit, ac multa circa plurimorum tum viventium tum mortuorum statum aperuerit. Multa insuper singulatim Joachimo in mandatis dat, in diversas ac remotas orbis partes, variis diversisque hominibus renuntianda; iis speciatim quos nunquam de facie noverat, neque ullum ipsorum mentionem vel nomen audierat. Quæ autem sic renuntiari indicarique Vir beatus jussit, in Dei honorem et gloriam redundare inque proximorum salutem testati sunt coævi Vitæ illius scriptores, nempe Sanctus Joannes Columbinus et Nicolaus Vincentus, a quibus noster Bartholomæus hæc mutuatus est. Postremo, suo Joachimo ait Petrus: Scias, fili, hanc omnino Dei voluntatem esse, ut tridui interjecto spatio cum Columbino, statim ut Senis aderit, ad me revertaris. Columbinum vero contra mentem suam Senas rediturum beatus Vir prænoverat. Ubi igitur constituta die, uterque in Petri conspectum venerunt, Columbino ait: Joachimum convenias volo, auditurus quæ illi tecum communicanda mandavi. Quæ cum Columbinus a Joachimo audiisset, non sine magno stupore fassus est omnia sui penetralia pectoris ac animi consilia secretiora Viro sancto a Deo nudata fuisse. Inter hæc ipsi Columbino retulere Patres, quod paucis ante diebus ab ostio illius cellulæ identidem exaudierant diu noctuque suavissimas voces ac cantiones: ubi cum aliquandiu avidissimis auribus auscultando hæsissent, tandem impulsa janua, in cubiculum irrumpentes, neminem uno excepto Petro invenerunt, cujus vultum tam divina circumfusum luce conspexere, ut jucundissima oris forma Angelicam quamdam majestatem præ se ferre videretur. » Posthac narrat Bartholomæus quomodo Joachimus Petri nomine plures omnis conditionis homines vel ad conversionem hortatus fuerit, vel de multis aliis commonuerit non solum tum apud Senas, sed et post illius obitum, ad remotiora loca et regna; hanc enim materiam sic noster autor concludit: « Utinam vel Joachimus scriptis mandasset quæ ille Romæ, quæque deinde Neapoli cum Joanna regina gessit; quæ tum cum summo totius

S. Joannis Columbini arcana penetrat.

Divini cantus in ejus cella auditi.

ANNUS 1361

Ecclesiæ Romanæ Pontifice Avenione per eas dies una cum Sacro Purpuratorum Patrum senatu commorante fecerat; quæ mox cum Joanne Galliæ atque inde cum Eduardo Britanniæ regibus, ad quos inter se atrociter dissidentes et gravissima subinde bella gerentes, Joachimum vicarium suum Petrus legavit, uti reconciliatis voluntatibus, de pacis fœdere præpotenter Dei imperio ageret.

Fratres de erratis commonet.

« Dum vero Joachimus foris pro loco et tempore Petri mandata curat diligenter, domi interim beatus ipse Vir, totus ardentissimis flammis incensus, nullum tempus a piis studiis vacuum transire patiebatur, quin pro animarum salute die noctuque cruentos lacrymarum imbres profunderet; eoque magis quo certius horrendas damnatorum pœnas apud inferos cognoverat. Hinc erat quod de quorumdam salute monachorum anxius, cœpit intra constitutum ab eo tempus, incompositis quibusdam sermonibus ac reconditis inter loquendum verborum anfractibus, eos nunc adhortari, nunc vero etiam objurgare. Nec quidem sine fructu : hi enim eximia Petri mansuetudine fracti, ad ejus pedes mox procumbentes, veniam petunt ab eo, benedictionem efflagitant, seque pariter in officio imposterum fore pollicentur.

Pro amici salute dira patitur.

« Sex ante diebus quam vitam cum morte commutaret, cum cuidam amico suo quem Christus ei atrocissimis obnoxium suppliciis ostenderat, ardentissimis precibus veniam apud Deum oraret; audivit ex ipsius Veritatis ore, constitutum omnino esse divinæ justitiæ satisfaciendum : tot videlicet illi tormenta toleranda, quot ejus delicta exigerent diluenda. Ergo intimis plane sensibus amici statum miseratus, Joachimo suo rem omnem ex ordine refert ; cumque Deo se obtulisset ad pœnas pro rei expiatione subeundas, fit repente luridus, languescunt vires, color in eo cernitur exsanguis, cavum dira macie ac deformatum caput apparet, oculi introrsum in suos orbes inclusi et tempora altissimis depressa lacunis conspiciuntur, atque e spina fere nuda pectus aridum pendet. Non crura moveri solo, non manus in cœlum tolli poterunt. Quid plura? eo miseriarum devenit tor-

ANNUS 1361

mentorum atque pœnarum copia ut ne pedum quidem ungues contingere quis illi posset, quin totus atrociter intremeret et dentibus sic acriter infrenderet, ut viderentur infringi. Sicque totum sexaginta horarum spatium, præsentibus pluribus e monachis ac ejus intimis, Columbino, Joachimo et Vincento, miserandum in modum discruciatus jacuit. Res vero mira! Mox ab ejus obitu qui tribus post diebus contigit, hominem hunc magno acrique dolore compunctum tanta sui suorumque criminum cœpit animi contritio, ut anteactæ suæ vitæ rationem, consiliaque ex animo detestatus, per plures dies sibimet iratus in squalore et luctu, mœrore prope exanimatus jacuerit. Exin vero salutari suiipsius meditatione vegetatus, ita se suaviter in Deum affici sentiebat, ut verbis vix exprimi posset ; palam ipsemet indicans magna quædam atque insolita in se experiri, quæ nunquam antea se fatebatur expertum.

Intelligentes Patres de corpore Petri auferendo agi,

« Sub hæc ad aures cœnobii Patrum pervenit Joachimum, Columbinum et Nicolaum Vincentum, facta subitaria civium manu, de ipsius Petri corpore, simul atque efflasset animam, intra patriæ mœnia deportando cogitare ; haud dubie rati sacras tanti Viri exuvias sibi ac toti civitati magno præsidio fore. Qua tristi denunciatione perculsi Patres, simulque coeuntes, non sine aliquo Fratrum domesticorumque tumultu, decernunt juxta priscorum Patrum simplicitatem, nullo modo permittendum esse, ut corpus Petri alio sepeliatur. Advocatosque Joachimum et Vincentum quos hujus consilii autores sciebant, e monasterio expellunt. Joannes vero Columbinus ex re et tempore occasione usus, ad Petrum simul una cum cœnobii coquo et uno e Conversis fratribus confestim excurrit. Quibus ad se venientibus, beatus Vir, qui cubiculo clausus nihil de tumultu viderat vel audierat : Joachimum, ait, ejecerunt ; cæterum nihil refert. Cuncta ex ordine scienter ac disposite explicans perinde atque inibi præsens ipsemet adfuisset. Deinde accitus ab autoribus turbarum Columbinus, eamdem ac Joachimus et Nicolaus sortem expertus fuisset, nisi unus ex Monachis exulceratos in eum

autores e cartusia expellunt.

ANNUS
1361

animos sedasset. Eodem itaque Monacho comitatus, in cubiculum Petri Columbinus se recepit ; ubi illud admiratione simul et memoria dignum eo temporis momento accidit quod iste beatus Pater, ad Monachum mox hilari conversus vultu, ita faustis precibus dicere cœpit : « Est, fili, cur tibi maximas gratias agam, tibique vel in primis acceptum referam quod Columbinus apud nos maneat.

Subito exultat.

« Cum vero hac ipsa die qua moriturus erat, quique dies Veneris fuit, in secundam fere noctis horam cum Columbino, Vincento (quem Patres revocarant) et Eremita quodam, cui Sanctis nomen erat, sermonem de rebus divinis protraxisset; repente divinitus factum est ut tali tamque insolenti alacritate gestire cœperit, tantoque gaudio efferri, quantum cujusvis mens et cogitatio capere unquam possit maximum. Deinde ac si deperditas vires momento recuperasset, e lectulo mira quadam spiritus exultatione surgere gestiebat venerabundus, et ceu aliquem amplecti vellet. Qui aderant beatum Patrem divino lumine circumdatum viderunt, necnon et faciem ejus instar solis coruscantes emittere radios. Mox veluti humana omnia fastidiret, cœlestibus jam animo perceptis atque adeo suavissime degustatis, oculos clausit silentiumque perpetuum tenuit.

Inter preces moritur.

« Inter hæc precibus a Conventu adstante rite ac sedulo peractis, confestim beatus Vir, sine ullo horroris molestiæve signo, placidissime exhalavit animam ; et ut diu optarat, ad vitam evolavit perennem, intra horam noctis sextam, die sabbato, quarto Calendas Junias, anno præsenti. Interim Petri corpus, rite curatum atque monastico vestitu de more indutum, visum est Patribus ut quam primum mandaretur ; ne Senarum per urbem ejus vulgata morte, a populis occurrentibus, cum exequias cohonestandi tum vero sacras ejus reliquias contingendi gratia, raperetur. Ergo exequiis quam occultissime peractis, sacrum Viri cadaver ad cœmeterium, intra monasterii peristylum defertur, comitante ac feretrum prosequente Columbino, una cum Nicolao et eremicola Sancto ; et in decretam jam scrobem sacrata illa gleba injici-

In cœmeterio sepelitur.

tur, ac desuper humum Monachi congregantes, tumulum ex more componunt.

ANNUS 1361

Ejus beatitudo signis manifestatur.

« Inter pervulgata signa atque illustria testimonia quæ beatum Virum ad cœlestia regna evolasse divinitus indicarunt, illud omnium evidentissimum, quod in aere sub illius mortem apparuit apud complures, fuisse constat. Eo momento quo Petrus spiritum exhalavit, aliquæ Deo dicatæ Virgines in divæ Petronillæ gynæceo, aliique aliis in locis egregia pietate viri sed speciatim divæ Marthæ cœnobii Moniales, ingentem splendorem longe lateque omnia circumquaque veluti divinam lucem nudantem intuentur : Petri vero mortis ignaræ, ignem primum fortuitu prope cœnobium excitatum suspicantur; dumque curiose monasterii loca perlustrant, comperto splendorem illum ex ignea nubecula in modum columnæ sublime elata cœlitus emicare, elevatis sursum oculis, vident animam beati Petri in cœlum gloria circumdatam tolli. Unde certissimo cognoverunt eum modo defunctum fuisse. Duæ ejusdem monasterii Virgines in somnis ab eodem sancta consolatione recreari meruerunt. Multis aliis Petrus sese visendum præbuit et inter alios Francisco Pisano, viro gravissimo qui eo ipso tempore Senis juri dicando præerat, apparens, nescio quid dubitationis in re maximi momenti, pro qua per dies noctesque vehementer angebatur, illi solvit. Hujusmodi vero apparitiones frequentes fuisse testatur Columbinus. In Christi Domini veritate, inquit, vobis affirmanter asserimus sanctum hunc virum Petrum per visum quam plurimis occurrisse, atque de sui manifestatione perquam clara et illustria dedisse signa : quin præter alia atque subinde alia de seipso visu miranda, sæpe sæpius sese obtulit visendum cui Dominus hoc voluit ; palam de die et de nocte se perspicue dilucideque manifestans ; atque intimis ejus sensibus cui apparuit, omnem hæsitationem depellens per extrinseca scilicet et aperta symbola, quæ plane in præsens patefacere nefas omnino ducimus. Videtur Columbinus de se loqui, sed propter modestiam et humilitatem, nec se nominare nec res pandere voluit. » Hæc pauca ex multis sufficiunt quæ

ANNUS 1361

noster Bartholomæus de B. Petro prolixissimo sermone ac satis crasso, sed elegantissime scripto libro complexus est. Qui præterea quædam de Stephano Macono, Bartholomæo Ravennate, Joanne Lucenti, Nicolao Albergato, nostri Ordinis luminibus adjicit, quorum gesta suis locis fusius exposituri sumus. Deinde refert monita salutis quæ noster beatus Pater moriens Joanni Boccacio, suo nomine danda, Joachimo commiserat, quæ nos ad annum quo Boccacius mortuus est describenda differimus; sicut et ea quæ de corporis, post annos sexaginta reperti integri translatione et de fundatione Domus Venetæ ejusdem translationis causa suscepta subjungit.

Vid. an. 1376.

Epistolarum Lib.I. Epist. 4.

Denique nostri Petri meminerunt celebris Petrarcha, qui literis quas ei præfatus Boccacius de nostro Petro scripserat respondens : « Scribis, inquit, nescio quem Petrum, Senensem patria, religione insigni et miraculis insuper clarum virum, nuper obeuntem, multa de multis inter quos de utroque nostrum aliqua prævidisse, idque tibi per quemdam (nempe Joachimum) cui hoc ille commiserat nuntiatum. » Sed his plura, ut diximus, suo loco agemus. Autor quoque Vitæ S. Bernardini recensens viros illustres qui sodalitatem B. Mariæ apud Senas sua pietate his temporibus decorarunt, inter eos numerat « Petronium de Petronibus, qui Cartusiensis postmodum effectus, Religionem eamdem illustravit. »

Apud Bolland. xx Maii.

OBITUS PETRI DE PORTA, PRIORIS VALLIS BENEDICTIONIS.

III. Hoc pariter anno, die 14 Junii, pie etiam decessit Petrus de Porta ex prioratu Vallisbonæ quondam a Patribus assumptus, ut novam monachorum Cartusiensium coloniam ad Innocentium VI, Vallis benedictionis Domus fundatorem, duceret et regeret. Vir erat piissimus ac doctissimus, omnique virtutum genere, quæ et monachum Cartusiensem et pastorem egregium faciunt, ornatissimus; qui cum per aliquot annos utrumque commissæ sibi Domus statum strenue promovisset, Innocentio fundatori acceptissimus evasit; adeo ut ipse summus Pontifex vacanti suæ Ecclesiæ Avenionensi, cui pastorem a sua ad sedem Apostolicam promotione dare distulerat, nostrum Petrum præficere decreverit. Designatur

igitur a Papa episcopus Avenionensis, sed subitanea morte correptus, ad altiorem Sedem evehitur. Forsan ille est Prior de quo noster Calkar scribit, quod audita de se in episcopum facta electione, mortem a Deo petiit et obtinuit. Petri obitus legitur in Charta anni sequentis, cum beneficio tricenarii per totum Ordinis et associationis cum primo Anniversario.

ANNUS 1361

De progressu Ordinis Cartusiens. ms.

Die 2 Septembris vel 29 Octobris, ut alibi legitur, placide expiravit Gerardus de Noviomago Gelriæ, ante ingressum Ordinis canonicus ecclesiæ SS. Apostolorum apud Coloniam Agrippinam. Fuit vir venerandus et ætate et virtute, quem Chronica Trevirensis et Argentinensis Domorum appellant monachum et pastorem vere dulcem et pium, cunctisque gratum et amabilem. Præfuit successive per multos annos sapienter et utiliter præfatis Domibus et Domui sanctæ Gertrudis in Hollandia; factusque senex prioratus onus dimisit, coactus nihilominus officium Vicarii exequi usque ad obitum.

et Gerardi de Noviomago,

IV. Hoc pariter anno, sancte moritur veneranda mater Maria dalphina, Humberti de Turre et Annæ Dalphinatus hæredis filia, et Humberti ultimi dalphini amita. Hæc natalium splendorem majori luce virtutum superans, habitum nostrum circa annum 1310 induit in parthenio Saletarum a parentibus suis fundato. Votis emissis, ea cum laude conversata est, ut paucis post annis ad ejusdem Domus gubernaculum assumpta fuerit. Jam per 48 annos, singularis prudentiæ dono insignita suis præfuerat, cum die 27 Octobris, absolutis vespertinis precibus, dum cellulam repeteret, in peristylio prolapsa, hoc casu funestissimo paulo post animam exhalavit ; relicta quæ adhuc perseverat apud Moniales hujus cœnobii sanctitatis opinione. Ferunt duos viros senecta venerandos ejusdem diei mane ad claustri fores adstitisse, et coram multis Sorores ingentem jacturam eadem die facturas prænunciasse ; statimque recedentes, post diligentem perquisitionem ab inquirentibus minime repertos. Unde fama etiamnum est apud eas, cœlestes fuisse nuncios a Deo mis-

VEN. MATER MARIA DALPHINA MORITUR.

Ex mss. Domus.

ANNUS 1361

sos, ne inopinata matris morte nimium filiæ ejus affligerentur. Mariam jam nostrum Institutum professam fuisse anno 1313 probamus ex Charta capitulari ejusdem anni, in qua Patres sic præcipiunt : « D. Petrus de Augusta qui est hospes in Domo Allionis, vadat ad Domum Balmæ (sic etiam olim nominabatur Saletarum parthenium) ad scribendum Breviarium sorori Mariæ moniali ejusdem Domus, quo completo redeat ad Domum suam Luvigniaci, etc. » In variis Instrumentis ab anno 1330 ad annum 1354 scriptis, vocatur « Venerabilis ac religiosa Domina Maria de Viennesio, monialis ac Priorissa Saletarum. » Et in quibusdam literis donationis ab Humberto dalphino eidem monasterio anno 1334 factæ, quas præ manibus habemus, a Notario dicitur ejusdem Principis amita ; sic enim habet : « Noverint universi, etc... quod anno 1334, Indictione II,..... coram me notario, illustris Princeps dominus Humbertus, dalphinus Viennensis, etc. divinæ considerationis intuitu motus erga illustrem Dominam Mariam de Viennesio ejus amitam, Priorissam monasterii Monialium Saletarum, Cartusiensis Ordinis, et erga dictum monasterium divina præventus consideratione et contemplatione dictæ Dominæ Mariæ, etc. » Idem etiam se legisse asserit eruditus Chorerius in charta anni 1343, quam facile crediderim eamdem esse cujus apographum vidi, datum 4 Decembris ; unde arguuntur quidam qui mendose legentes Annam pro Maria, ex una tres conflarunt, quas etiam fingunt genus ex eisdem Dalphinis duxisse : primam nomine Mariam quam dicunt obiisse anno 1338 ; alteram dictam Annam, quæ juxta eos præerat anno præfato 1343 ; tertiam denique cui nomen Mariæ etiam tribuunt ex Instrumento dato 1348. Sed procul dubio, unica est quæ toto hoc tempore regimen tenuit ad præsentem annum quo, ut diximus, extremum spiritum emisit die 27 Octobris, sicut indicat epitaphium, circa ejus tumulum his verbis exaratum : « Hic jacet felicis memoriæ Domina Maria de Viennesio, filia Humberti dalphini, quæ obiit die XXVII Octobris MCCCLXI. » Christophorus Justel, in *Historia genealogica familiæ Arvernæ* idem

Histor. Dalphin. Tom. I, Lib. II.

epitaphium refert, sed perperam scripsit annum 1338. Nostri enim Patres Monialium directioni præpositi constanter affirmant distincte legi annum 1361. Et certe id convenit Chartæ Capituli generalis anni sequentis in qua obitus illius his verbis designatur tacito nomine : « Obiit Domina Priorissa Saletarum, quæ habet monachatum per totum Ordinem, sexto Calendas Novembris. »

ANNUS 1361

V. Eodem etiam anno obiit Franciscus de Aptis sive Actis, S. R. E. cardinalis, in nostrum Ordinem ita propensus, ut nostra etiam negotia apud Summum Pontificem procurare non despiceret. Electus in episcopum Florentinum, suam Ecclesiam annis undecim sancte administravit ad annum 1356 quo, vel etiam ante, ab Innocentio VI Avenionem ob ratam doctrinam probitatemque evocatus est. Ubi cum moraretur, ejus beneficiorum et autoritatis effectus experti sunt Nostri, qui per Chartam ejusdem anni « domino Episcopo Florentino benefactori et promotori negotiorum Ordinis in curia Romana, concedunt unam Missam de Beata Maria per totum Ordinem. » Paulo post in Adventu Domini, Cardinalis S. Marci ac Major Pœnitentiarius creatus, episcopatum quidem abdicavit, sed nomen Cardinalis Florentini retinuit, ut constat ex nostris Chartis, in quibus vel sub eodem nomine vel sub majoris Pœnitentiarii titulo designatur. Anno 1359 commendatur his verbis : « Pro R. in Christo Patre Summo Pœnitentiario Dom. Papæ, dicatur in qualibet Domo Ordinis Missa de Spiritu Sancto, » et annis sequentibus : « Pro domino Cardinali Florentino, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto. » Et denique in Charta anni 1362 : « Obiit dominus Cardinalis Florentinus, habens tricenarium defunctorum per totum Ordinem. » Obierat anno præcedente circa mensem Septembrem, contagioso morbo Avenione sublatus.

FRANCISCUS DE APTIS, AMICUS ORDINIS, OBIIT.

Ciaconius, in Innoc. VI.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1362.

Clementis PP. VI Ann. 10.	Ordin. Cartus. Ann. 279.	Elisarii Pr. Cart. Ann. 3.

OCTO BULLÆ INNOCENTIO SEXTO NOSTRIS AVENIONENS. CONCESSÆ,

I. REDEMPTORIS annus sexagesimus secundus post mille trecentos surgit cum Indictione quinta decima, quo Summus Pontifex, Innocentius sextus, Ordinis nostri amicissimus, præsentiens se proxime ex hoc mundo discessurum, ut nobis æternum dilectionis suæ relinqueret monumentum, uno et eodem die, II Idus Augusti præsentis anni, octo in novellæ suæ Avenionensis fundationis gratiam dedit bullas, quarum prima in hunc modum est : « Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Fratribus Domus Vallis benedictionis de Villanova Cartusiensis Ordinis, Avenionensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi personas ecclesiasticas et loca divino cultui dedicata, charitatis affectu diligere teneamur ; illos tamen nos convenit speciali gratia prosequi, qui relictis mundanis omnibus, abnegarunt totaliter semetipsos, et sanctæ contemplationis otio incumbentes, student vitæ munditia virtutum Domino jugiter famulari : hinc est quod Nos, vestris supplicationibus inclinati, ut liceat vobis infra Domus vestræ septa seu clausuram habere cœmeterium, in quo (postquam cœmeterium ipsum per aliquem Catholicum Antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, quem ad hoc duxeritis eligendum, in forma Ecclesiæ benedictum fuerit) tam Priorum et Fratrum dictæ Domus qui pro tempore fuerint, quam aliorum Fidelium qui

quarum virtute possunt :

1° Cœmeterium proprium habere.

ANNUS
1362

inibi elegerint sepeliri, corpora tradere sepulturæ ecclesiasticæ, et bona funeralia vel alia quæ ratione corporum prædictorum Fidelium necnon alia quomodocumque vobis legata seu relicta, et obligationes et eleemosynas quas vobis vel dictis successoribus, quavis devotionis, charitatis, seu pietatis causa erogari contigerit, recipere et habere licite valeatis; salva tamen canonica portione de ipsis debita parochialibus ecclesiis vel aliis piis locis, autoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem,... Datum Avinione, II Idus Augusti, Pontificatus nostri anno decimo. »

2° A quolibet Episcopo paramenta sacra benedici facere.

Secunda bulla Dominus Papa Avenionensi Domui speciale privilegium concedit quoad ejusdem Domus ecclesiastica ornamenta benedicenda : « Sacram Religionem vestram, inquit, quam Largitor charismatum tanta benedictionis et gratiæ ubertate perfudit, ut adhuc in terris positi, consortes videamini Civium supernorum, præcipuæ dilectionis sinu placido complectentes, devotioni vestræ in his libenter annuimus per quæ vobis ad divinum cultum facultas commodior tribuatur. Vestris itaque supplicationibus inclinati, episcopo Avinionensi... impedito vel absente seu nolente, infrascripta facere faciendi a quocumque Catholico Antistite gratiam.... vestes sacerdotales.... etc., et alia ecclesiastica ornamenta ad usum Altarium.... dictæ Domus in forma Ecclesiæ benedici, eidemque Antistiti benedicendi ea..... vobis et dictæ Domus futuris Prioribus et Monachis universis tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. »

3° Missam ante auroram dicere.

Hujusmodi est tertia : « Sanctæ Religionis vestræ, sub qua gratum Altissimo famulatum impenditis, sinceritas promeretur ut votis vestris favorabiliter annuamus, illis præsertim per quæ vobis spiritualis salutis proveniat incrementum. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, ut Missam, antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, quam qualitas temporis id exegerit, liceat tam vobis quam aliis Prioribus ac Fratribus vestræ Domus, qui pro tempore

ANNUS 1362

fuerint celebrare ac facere celebrare, ita quod id nec vobis nec sacerdoti ad culpam imputari valeat, devotioni vestræ autoritate præsentium indulgemus; proviso quod raro hujusmodi concessione utemini, quia cum in altaris officio immoletur Dominus noster Dei filius Jesus Christus, qui candor est Lucis æternæ, congruit hoc non fieri in noctis tenebris, sed in luce..... »

4° A quocumque episcopo Ordines suscipere.

Quarta bulla Innocentius concedit Villænovæ Domus Monachis Ordines sacros a Diœcesano, vel ab alio quem Prior elegerit Episcopo suscipere.

5° Collectas Nuntiis non dare.

Idem Pontifex quinta bulla suos Avenionenses Cartusienses eximit a procurationibus, decimis, collectis, subsidiis, Nunciis vel Legatis Apostolicæ Sedis contribuendis; ad suam fundationem extendit omnia jam a suis Antecessoribus privilegia universo Ordini concessa.

6° Oratoria privata erigere.

Indulget bulla sexta eisdem Monachis, infra septa Domus oratoria construi facere cum altari super quo possint Missam celebrare, et in eisdem oratoriis divina Officia dicere vel celebrare.

7° Possessiones ad firmam tradere.

Inter Privil. n. 83.

Septimæ bullæ talis tenor est : « Sacra et immaculata vestra Religio (sub qua carnem subdentes spiritui et motus corporis rationis moderamine cohibentes, gratæ servitutis libamina offertis Altissimo) promeretur ut Apostolica Sedes propitiam se vobis exhibeat et in vestris opportunitatibus gratiosam. Vestris igitur commodis paternæ sollicitudinis providentes affectu, ut eo liberius atque quietius cœlestibus vacare possitis, quo minus temporalium penuria vobis fuerit onerosa : vineas, terras vestras.... sub censu, reditu vel pensione annuis in emphyteosim, vel ad firmam per certum tempus aut in perpetuum, aliis concedendi, tradendi..., etc. plenam et liberam autoritate præsentium concedimus facultatem. »

8° Decimas non solvere.

Demum octavam bullam idem Pontifex scripsit in hunc modum : « Inter cunctos Religionis monasticæ professores (quibus veluti rutilantibus margaritis militans coruscat Ecclesia) vestri Cartusiensis Ordinis candidi Nazaræi splen-

ANNUS 1362

dore illustrant eximio Ecclesiam memoratam : vitæ quidem munditia nitidi, fervore charitatis igniti, continentiæ cingulo lumbos succincti, mundo mortui, Christo vivunt. Digne igitur Ordinem ipsum et ejus membra, præsertim nostram Domum Vallis benedictionis de Villanova.... Apostolicæ benedictionis dulcedine libenter et favorabiliter prævenimus ut, dictæ Domus nova plantatio, opportuni rore irrigata suffragii, a noxiis, autore Domino, præservetur, et felicibus coalescere valeat incrementis. Ea propter, dilecti filii, vestris commoditatibus paternis affectibus intendentes... ut de terris, vineis, hortis (quæ impræsentiarum possidetis sive in futurum poteritis adipisci).... primitias seu decimas non teneamini solvere.... tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Datum Avinione, II Idus Augusti, Pontificatus nostri anno decimo. »

Extat inter Privil. n. 84.

Eodem anno, sacellum SS. Trinitatis in Villænovæ cartusia propriis Innocentii Papæ sumptibus exstructum, a Cardinale de Porta consecratum est.

INNOCENTIUS SEXTUS MORITUR.

II. Obiit autem pius et amator Religiosorum Innocentius Papa VI, Avenione, pridie Idus Septembris hujus anni, hora nona, id est sexta noctis sequentis; sepultus in ecclesia cathedrali Avenionensi, Sanctæ Mariæ de Domis, et postea (XXII Novemb. eodem anno) ad monasterium Cartusianorum, præsente Joanne Franciæ rege et tota frequentia Curiæ, portatus ibique tumulatus. Sequentia de Innocentii tumba, ex Archivis Domus Villæ-novæ extracta, apud Bollandistas reperiuntur :

Ciacon. p. 733. Matth. Villan. Lib. II. cap. 31.

Acta SS. Maii VIII. II. P. fol. 90.

« Dabimus quæ ex cartusiæ Villænovæ Kalendario domestico describenda nobis curavit Domnus F. Maren Cartusianus, simul mittens ipsius pulcherrimi monumenti iconismum, quod et notavit altum esse palmos triginta quatuor et dimidium, latum octodecim cum dimidio, profundum vero sex cum dimidio, intra quod jacet ipse marmoreus : reliquum vero opus ex eo est lapide quem Pernensem nominant a loco unde eruitur in Comitatu Venassino; marmorei etiam sunt statunculi, quibus satis multis hoc monumentum ornatur, ut

ANNUS 1362

In cartusia sua sepultus.

videre est : non item æque facile divinare de singulis quorum Sanctorum sint. Positum est autem in sacello Sanctissimæ Trinitatis. Non tamen in hoc mausoleo jacet corpus, sed metu Hugonottorum, omnia quocumque penetrabant vastantium, et Pontificio nomini infensissimorum, ablatum fuisse significat prælaudatus Domnus Maren; collocatumque, ait, intra crassitiem muri prædictum Sanctissimæ Trinitatis sacellum ab altari majori separantis. Cessante autem metu, non fuerunt iterum ad tumulum relata ossa, sed eidem parieti additum est marmor alte exsculptum. In hoc lapide ad pedes Papalis statuæ, spectantur quæ a fronte spectari nequeunt insignia Pontificia; ex altera vero parte leguntur hæc verba: Hic jacet Innocentius Papa sextus, primus fundator hujus Domus, qui obiit anno Domini MCCCLXII, die vero duodecima mensis Septembris : cujus anima requiescat in pace. »

Ei succedit B. Urbanus V.

Cum autem Innocentius Pontifex ingressus fuisset viam universæ carnis, ad v Kalend. Octobris ei subrogatus est, opera et auxilio cardinalium Talayrandi et Guidonis de Bononia, ac Joannis de Longis Domus Villænovæ Prioris, Guillelmus Grimoaldi, abbas Sancti Victoris Massiliensis, Avenione coronatus octavo Idus Novembris dictusque est Urbanus quintus.

INITIA DOMUS CASTRENSIS.

III. Circa præsentem annum nova erecta est Castrensis Domus, de qua sic loquitur D. Amabilis Chatard in sua ms. Historia cartusiarum Lupateriensis et Castrensis : « Vigesima prima Julii die anni supra millesimum ter centesimi sexagesimi primi, egregius vir dominus Raymundus Saysse, civis Castrensis civitatis, parturivit effectu quam tribus annis in mentis utero gestaverat devotionem; et testamentum condens illius cartusiæ edidit fundationem*, cujus ædificiis inchoandis et ad culmen deducendis totam materiam lapidum, tegularum, clavorumque a se preparatam legavit; operis impensis duo millia florenorum auri designavit; victui vero ac vestitui Monachorum et eorum rei familiari fovendæ 60 frumenti sextaria, vini sarcinatas 60, et 50 turonenses libras annui ac perpetui reditus quoad vivere donavit; et si absque

* in loco dicto Bossacum.

liberis decederet aut posthumos non relinqueret, fundatum a se Conventum sibi ex asse hæredem fecit. Egregium pietatis opus sic testamento decrevit : quod paulo post e vivis excedens dimidiam sui partem, dominam Centuliam de Bretis (uxorem ejus) superstitem relinquens, sua morte confirmavit. ANNUS 1362

« Brevi post Raymundi obitum, unius circiter mensis intervallo, Reverendus Pater Elisarius, cum defuncti extremam in Conventus destinata fundatione, ac hæreditaria institutione voluntatem rescisset, ocius mandavit V. P. Bernardo Botas, Lupateriæ Cartusiensium Priori, ut Castra quamprimum se conferret, ad adeundam, suo ac totius Ordinis nomine, Raymundi hæreditatem. Ille jussa suscipiens quam citissime implevit, et nona Septembris ipsius anni die, tanquam Raymundi hæres de Castrensis autoritate Curiæ in omnium illius rerum possessionem admissus fuit. Eodem tempore domina Centulia a Domino evocata, apposita est ad virum suum, cujus cœpta conjugali amore prosequens, dimidiam hæreditatis suæ partem Conventui de Bossaco, ex testamento intra Octavam Nativitatis beatæ semper virginis Mariæ condito, reliquit.

« Dictus Raymundus inter cætera boriam de Bossaco, Saxiensi pago conterminam juxta Acutum flumen, dimidia circiter leuca distantem Castris, amplissimo et optimo solo, fundi pinguedine ac situs amœnitate præditam, a Deo acceperat; quam ut optima quæque quondam Abel de primogenitis gregis sui Deo dedicans, Cartusiano Ordini in Domum testamento destinavit. Hunc locum, cui prius de Bossaco nomen erat, præclari autores operis, Majores nostri, nobiliori signaturi nomine, cum cernerent nihil in eo nisi bellum videri, *de Bellovisu* vocari voluerunt. Mariæ virgini Deiparæ, qui primarios huic Domui et ecclesiæ lapides posuerunt et suum in eam exornandam laborem contulerunt, totum dedicarunt, cum ei non solum de Bellovisu nomen indiderunt, sed insuper B. Mariæ de Bellovisu esse propriam Domum voluerunt. *De Bellovisu dicta.*

ANNUS 1362

« Præsenti anno (1362) Domnus Botas a comite Joanne (in cujus dominio erat sita) terræ de Bossaco amortizationis literas impetravit; et anno sequenti, cum dominus Arnulphus, Franciæ marescallus, in partibus Occitanis moram faceret et vices Regis ageret, ad eum accedit et facultatem Conventus erigendi in loco de Bossaco, et bona usque ad 50 turonenses et annuas libras intra Tholosæ et Carcassonæ senescallias acquirendi et possidendi petiit et gratis accepit. » Hæc noster Chatard.

Approbante Comite Castrensi.

Episcopi Castrenses insignes fuerunt hujus Domus benefactores. Inter Magnates qui nascenti plantationi maxime foverunt, Joannes comes Castrensis primum meruit locum, qui primus omnium licentiam dedit novæ fundandæ cartusiæ in hæc verba : « Nos Joannes Dei gratia comes Vindocinensis et Castrensis, cupientes et desideranter affectantes eorum participes fieri quæ ad virtuosa et maxime spiritualia opera disponuntur, ad humilem et devotam supplicationem dilecti et fidelis nostri Raymundi Saisse burgensis de Castris, desiderantis ad Dei omnipotentis et beatæ gloriosæque Virginis matris et Sanctorum suorum laudem pariter et honorem, pro salute animæ suæ parentumque et prædecessorum ejusdem ac fidelium omnium defunctorum, ac divini cultus augmentum, in boria sua vocata de Bossac, sub parochia beati Petri, infra territorium et pertinentias civitatis nostræ Castrensis situata, vel alibi in solo suo proprio jam acquisito vel quovis titulo per eum acquirendo, in dicta civitate et pertinentiis vel territorio ejusdem, ædificare et fundare ecclesiam, monasterium seu conventum religiosorum Fratrum monachorum Cartusiensis Ordinis, qui ibidem die ac nocte divina habeant Officia celebrare; pro fundatione et sustentatione alimentorum Fratrum ipsorum perpetua, dictam boriam, fructus quoque, exitus et proventus et alia quælibet emolumenta ejusdem, domos videlicet, terras cultas et incultas, prata, ripparia, hortos, vineas et nemora, aliasque proprietates quascumque ejusdem boriæ, cum omnibus juribus, ingressibus et regressibus, aliis quoque suis undique perti-

Apud Molin. p. 517.

nentiis universis, una cum 60 summatis vini boni et puri annui et perpetui reditus, ad mensuram nostræ civitatis prædictæ, et 60 sextariis frumenti ad eamdem mensuram annui et perpetui reditus ; necnon et 50 librarum turonensium bonæ et fortis monetæ (marcha videlicet argenti pro sex florenis auri puri, fini et boni et recti ponderis computando), similiter annui et perpetui reditus, convertere et deputare in et super reditibus et proventibus ac censibus tam bladi, vini ac pecuniæ et aliarum quarumcumque rerum ; etiam ac fundis juribusque ac denariis quibuslibet et proprietatibus quas et quæ præfatus tenet Raymundus et possidet, ac tenere et possidere usus est in boria sua vocata de Peyros et territorio ac pertinentiis ejusdem et alibi ubicumque : Nos igitur Comes prædictus, præfati Raymundi devotum et laudabile propositum super hoc merito commendantes, pro nobis et omnibus hæredibus et successoribus nostris.... plenam et liberam licentiam et autoritatem duximus concedendam , et concedimus etiam per præsentes. Acta fuerunt hæc in castro de Ruppecurba et in camera domini Comitis antedicti, anno Domini 1359, die Jovis ante festum B. Michaelis, mensis Septembris. »

ANNUS 1362

Dotatio percensetur.

Cum anno 1567 hæc Castrensis Domus ab hæreticis penitus sit destructa, monachi primum Carcassonam fugerunt, dein Tholosam ubi et cartusiam fundarunt, ac tandem iterum Castris consederunt.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1363.

Urbani PP. V Ann. 1.	Ordin. Cartus. Ann. 280.	Elisarii Pr. Cart. Ann. 4.

GRATIA NOSTRIS AB URBANO V DATA,

I. CHRISTI Redemptoris annus agitur sexagesimus tertius post mille trecentos cum prima Indictione, quo Urbanus Pontifex, prædecessorum suorum inhærendo vestigiis, bene de Ordine Cartusiensi et ipse mereri satagens has ad eum encyclicas dedit literas : « Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, ac Prioribus Prioratuum et Domorum aliarum, cæterisque personis Ordinis Cartusiensis, salutem et Apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem ad Nos et Romanam Ecclesiam geritis, non indigne meretur ut petitionibus vestris, illis præsertim quas ex devotionis zelo prodire conspicimus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est quod Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut liceat vobis et successoribus vestris habere altaria portatilia, cum debita reverentia et honore, super quibus in Domibus ac grangiis et cellariis et aliis locis congruentibus et honestis, ad Domos seu Prioratus vestros spectantibus, possitis Missam et alia divina Officia celebrare, et in vestra præsentia facere celebrari, devotioni vestræ tenore præsentium indulgemus... Datum Avinione, septimo Calendas Maii, Pontificatus nostri anno primo. »

Inter Privileg. Ordin. n. 85.

de altari portatili.

BALDUINUS DE VOS, MONIALIUM BRUGENS. BENEFACTOR.

II. « Jam a duodecim annis Virgines Cartusianæ, parthenio Gosnayensi relicto, Brugas accolebant, cum, hoc anno

1362, vir venerabilis Balduinus de Vos eis, sumptu privato, pulchram ædificavit ecclesiam; cujus ipsemet primum posuit lapidem, die S. Vitali martyri sacro, IV Kalend. Maii; ecclesia autem in festo Decollationis beati Joannis Baptistæ dedicata fuit; opus stat mille CCC grossis. Templi fenestras vitris munivit Balduinus et alia plura dedit, ut sunt: corpus integrum unius ex Undecim millibus Virginibus et thuribulum magnum cum navicula ex argento. Præterea facere fecit Crucifixi imaginem ad demensionem corporis Jesu-Christi et armarium ad mensuram Dominici sepulchri; sanctuarium exornavit, et quatuor galileas construxit: quæ ante ejus mortem cum non essent perfectæ, moriens dedit ad eas complendas centum libras grossorum, quas tamen ejus filii mutarunt triginta quatuor arpentis terræ in Hazenbroeck. Balduinus præterea multas fecit eleemosynas et charitates, ita ut, in totum, huic parthenio 3200 libras grossorum dederit. Nomen jure primi fundatoris habet, attamen ab ejus parentibus Moniales nostræ abundantes eleemosynas receperunt: quibus ipse Deus mercedem retribuat!

ANNUS 1363

Ex Chronic. ms. Domus.

« Ad gradum Majoris altaris jacent, Balduinus de Vos qui hanc (ut supra dictum) ædificavit ecclesiam; et juxta eum Joannes Peuten, amicus noster, qui dedit crucem quam in sepultura sororum deferimus, et capsam SS. Trinitatis. » Hucusque Chronicon ms. Monialium S. Annæ prope Brugas.

MARGARITA ARTESIÆ COMITISSA MONACHIS DE GOSNAY BENEFACIT,

III. Inter præcipuos Monachorum Gosnayensium fautores, qui circa hæc tempora hanc Domum suis affecerunt beneficiis, veniunt dominus de Montagu (qui hoc anno 1363 obiit) et Margarita dominæ Fundatricis neptis: de quibus in Chronico ms. cartusiæ de Gosnay, sub quarto Priore, hæc leguntur: « Quartus Prior fuit Richardus Geret, professus Domus hujus, observantiæ regularis admodum tenax, orationi internæ multum deditus, et ut ei liberius vacaret semper optabat secretum; propterea dulcedinem cellæ laboriosis Marthæ negotiis præferens, maluit cum Maria sedere solitarius ad pedes Domini, quam circa multa occupari; liber igitur ab officio, anno Domini 1360, magno animi fervore in hac

ANNUS 1363

Domo suæ professionis vacavit soli Deo, in silentio et quiete, usque ad annum Domini 1394 quo obiit Jubilarius. Hic venerabilis Pater plurimum suspiciendus est a nobis quia sua conversatione multum profuit huic Domui nostræ; nam cum comitissa Margareta (Mathildis neptis, et filia natu maxima Joannæ quæ nupserat Philippo Longo Francorum regi) in hoc castro sedem fixisset, religiosa Patrum nostrorum conversatione plurimum delectata, maxime vero piis V. Patris nostri Richardi colloquiis permota, multa jura quæ in hoc castro habebat, cessit Patribus nostris, prout habemus in Literis sigillo ejus munitis in eodem castro, anno Domini 1365, 29 Septembris, et eodem anno confirmatis a filio ejus Ludovico comite Flandriæ, duce Brabantiæ, Brugis 28 Novembris; et iterum ratificavit omnia ista concessa eadem comitissa Margareta anno 1367, 29 Aprilis, in hoc castro de Gosnay. Item eadem Comitissa concessit Patribus nostris potestatem emendi et acquirendi cum amortizatione in Literis sigillo ejus munitis Atrebati, anno Domini 1366, quarto Januarii. Nec minori affectione ferebatur erga Moniales vicinas, nam fundum de Caumont necnon de Ballin in villa d'Aubin aliaque beneficia summa liberalitate illis contulit; quin et dominus de Montagu, supradicti Ludovici œconomus, cum frequentaret Domum nostram cum suo domino Ludovico, conspecta Patrum nostrorum modestia ac pietate, bona contulit nobis, ac ornamentum ecclesiæ de quo pendebant ejus insignia, cum honore quatuor Anniversariorum annuatim. Obiit vir bonus anno 1363, die 9 Martii, sepultus a sinistris Fundatoris.

et monialibus ejusdem loci.

Vid. ann. 1329.

Ejus filii utramque Domum protegunt.

« Postea audientes isti boni nos molestari, non solum verbis sed et injuriis, ab hominibus malevolis, severe mandarunt omnibus officialibus suis sub gravi pœna ut nos protegerent, etc.... Datum Insulis anno Domini 1383, mense Martio. Ista omnia privilegia, concessa sive a matre sive a se, approbavit, confirmavit et rata habuit filius ejus Philippus, anno 1386, mense Octobri, Insulis; ipsa præsente in testimonium suæ dilectionis. Postremo comitissa Margareta,

mater istorum Principum, manifestare volens quantum sibi placeret nostra religiosa conversatio, pietas ac rigor observantiæ regularis, exemit Patres nostros ab omni impositione tributi, vectigalis, etc..., ac eos immunes ac liberos declaravit, nec non libertates eorum auxit sicut continent Literæ ejus sigillo munitæ anno 1372, 10 Julii, Hesdini. Istud privilegium fuit ratificatum ac confirmatum ab ejus filio Ludovico anno 1392, 4 Julii. » ANNUS 1363

IV. Hoc anno, die 10 Maii, obiit Audoinus Alberti, summi Pontificis Innocentii VI fratris filius, natione Gallus, patria Lemovicensis ; qui, cum rexisset Ecclesias Parisiensem et Antissiodorensem et Magalonensem, ab Innocentio VI patruo suo, anno 1353, presbyter cardinalis SS. Joannis et Pauli primo, mox episcopus Ostiensis renunciatus est. Cadaver ejus tumulatum fuit apud Cartusianos Villænovæ, ut refert Necrologium Cartusianorum, cum hac inscriptione, ipso mandante, cælata : OBIIT AUDOINUS ALBERTI CARDINALIS.

Lapide sub hoc modico jacent omnia viscera
Dicti Ostiensis A., dum vivebam in vita mea.

Audoinus nec non et Arnaudus Alberti, episcopus Carcassonensis, ejusdem familiæ, plurima conjuncta prædia ecclesiæ Fratrumque Conversorum hortis contigua, sumptibus suis compararunt, comparata huic Domui dicarunt, dicata demum a rege Joanne amortizari studiose curarunt. Qui quidem Rex hanc cartusiam a tribus eminis hordei, et quatuor cum triente tritici, sex pariter turonensibus denariis absolvit : ita tamen ut florenum Florentinum quotannis persolveret, quod etiam Carolus dicti Joannis filius benigne approbans, privilegia a patre suo huic Domui impertita anno 1449 confirmavit. Sedavit insuper nonnullas controversias, quæ exortæ fuerant eo quod Magistratus reum quempiam intra monasterii vineam invasisset. Dedit et huic Domui ille optimus cardinalis Magalonensis Audoinus palatium quod dono a patruo suo Innocentio acceperat, aream insuper, hortum, aliaque prædia superiori vineæ nobis ascripsit. Quibus omnibus a prædicto *Qui multa dedit cartusiæ Avenionensi,*

ANNUS 1363

Joanne anno 1362 mense Decembri amortizatis, Carolus ejus filius assensit, his tamen legibus ut ei florenum Florentinum in singulos annos persolveretur. Glanderiensi pariter Domui multa idem Audoinus concessit ibique sepeliri voluisset (si extra muros Avenionenses fuisset mortuus), quia in hac cartusia patris et matris ejus corpora jacebant.

et Domui de Glanderio.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1364.

Urbani PP. V	Ordin. Cartus.	Elisarii Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 281.	Ann. 5.

I. CHRISTI annus sequitur millesimus trecentesimus sexagesimus quartus, Indictione secunda, quo Domum Cataniæ, extra mœnia ejusdem urbis in Sicilia ad occidentem sitam, in Monte Novæ Lucis vocato (ubi anno 1169 post ingentem terræ motum lux magna coruscaverat et vox audita est) a fundamentis erexit Artalis de Alagona, comes Mistrettæ, Siciliæ Magister-Justitiarius, et ampla dote insignitam in Marianis, id est, B. Mariæ sacratis monasteriis computari voluit, dato nomine sanctæ Mariæ a Nova Luce. Quonam vero tempore hæc Domus fundata vel inhabitari cœpta sit, non satis constat apud Autores. Circa annum 1356, a Friderico III Siciliæ rege, prædictus Artalis suæ fundationi impetravit quædam cum monasteriis Sanctæ Mariæ de Licodia et SS. Leonis et Marci privilegia communia quæ anno 1361 in hæc verba confirmata sunt : INITIA DOMUS CATANENSIS.

« Fridericus, Dei gratia rex Siciliæ et Athenarum, et Neopatriæ dux. Si regiæ dignitati est congruum religiosas ecclesias catholicosque conventus sub divino Numine et Domini nostri Jesu Christi fide fundatos ampliare continuo largitionibus gratiarum; multo magis est debitum monasteriis divino cultui dedicatis, quæ Dei inspiratione de nostrorum fidelium facultate, de novo devotis operibus construuntur, Regii brachii porrigere dexteram adjutricem : præsentis ita- Ex Archiv. cartus. Calabritanæ.

ANNUS 1364

que privilegii serie universis volumus esse notum, quod nobilis Artalis de Alagona, comitatus Mistrettæ dominus, Magister-Justitiarius, consanguineus, consiliarius, familiaris et fidelis noster, præsens nuper coram Majestatis nostræ conspectu, tam pro se, quam pro parte Prioris et Monachorum monasterii Ord. Cartusiensis, unius integri Conventus, quod sub vocabulo *S. Mariæ de Nova Luce* in territorio civitatis Cataniæ per dictum Nobilem de novo fundatur, humiliter supplicavit, ut eidem monasterio notabili ordine de novo surgenti, privilegia, immunitates et gratias, quæ communiter per illustres Principes bonæ memoriæ prædecessores nostros solent ut plurimum esse concessa et clementer indulta, gratiose conferre et benigniter indulgere nostra Serenitas dignaretur. Qua supplicatione ob reverentiam divini Numinis exaudita, eidem monasterio omnes exemptiones, immunitates et gratias, ac omnes libertates et privilegia vetera, quæ de communi consuetudine regni nostri nostrorumque Prædecessorum, monasteriis hujusmodi seu conventibus Monachorum concedi et gratiose conferri exstitit consuetum; maxime gratias et immunitates singulas monasteriis et conventibus S. Mariæ de Licodia et Sanctorum Leonis et Marci, hactenus ex nostra et supradictorum Prædecessorum liberalitate donatas, de mera gratia, munificentia regia et munere speciali, eidem monasterio Ordinis Cartusiensis, et gratiarum cumulum et præmium nostræ Majestatis insigne una simul et pariter duximus concedendas. Volentes, et universis Officialibus Curiæ nostræ præsentibus et futuris mandantes expresse, quod prædicta privilegia et immunitates eidem monasterio, ut præmittitur, supra collata, in omnibus studeant observare; nullique sit licitum sub quovis prætextu, occasione vel causa contra præsentis concessionis nostræ continentiam aliquid attentare. In cujus rei testimonium, præsens Privilegium exinde fieri fecimus, nostri pendentis sigilli munimine roboratum. Datum Messanæ per nobilem Henricum Rubeum de Messana, comitem Aydoni, dicti regni nostri Cancellarium, familiarem et fidelem nostrum.

Privilegium Friderici regis in ejus favorem.

ANNUS 1364

Anno Dominicæ Incarnationis 1360, Indictione tertia decima, die primo Septembris. »

Cum mense Septembri Indictio inciperet, præsens Instrumentum circa finem 1360 vel 1361 datum est, quo jam anno Conventus integer, id est Prior et XII Monachi, in Cataniensi Domo erat.

Hæc Friderici regis privilegia, sub generali clausula, ut in laudato diplomate videre est, fuerant indulta ; Artalis autem timens ne gratiæ illæ « concessæ sub generalitate » postea in dubium vocarentur, Regem ut omnia « declararet sub particularitate distincta » rogavit, cujus ille precibus benigne annuit, his literis anno 1364 datis : « Nuper, inquit, dominus Artalis, verens ne in dubium tractu temporis verteretur, quæ et quales immunitates et gratiæ eidem monasterio Ordinis Cartusiensis per Excellentiam nostram forent sub hujusmodi generalitate concessæ, iteratis precibus supplicavit ut prædictas libertates et gratias declarare sub particularitate distincta benigniter dignaremur ; quibus supplicationibus exauditis, quia Celsitudinis nostræ propositum est exemptiones, immunitates et beneficia quæ per nostram Excellentiam conferuntur, magis ecclesiasticis ædificiis et personis esse firmiter et sine ambiguitate mansura, præsentis privilegii serie expressius declarare eidem monasterio supradictas gratias de munificentia liberali duximus : in perpetuum concedentes, ut quod in omnibus terris et territoriis nostri Dominii trimilia pecudum et trecentæ vaccæ dicti monasterii pascua sumere valeant libere absque solutione cujuscumque dirictus, et exempti ab onere cujuslibet servitutis ; item quod dictum monasterium per se et Procuratores suos in omnibus civitatibus, terris et locis nostri domanii possint vendere et emere res eis necessarias libere ab omni jure dohanæ et a juribus cujuscumque dirictus : item quod dictum monasterium habere debeat annuatim de ærario terræ Leontinæ duo cantaria piscium, unum videlicet tenclarum et alterum anguillarum recentium vel salatarum juxta electionem eorum prout erit abritrium voluntatis : item quod prædictum mona-

Privilegium regium specialius confirmatur.

50 libræ piscium conceduntur,

ANNUS 1364

sterium per se vel Procuratores suos habeat et habere debeat annuatim a tonnariis urbis Panhormi 4 butticellas tonninæ, de his videlicet annuis butticellis quæ prædictis monasteriis S. Mariæ de Licodia sanctorumque Leonis et Marci ex dictis tonnariis communiter exhibentur : item volumus et præsentis privilegii autoritate jubemus quod tam prædictum monasterium quam ejus Procuratores et Factores sint in eorum bonis et rebus immunes, liberi et exempti quibuslibet angariis vectigalibus, mutuis et exactionibus, juxta qualitates temporum forsan imponendis sub quovis prætextu aut quacumque occasione vel causa ; item quod prædictum monasterium tam per se quam per ejus Procuratores et Factores aliquatenus non cogantur ad exactionem aliquam jurium debitorum pro exituris rerum, quæ eis sunt ex eorum laboribus et arbitrio proventuræ, quinimo eas possint ad libitum eorum extrahere libere et sine alicujus solutione dirictus aut jurium quorumcumque. In cujus rei testimonium præsens privilegium exinde fieri fecimus nostri sigilli munimine roboratum. Datum Messanæ per nobilem Henricum Rubeum de Messanas, comitem, Aydoni dictique regni nostri Cancellarium, consiliarium, familiarem et fidelem nostrum. » Istarum literarum conscriptor cum errasset, IV butticellas tonninæ pro XXIV ponendo, comes Artalis de hac re Fridericum, fecit certiorem, qui attendens quod Cartusienses nunquam carnibus vescantur, alias hujuscemodi dedit tabulas : « . . . . et Majestati nostræ humiliter supplicavit [Artalis] ut, cum, consideratis dicti monasterii conditione et qualitate ac Monachorum et Fratrum in eo degentium et ad divinum cultum deputatorum numero, prædictæ quatuor butticellæ tonninæ non essent eidem monasterio suffecturæ, eo videlicet quod secundum dicti Ordinis observantias et Statuta, vetitum est vesci carnibus omni tempore Monachis supradictis, unde sublato carnium usu eidem monasterio, numerum ipsum butticellarum tonninæ ampliari et augeri censetur non modicum opportunum, unde dicti Monachi possint vitas eorum Christi obsequio deditas habilius sustentare, cum de nostræ

eo quod Cartusienses nunquam carnibus vescantur.

Majestatis intentione et proposito fuerit tempore concessionis dictarum immunitatum gratiarum et privilegiorum factorum dicto monasterio eas facere prout et quemadmodum monasterio Licodiæ, ut prædicitur, sunt concessa; quia constat nobis specifice eidem monasterio Licodiæ butticellas viginti quatuor ex dictis tonnariis esse concessas, et eas anno quolibet exhiberi, et sic subsequenter satis manifeste apparet quod numerus dictarum butticellarum quatuor fuerit inadvertenter appositus et minime juridice : . . . eidem monasterio ex nunc in antea in perpetuum munificentiæ nostræ gratia 24 butticellas de taglio Panhormi cum piscibus et sale, prout et quemadmodum monasterio S. Mariæ de Licodia et S. Nicolai de Arenis ac SS. Leonis et Marci Ordinis S. Benedicti, ejusdem diœcesis, hactenus per nostram Excellentiam est concessum, ex tonnariis nostræ Curiæ dictæ felicis urbis Panhormi anno quolibet duximus concedendas. In cujus rei testimonium, præsens privilegium exinde fieri fecimus nostri sigilli munimine roboratum. Datum Messanæ per nobilem Vinchiquerram de Aragonia militem, regni Siciliæ Cancellarium, consanguineum, familiarem et fidelem nostrum, anno Dominicæ Incarnationis MCCCLXV, vigesimo quinto Aprilis, tertiæ Indictionis. » ANNUS 1364

Hæc Catanensis Domus per paucos tantum annos nostræ fuit observantiæ, ut dicemus anno 1381.

II. Circa hunc annum Ludovicus, Hungariæ rex, filius Caroli II quondam Hungariæ regis, Domum Vallis S. Michaelis ditissime fundavit cum magnis privilegiis, prope Lewl sive Leweld, Vesprimensis Comitatus, juxta Strigonium in Hungaria. Obiit dominus Fundator anno 1382. Quatuor post annis, ejus uxor a Joanne Hornato in aqua demersa moritur. Cum ejus funeri aliquot ex nostro Ordine Monachi adfuissent, dure a Capitulo generali reprehensis, pœnitentia gravis eis imposita est. Hæc Domus quæ viginti quatuor Monachos alebat, et insuper 200 milites sustentare contra Turcas tenebatur, ad annum usque 1543 perduravit, quo, Strigonio ab istis nefandis Ecclesiæ hostibus capto, paulo post derelicta est. DOMUS PROPE LEWL FUNDATUR.

ANNUS 1364

In Charta Capituli generalis 1365 legitur : « Pro domino rege Hungariæ et quibusdam aliis Principibus fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto. »

Quorumdam hujus Domus Priorum nomina ex Chartis Capituli generalis exscripsimus.

Obiit D. Joannes de Mergentheim 14 Kalend. Maii.

Obiit D. Sigismundus.

Obiit D. Joannes. Abinde usque ad annum 1488 inclusive per singulos annos in Chartis Capituli generalis habetur : « Priori Domus Vallis Sancti Michaelis in Leweld non fit misericordia. »

ELISARII MIRA SIMPLICITAS.

Brevis Histor. sub XXIII Priore.

III. Præsenti describenda sunt anno quædam de nostri Elisarii simplicitate et humilitate : « Super omnia autem in factis et verbis suis sine aliqua fictione tam simpliciter et humiliter se gerebat, quod in multis nimium videbatur excedere, quasi statum suum dedeceret. Quod cum sibi a Fratribus quandoque diceretur, ipse ex hoc in nimium risum resolutus aiebat : Sine dubio nimis sum rudis. Erat enim nepos Anglici cardinalis Mimatensis qui eidem nepoti suo aliquando ex certis causis scribere consuevit, cujus etiam literis licet invitus nonnunquam rescribere cogebatur. Et tunc ex industria tam simpliciter et in parvissima pagina eidem Cardinali rescripsit, quod ex hoc ab ipso despici arbitrabatur. Cum vero Dominus Cardinalis, Prioribus seu aliis Ordinis Personis literas eidem ex parte Prioris deferentibus responderet se ulterius dicto nepoti suo non scripturum, eo quod per modum scribendi eum contemnere videbatur ; ipse pius Pater, hoc audito, in magnum risum resolutus dicebat : Sine dubio beneplacet mihi quod non scribat mihi amplius, quid enim mihi ad ipsum ? Faciat ipse facta sua, meque dimittat in pace. Non enim, si voluisset, ei defuisset materia curiose dictandi, quia bene intelligens erat et litteratus ; sed in se corde humilis ipse se despici et omnino nihil reputari cupiebat. » Ita Autor *Brevis Historiæ* quem quidem in nonnullis corrigendum arbitramur. Noster enim Elisarius non nepos, sed patruus erat Anglici Grimoardi ejusque fra-

Patruus erat Summi Pontificis Urbani.

tris Urbani V Papæ. « Patruum habuit (Anglicus), ait Baluze, Helisarium Grimoardi, Priorem Cartusiæ, ut vulgo tradunt Autores. » Insuper Anglicus XVIII die Septembris anno 1366 Cardinalis creatus est, et Elisarius defunctus in festo S. Barnabæ anni sequentis ; unde ista epistolia « in parvissima pagina » haud frequenter scribere potuit Elisarius Anglico cardinalatu insignito ; quin imo hic nondum erat Cardinalis, quum de Priore Cartusiæ conquerebatur.

ANNUS 1364

Vitæ PP. Aven. I. 995.

IV. Præsenti anno, die XVII Januarii, Avenione moritur eminentissimus cardinalis Talayrandus, cui (ut verbis utar Statutorum) « concessum fuit tricenarium quod singulis annis venit celebrandum circa festum B. Antonii. » Literæ concessionis hujus tricenarii, ex quibus illud habere meruit, combustæ sunt cum Cartulario antiquo. De hoc tricenario sic noster Molinus : « Latuit ad hanc ætatem singulare beneficium hujus Cardinalis, et latet pro quo vel pro quibus promeretur illud tricenarium perdurabile. »

TALLAYRANDUS CARDINALIS MORITUR.

Statut. Nov. I. P. C.XXXVI, 14.

pag. 496.

*JESU CHRISTI

ANNUS 1365.

Urbani PP. V	Ordin. Cartus.	Elisarii Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 282.	Ann. 6.

HENRICUS KALKAR INTER NOS ADSCISCITUR.

I. MILLESIMUS trecentesimus sexagesimus quintus annus salutis, tertia Indictione, sequitur quo Henricus Kalkariensis, cognomento Œgher, ex Cliviæ ducatu originem trahens, theologus Parisiensis, summæ eruditionis et in Cæsaris Insula Coloniæ ad divum Georgium canonicus, in Cartusianorum numerum adscitus, professionem emisit in Domo Coloniensi, e qua ad aliarum præfecturam postea evocatus fuit. Sic ipse de his rescribit Patri Joanni Dotzio cartusiæ Moguntinæ professo : « Primo, (1368) inquit, fui indignus Prior in Domo Arnhemiensi per annos quinque. Postea vero (circa 1373) Rector præfui per totidem plus minus annos Domui Ruremundanæ. Inde vero (anno 1377) Prior Coloniæ septem annis. Denique (1384) Argentinæ annis bis senis : ac per annos viginti Provinciæ hujus Visitator. Quinquies insuper fui Diffinitor in Capitulo generali... Visitavi etiam uno anno Picardiam, Galliam et Alemaniam inferiorem : aliquando Visitator Pragæ in Bohemia, et Brunnæ in Moravia... etc » Hæc tamen officiorum onera non prohibuerunt quin ingenii sui monumenta præclara hæc ederet. Scripsit : De ortu ac progressu Ordinis Cartusiensis. Loquagium de Rhetorica. Cantuagium de Musica. De continentiis et distinctione Scientiarum. Epistolas varias ad diversos. Sermones Capitulares breves. Scalam spiritualis exercitii per modum orationis. De Holocausto

Molin. pag. 424.

Ejus scripta.

quotidiano spiritualis exercitii. Librum exhortationis ad Petrum quemdam cartusiæ Confluentinæ religiosum. Modum faciendi Collationes more Cartusiano. Psalterium Beatæ Virginis, 150 dictiones continens.

ANNUS 1365

Venit autem ad Ordinem anno ætatis trigesimo septimo, in quo vixit annos quadraginta tres, quippe qui obiit ætate octogenarius.

Præclare ejusdem meminit Arnoldus Bostius, ita scribens : « Henricus Kalkar, Prior Domus sanctæ Barbaræ apud Ubios, divinæ sapientiæ fulgore peculiariter irradiatus, inimicitias et bellum implacabile vitiis indixit, ac virtutibus quæ solæ fælicitant animam incubuit. Scripsit quoque, priscos sanctosque viros virtutibus æquans, summa laude complura mirum præ se ferentia fervorem, posteris et admirationi et eruditioni futura.... Considerans quoque quod spirantia domesticæ virtutis exempla ad bonas virtutes, decus et gloriam non solum excitant, verum etiam vehementer impellunt, Librum *de Ortu et decursu mirifico sacri Ordinis Cartusiensis* scripsit, copiosa divinæ gratiæ benedictione perfusum, quem per novem et viginti Capitula distinxit : per quos nimirum viros Ordo cœptus, enutritus educatusque sit ; ne scilicet unquam bene merenti laus vera detrahatur. Hunc autem librum hic insignis antiquitatis indagator scripsisse se dicit anno Domini octavo et nonagesimo post mille trecentos; excerptum nimirum ex vetustissimorum sui Ordinis Patrum testimoniis. » Hæc Bostius.

De Viris illustribus Ord. Cartus. cap. XII.

« Habetur vero etiamnum, subdit Petræus, hic Coloniæ in honore locus ille in quo diva Virgo præfato Patri Henrico apparuisse dicitur. Rem ita describit Dorlandus : « Legi ego, inquit, apud veridicum Scriptorem fuisse olim Coloniæ in nostra ibidem Domo monachum, Henricum nomine, virum magna præditum pietate et gratia copiosa. Hic erga sacratissimam Virginem Dei genitricem maximis æstuabat incendiis. Post hanc, beatissimam Ursulam cum undena sua turma miro venerabatur affectu. Unde quadam nocte, cum sopori se dedisset, quædam ex istis Virginibus, immenso

B. Virgo Maria ei apparet.

In Notis ad Petr. Dorlandi Chronicon.

ANNUS 1365

lumine coruscans, e cœlo illi apparuit, in hæc verba prorumpens : Misit me divus Virginum chorus, cui tu semper afficeris, ut te doceam qua debeas laude singulis diebus, salutare ac benedicere Dei Genitricem. Dic :

O Virgo regina virginum,
Summum Trinitatis sacrarium,
Angelorum speculum,
Scala Sanctorum omnium,
Tutum peccatorum refugium :
Cerne, o Pia, nostrum periculum,
In morte tuum placatum
Nobis ostende Filium,
Et tuum vultum gratiosum.

Hanc precem si assidue, inquit, dixeris, divæ Mariæ ac omnium nostrum gratiam assequeris. Ille statim post discessum virginis evigilans, cum laudes ipsas totaliter non retinuisset, supplex cum lacrymis orat ut rursum sua doctrix appareat, laudes ipsas denuo canitura. Elabuntur dies aliquot, adest ipsa virgo quæ prius et obliviosum iterum iterumque informat. Laudis formulam ad integrum receptam, cœli Reginæ quotidie decantat Monachus, non sine ingenti animæ suæ fructu : enimvero expleto aliquanto tempore, illa ipsa quæ hoc docuit præconium, numeroso virginum comitata choro, mirabilique concentu odam supramemoratam ad fratris Henrici magnifice exultantis aures concrepuit. » Hactenus Dorlandus de Henrico, quem Petræus putat fuisse Henricum Kalkariensem.

Chronicon Lib. V, c. 10.

LUDOVICUS REDDITUS DOMUS MOGUNTINÆ OBIIT.

II. Mortuus hoc anno in comitiis generalibus denuntiatur Ludovicus, Redditus sacerdos Domus Moguntinæ, de quo sic Domnus Le Vasseur :

Ephemerid. Cartus. ad diem XXIX Octobr.

« Hujus obitum refert ad diem 29 Octobris in suo *Martyrologio Cartusiensi* Franciscus Ganneron, nulla tamen mentione facta temporis quo vixit ; cum autem nullus hoc nomine recenseatur in Syllabo monachorum hujus cœnobii, quem excerpsimus e Chartis capitularibus, præter duos hujusmodi nominis Priores, magis crediderim hunc esse Ludovicum cujus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni

1365 his verbis : Obiit Domnus Ludovicus, Redditus sacerdos Domus Moguntiæ, habens tricenarium per totum Ordinem. » De eodem Ludovico Dorlandus noster sic agit in Chronico Cartusiensi : « Raro viri seculares nostrum Ordinem (quia paulo videtur rigidior) aggredi tentant, nisi aut superna revelatione aut interna inspiratione permoti. Excipio tamen eos (quod sine gemitu nequit audiri) qui Zabulo instigante, ac Deo permittente, Ordinem subeunt ut vel delicatius vel quietius vivant, vel ut sanctos Fratres tentent, vexent, examinent, coronent. Enimvero quod per se dæmon facere non potest, per sua id sæpe membra molitur. Hos non Spiritus Sanctus, sed diabolus vocavit. At aliter iste, de quo nunc loquimur, sacerdos venit ; qui ante nos fuit Moguntiæ non satis commendatæ vitæ. Unde uno dierum, cum in majori ecclesia Missam celebraret, audivit vocem ad se de supernis illapsam, in hæc verba : Ocyus festina Cartusiensem ingredi Ordinem, et scito te hoc completo biennio, moriturum. Ille non surdus divinæ vocis auditor, animum intendit ; Ordinem intravit et ita vitam ad veram virtutem instituit ut omnes palam adverterent eum fuisse cœlitus destinatum. Ingrediens autem Ordinem, crus secum intulit tabefactum, corrosum undique diuturno vulnere scissum ; quod tamen præter spem cito convaluit, divino medicamine confovente. Vixit vero hic Ludovicus (hoc enim viro nomen erat) biennium totum in Ordine disciplinate plurimum et religiose, ac statim post salutifero fine quievit. »

ANNUS 1365

Chronicon Lib. V, cap. 19.

III. Legitur sequens Ordinatio in hujus anni Charta : « Concessum est per Dominum Papam quod per Octavas Eucharistiæ, dicendo Horas in locis qui nobis infra cellas pro Oratorio assignantur, gaudeamus Indulgentia a jure concessa ac si in ecclesia diceremus. »

ORDINATIO.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1366.

Urbani PP. V Ann. 4.	Ordin. Cartus. Ann. 283.	Elisarii Pr. Cart. Ann. 7.

FESTUM S. BENEDICTI HINC JAM SOLEMNITER CELEBRAMUS.

I. MILLESIMUS trecentesimus sexagesimus sextus incipit annus, Indictione quarta, quo Urbanus V jussit festum sancti Benedicti, cujus Regulam fuerat professus, solemnius agi apud Cartusienses : exinde Charta Capituli generalis ordinavit « festum B. Benedicti confessoris, non tantum *cum Capitulo,* uti mos erat a principio, sed *cum Candelis* amodo celebrari ; ad primas Vesperas psalmi feriales sub unica antiphona *Justum deduxit,* et responsorium magnum *Beatus vir.* » Hæc paulo post immutavit R. P. Guillelmus Raynaldi, ut legimus in Novis Statutis : « In festo sancti Benedicti, quod cum candelis celebramus, ad primas Vesperas super psalmos antiphona *Sint lumbi vestri ;* responsum *Beatus vir.* » In Tertia autem Compilatione : « Festum sancti Benedicti cum celebratur tempore Paschali, in primis Vesperis dicitur responsorium magnum *Beatus vir qui inventus est,* sicut in responsoria festi S. Ambrosii tempore Paschali. »

1. P. Nov. Stat. c. I, 14.

Tert. Compil. c. I, 20.

Quid hæc verba « cum Capitulo, cum Candelis », significent, nescientibus ritum Cartusiensem sat explanaverimus cum quædam ex prima Parte Statutorum nostrorum ad rem pertinentia subjecerimus : « Officium canonicum (apud Nos) quotidie fit Festivale aut Temporale. Porro festivalis Officii quatuor sunt genera, quæ diverso modo diversoque celebrantur ordine. Quorum tria duodecim Lectiones sigillatim ha-

Nova Collect. I. P. c. I. 1, 2.

bent, et quartum tres duntaxat. Ex festis duodecim Lectiones habentibus, unum Solemne seu Candelarum, aliud autem Capituli, tertium vero simpliciter duodecim Lectionum festum vocamus. Temporale autem Officium, aut est Dominicale aut Feriale.

ANNUS 1366

« Festum Solemne celebratur cum Capitulo [i. e. bis in die aulam Capitularem intramus : mane post Primam, Martyrologii lectionem audituri; meridie post Nonam, et tunc vel Evangelia vel Ordinis Statuta recitantur] et Refectorio [etenim quasi perpetuo, paucis diebus exceptis, soli in cellis manducamus], et in eo quatuor *candelæ* seu cerei accenduntur ad utrasque Vesperas, Matutinas et Laudes ; unde etiam festum Candelarum vocatur. Thus in eo adoletur in utrisque Vesperis et Laudibus.... Festum Capituli caret candelarum solemnitate, Capitulum duntaxat et Refectorium habens.... Festum duodecim Lectionum simpliciter illud vocamus, quod sine Capitulo et Refectorio celebratur. Officium vero hujus festi per omnia simile est Officio festi Capituli, nisi quod Matutinæ, Laudes et Vesperæ ejus in Conventu dicuntur ; cæteræ Horæ in cellis. »

Quid, festum Candelarum?

Loco citato c. II. 1.

Ibid. c. III. 1.

Nec mirum videatur quod tam sero festum S. Benedicti more solemnitatum apud Nos celebratum fuerit, nam, licet hunc virum mirabilem et sanctissimum, sicut cæteri Occidentis Monachi, Patrem nuncupare gloriemur et multa ex ipsius Regula assumpserimus, Cartusiani tamen Instituti Patriarcha proprie vocari non potest. Cœnobiticam enim vitam in Occidente ordinavit, eremiticam autem S. Bruno, usibus cœnobitarum aliqualiter temperatam. Sic, juxta S. Benedicti præcepta omnes Horæ canonicæ in ecclesia cantantur; Nos autem partem tantum divini Officii in choro persolvimus, et reliquum submissa voce, privatim, in cellis legitur. Benedictini semper in refectorio comedunt; Nos raro (nam sæpe fit ut per integram hebdomadam ne semel quidem intremus refectorium). Ex Regula benedictina monachi simul laborant, simul lectioni vacant aut studio, simul in communi dormitorio somnum capiunt... ; Cartusienses, e

Inter Regulam S. Benedicti et nostram varietates.

ANNUS 1366

contrario, soli semper habitant, et non modo in cellis distinctis sed et ab invicem notabili spatio separatis.... etc.

DOMUS FLORENTINÆ FUNDATOR MORITUR.

III. Obiit hoc anno, die octava Novembris, nobilis dominus Nicolaus Acciajoli, Domus Florentinæ fundator, de quo tradunt, morte sua proxima a S. Brigitta ei prænuntiata, statim præcepisse, quotidie tres Missas sibi celebrandas, quotidie etiam XII pauperibus victum erogandum et unum carolinum argenteum cuique eleemosynam petenti solvendum. Statuit præterea testamento, centum Missas quotidie per unum annum integrum pro remedio animæ suæ dicendas. In Kalendario Domus Neapolitanæ fit mentio Nicolai his verbis : « Sexto Idus Novembris obitus Magni Senescalli, fundatoris capellarum. Habet in hac nostra Neapolitana cartusia, in qua fundavit quatuor capellas a parte dextera aræ majoris, Anniversarium. » Corpus Nicolai ad suam Florentinam cartusiam asportatum, ibidem fuit humatum juxta altare S. Tobiæ cum hac inscriptione : Hic jacet corpus magni militis D. Nicolai de Acciajoli, regni Hierusalem et Siciliæ senescalli, cujus laudes in ara scriptis versibus adnotantur. Obiit autem Neapoli, et demum translatum fuit corpus suum ad hanc ecclesiam quam vivus ædificavit pro salute animæ suæ et suorum parentum.

Gloria militiæ mansuraque fama suorum,
Offensis alta infundens oblivia læsus,
Fidus consiliis ac ferro in bello tremendus,
. . . .
Quem tulisse parens gaudet Florentina civem,
Hoc, Acciajolum celebri de stirpe creatus,
Sarcophago clausus cineres Nicola reliquit
Hujus et ecclesiæ fundator, liber Olympum
Mense petit, Christi post annos mille trecentos
Ac sex undecies, octava luce Novembris.

CARTUSIÆ AVENIONENSI BENEFACIUNT :

Histor. Cartus. ms. p. 515.

IV. Domus Vallis benedictionis (licet suo principali benefactore, Innocenti VI, orbata), circa hæc tempora plures S. R. E. Cardinales vidit larga manu sibi munera largientes, ut sic edocet Molinus noster : « Reverendissimus Petrus presbyter cardinalis S. Anastasiæ, S. R. E. vice-cancellarius,

ecclesiam Vallis benedictionis sacello in quo humatus est illustrans, claustrum superius, cellulas aliaque ædificia ad usus domesticos necessaria perfecit. Postmodum crucem, tres calices, duoque candelabra, omnia ex argento confecta, libros, altarium ornamenta, variamque supellectilem dictæ Domui exhibuit. Ad hæc palatium suum sanctæ Claræ Avenionensi finitimum dedit. Dedit et 3320 florenos aureos ad emptionem bastidiæ, grangiarum aliorumque prædiorum de Valargue; domum item sui juris in urbe de Roquemort sitam : fundum præterea, vineas aliosque proventus, quos a Bernardo Rasquasi Avenionensi 448 francorum pretio emerat. Insuper 48 libras et 12 asses turonenses annuos quos sibi ab hæredibus Joannis de Annanua 166 francis comparaverat, huic Domui dedicavit. Porro ad ampliorem fundorum et redituum emptionem sex mille florenos aureos Priori in Capitulo Monachorum propriis manibus tradidit. Cumque demum hanc cartusiam in cæteris propriis bonis hæredem ex triente, id est ex tertia parte, scripsisset, prædictorum omnium amortizationem anno 1365, sexto Nonas Julii, a Carolo quinto rege impetravit. Obiit noster reverendissimus Petrus 3 Calend. Junii anno 1385, sepultus in hac cartusia, in suo sacello.

ANNUS 1366

« Anno 1367, mense Octobri, prædictus rex sapiens Carolus V, indulsit Priori Vallis benedictionis ut in dominio regio de prædiis infra seneschaliam de Beauquaire libere et absque ullo publici ærarii incommodo centum librarum turonensium proventus emere posset, dummodo a Monachis duo quotannis Sacra fierent, quorum unum de defunctis pro Joannis patris nuper vita functi anima, alterum pro se *de Spiritu sancto,* quamdiu viveret; postquam autem obiisset *de Requiem* offerretur.

Rex Galliæ

« Reverendissimus dominus Guido de Bononia (de quo superius) vir magni consilii, litteris, bonis moribus ac vitæ integritate conspicuus, plurima huic cartusiæ Vallis benedictionis donavit. Obiit 27 Novembris anni 1374.

et Cardinales multi.

« Reverendissimus dominus Joannes de Novo-castro,

ANNUS 1366

Burgundus vel Hispanus, Ordinis Prædicatorum, ex episcopo Tullensi, cardinalis presbyter, titulo SS. Quatuor Coronatorum, postea Ostiensis et Veliternus, fuit magnus benefactor hujus nostræ cartusiæ. Obiit IV Octobris anno 1398, sepultus in choro Religiosorum cum hac in ejus tumulo inscriptione : Hic jacet Reverendissimus in Christo pater bonæ memoriæ dominus Joannes, miseratione Dei episcopus Ostiensis, S. R. E. cardinalis, de Novo-castro nuncupatus. Cujus anima requiescat in pace. Amen.

« Reverendissimus D. Joannes episcopus Ambianensis, presbyter cardinalis S. Marcelli, vir doctissimus, bonis moribus ac pietate insignis, eleemosynis largus, in rebus gerendis gravis et prudens, et in eisdem conficiendis expeditus, multas eleemosynas huic cœnobio largitus est, ibique sepultus 7 Kalend. Maii. Annus ignoratur.

« Reverendissimus Joannes de Bransaco (vel potius Petrus de Blansaco, ut vult Gallia Christiana), ex episcopo Nemausensi, presbyter cardinalis tituli S. Marci creatus anno 1361 ab Innocentio VI, post episcopus Sabinus a Gregorio XI ; utriusque Juris doctor, vir miræ suavitatis et gratiæ, qui sapientia, prudentia, consilio, plurimum valebat. Migravit ex hoc mundo 8 Idus Julii 1379, sepultus apud Cartusienses Villænovæ. »

*JESU CHRISTI

ANNUS 1367.

Urbani PP. V	Ordin. Cartus.	Elisarii Pr. Cart.
Ann. 5.	Ann. 284.	Ann. 8.

I. MILLESIMUS trecentesimus sexagesimus septimus annus salutis, quinta Indictione inchoatus sequitur, quo Urbanus Papa Domum Cartusiæ personas et bona sub Apostolica protectione suscepit cum exemptione ab omni jurisdictione quorumcumque Ordinariorum perpetuo ; scripto ob idipsum sequenti diplomate : « Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Priori et Conventui majoris Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Sacræ Religionis vestræ, in qua devotum Deo jugiter redditis famulatum, promeretur honestas, ut vos et Domum vestram Cartusiæ, quæ caput et principalior Domus vestri Ordinis Cartusiensis existit, in his quæ vestram et ipsius Domus tranquillitatem respiciunt, Apostolicis gratiis et favoribus prosequamur. Cupientes igitur, ut eo devotius et quietius divinis obsequiis vacare possitis, quo majoribus privilegiis et libertatibus per Sedem Apostolicam fueritis communiti : vestris supplicationibus inclinati, vos dictamque Domum vestram, et omnes et singulas personas quæ sub Religionis vestræ observantia in ea degunt et degent pro tempore ; ac omnia bona et jura ad vos et Domum ipsam spectantia, quæ impresentiarum rationabiliter possidetis, et justis modis in futurum præstante Domino poteritis adipisci, in jus et proprietatem ac sub protectione beati Petri suscipimus

BULLA URBANI V DE EXEMPTIONE.

Inter Privivil. n. 89.

ANNUS 1367

atque nostra, vos ac Domum, personas, bona et jura prædicta ab omni jurisdictione, dominio et potestate Diœcesani vestri, et aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum et Ordinariorum quorumcumque in perpetuum prorsus eximimus de gratia speciali ; ac vos, Domum, personas, bona et jura prædicta decernimus ex nunc in antea soli Romano Pontifici et Sedi Apostolicæ, in spiritualibus, absque ullo medio subjacere ; ita quod Diœcesanus vester, nec quivis alius Ordinarius in vos et Domum ac personas prædictas possint excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias pro causa, potestatem, dominium seu jurisdictionem aliquam exercere : decernentes ex nunc irritum et inane, si secus a quocumque quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione, IX Cal. April. Pontificatus nostri anno V.

Urbanus Romam repetit.

Hactenus exemptorii codicilli Summi Pontificis Urbani, qui postmodum ex Galliis Romam rediit, obsistente quidem Carolo quinto Francorum rege, ut testatur Petrarcha ; at plus valuit Petrarchæ ad Urbanum epistola hortatoria ut Romam repeteret, quam legati ejusdem Regis Franciæ oratio. Urbanus igitur scripsit Marco Venetorum duci cupere se venetica classe Romam navigare. Ille Petrum Trivisanum S. Marci procuratorem cum tribus triremibus Massiliam misit, quibus Pontifex et Cardinales vecti sunt. Extat Petrarchæ ad Boccacium de ea re epistola scripta hoc anno, XIII Calendas Augusti, suo die natali, cum ingrederetur quartum et sexagesimum ætatis annum, his verbis : « Romanus Pontifex, vere, inquam, Romanus Pontifex honorifice nominandus, Urbanus Quintus, quem (ut audire potuisti) anno altero libere quidem, sed fideli epistola, cunctantem increpueram, hoc præsenti anno Ecclesiam Christi quæ ab ortu meo usque ad hoc tempus inter Burdegalos et Pictavos vaga, interque Carpentoractes Avenionesque novissime consenuerat atque torpuerat, illa de fæce eruit et ad sedem propriam reduxit. »

Rer. Senil. Lib. IX. epist. ad Urban. V.

Ibid. Lib. VIII.

R. P. ELISARIUS MORITUR.

II. Eodem anno Reverendus Pater Elisarius, Prior Majoris Cartusiæ, vivendi finem fecit ; de quo hæc Chronicon

Priorum hujus Domus: « Verum cum virtutem et pœnitentiam hujus sancti Patris Deus omnipotens remunerare decrevisset, venit tempus vocationis suæ. Quadam igitur infirmitate a Deo percussus lecto decubuit; cumque, in Conventu et in privato, oratio in Missis *pro Infirmis* continuaretur, et ipse hoc intelligens dicebat : Deus non exaudiat vos, nam et ego cupio dissolvi et esse cum Christo. Sed et filiis suis, Monachis scilicet dictæ Domus, ipsum crebro visitantibus atque eidem sanitatem imprecantibus aiebat : Deus non exaudiat vos. Tunc ecce feria VI, in qua non multum videbatur infirmitate ipsa gravari, misit pro Vicario Domus et Conventu, ab eis humiliter petens Viaticum et ecclesiastica Sacramenta. Super quo ipsi licet nimium admirati quod petebatur, tamen compleverunt: nam eidem (ut postea patuit) fuit revelatum quod feria VI migrare deberet. Et ecce feria VI sequenti, invalescente infirmitate, incœpit fortius aggravari. Cumque eadem die jejunium esset, et post Nonam dictam Conventus comedisset, Conventus congregatus est pro expectatione sui exitus ad cellam infirmi. Sed et cum juxta morem Ordinis ad lectulum ipsius ab uno Monachorum Dominicæ Passiones legerentur, cum ipse se vellet erigere, ac (ut videbatur) manus ad cœlum extenderet, sed per lassitudinem non valeret, cunctis videntibus tradidit spiritum, anno Domini 1367, in die Barnabæ Apostoli, in mense Junio, qui fuit annus octavus Prioratus sui. »

ANNUS 1367

Sub XXVII Priore.

Hic desinit prima pars Chronici Priorum Cartusiæ, a V. P. Henrico Kalkariensi, ut jam diximus, probabiliter conscripta ; idem Chronicon Anonymus Cartusiensis (natione Belga, ut legitur in quadam nota marginali ad *Speculum Cartusiense*) per sexaginta annorum spatium prosecutus est.

IN EJUS LOCUM GUILLELMUS RAYNALDI SUBROGATUR.

III. Sepulto Elisario, Domnus Guillelmus Raynaldus, Arvernus patria, professus Cartusiæ, scientia, moribus multisque virtutibus perornatus, ex gubernaculo Domus Vallisbonæ hoc anno in Ordinis Generalem sublimatus, clavum tenuit usque ad annum 1402, quo vitæ cursum absolvit, XV Junii, non autem V, ut refert Petreius. Aliquanto post

Bibliotheca Cartusiana. V° G. Raynaldi.

ANNUS 1367

suam electionem, Guillelmus e vicinis Domibus quosdam arcessivit Priores litteratos, eorumque consilio et opera, ex Guigonis Consuetudinibus, ex Antiquis Riferii Statutis necnon aliis Capitulorum generalium Ordinationibus, Nova compilavit seu collegit Statuta, in tribus partibus ad instar Antiquorum Statutorum comprehensa, et anno sequenti edita.

DOMUS PISARUM FUNDATIO,

IV. « Hoc anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1367, die vero 30 mensis Maii, Urbano V summo Pontifice, principante in civitate Pisarum domino Petro Francisco de Gambacurtis, nobilissimo patritio Pisano, monasterium cartusiæ (sub titulo SS. Mariæ et Joannis Evangelistæ) Vallis gratiosæ de Calci prope Pisas, exordium sumpsit ; » cujus quidem fundationis origo talis est :

Molin. p. 550.

quam prece quotidiana J. Upezzinghi Deo petierat.

Dominus Joannes Upezzinghi, patritius Pisanus et utriusque Juris Doctor, professus et primus Prior Domus Lucensis, hanc supplicationem per modum orationis Altissimo porrectæ pro obtinenda gratia habendi cartusiam in patria sua, quotidie ferventer recitabat : « Rex æternæ gloriæ ! O bone ac misericordissime Jesu, qui absconditorum es cognitor et nosti omnia antequam fiant, tu scis omne desiderium meum et causam gemitus mei, tu scis, inquam, quam gloriosum excelso Nomini tuo, quam decorum Ordini nostro Cartusiano, quam utile Pisanæ juventuti, quamque mihi gratum esset atque jucundum, si mea, in qua natus sum, patria haberet et ipsa cartusiam. Vere peccata gentis meæ Pisarum tantummodo hujusce gratiæ indignam faciunt civitatem. Tu tamen, qui Pater es misericordiarum ac Deus totius consolationis, consolaberis, ut spero, afflictionem meam, quia zelo zelatus sum pro salute animarum, quas pretioso tuo sanguine redemisti. Respice, o mitissime Jesu, lacrymas meas, inclina aurem tuam ad petitionem meam et exaudi preces servi tui; quoniam, ut vides, urbs mea variis de causis facta est in derisum et in similitudinem improperii. Da, quæso, tuam sanctam inspirationem et illumina atque dispone cor pium atque devotum, ut auxilio gratiæ tuæ, suis facultatibus in

Exemplar hujus orationis.

Ex Libro supplicat. conventual. cartus. Pisanæ.

ANNUS 1367

circuitu Pisano Cartusiani valeat cœnobii ponere fundamenta. Scio quod immensa charitas tua vult omnes homines salvos fieri, nec unquam lætaris in perditione viventium. Spero in maxima Providentia sapientiæ tuæ, et in miserationibus tuis quarum non est numerus ; et sicut post tempestatem tranquillum facis, ita post lacrymationem et fletum, cordi meo exultationem infundes, ut alacriori animo psallere possim cum Regali Propheta : Exaudivit Dominus vocem fletus mei, Dominus orationem meam suscepit. Sit igitur, o dulcissime Jesu, nomen tuum sanctum ac terribile benedictum in sæcula sæculorum. Amen. »

Psalm. VI, 9.

Christus qui dixit : Petite et accipietis, hoc modo servi sui petitionem exaudire voluit. Erat eodem tempore in civitate Pisarum civis quidam genere non ignobilis nomine Dominus Petrus filius Mirantis Virginis * (sic enim nominabatur familia et cognatio ejus), de capella* S. Pauli ad Hortum. Hic non modicas sibi ex usuris et rapinis pauperum (sicut ex scripturis compertum est) coacervaverat divitias, atque anno 1366, die 16 mensis Martii, sine liberis e vivis decessit, relicto, per suæ ultimæ voluntatis testamentum, hærede universali omnium bonorum suorum (paucis exceptis) quodam venerabili presbytero Nino Pucci de Spatiavento, Comitatus Lucæ, juxta cartusiam S. Spiritus prope Lucam, tunc Pisis in capella SS. Cosmæ et Damiani commorante, amoris solummodo ac benevolentiæ gratia. Quædam hujus testamenti opportunum duximus transcribere :

Petrus Mirantis fundator,

* Mirante della Vergine.

* *al.* parochia.

« In æterni Dei nomine. Amen. Quoniam testamentum est testatio mentis de eo quod quis de rebus et bonis suis post mortem suam fieri velit, ideo ego Pierus quondam Mirantis Virginis de capella S. Pauli ad Hortum Pisanæ civitatis, infirmus corpore, mente vero et intellectu sanus existens, timens humanæ fragilitatis statum et volens mihi meæque animæ salubriter providere, si Deus me ex hac infirmitate vel alia quacumque ad necem judicare voluerit..... in primis quidem judico corpus meum sepeliendum apud cœmiterium ecclesiæ S. Francisci.... item judico et relinquo.... (sequuntur

testamento

ANNUS 1367

donationes). In omnibus autem aliis meis bonis, rebus et juribus, presbyterum Ninum quondam Puccepti, de capella SS. Cosmæ et Damiani, mihi hæredem universalem instituo, quem presbyterum Ninum contemplatione suæ personæ et quia eum valde diligo et dilexi, quemadmodum ipse me diligit et multum dilexit, mihi hæredem universalem, ut sic dicitur, instituo.... Actum Pisis in camera domus habitatoriæ, præsentibus Domno Joanne Priore monasterii Sancti Spiritus de Luca Ordinis Cartusiensis, fratre Jacobo Corsini monacho scripti monasterii, fratre Ligerio Conecti Ordinis Minorum S. Francisci.... Dominicæ Incarnationis anno 1366, VII Kalend. Aprilis. » Etsi in hoc testamento vix sit sermo de Cartusiensibus, certissimum tamen est Petrum Mirantis Domus Ordinis nostri fundationem specialiter in animo habuisse, ut manifeste videtur ex epistola ab ejus hærede universali, Nino Pucci sacerdote, ad R. Patrem Cartusiæ missa, cujus tenor sequitur :

Ninum Pucci sacerdotem instituit hæredem ex asse.

N. Pucci ad R. P. Cartusiæ epistola.

Ex Libro supplicat. supra citato.

« Pax tibi in Christo Jesu. Omnipotenti placuit Deo, Reverendissime Pater, elapso mense, de hac valle miseriarum educere et ad superna cœlorum regna perducere, ut pie credendum est, magnificum, pium ac devotum virum mihique carissimum dominum Petrum quondam de familia Mirantis Virginis, civem Pisanum, de capella S. Petri ad Hortum, in dicta Pisarum civitate; qui adhuc vivens, pluries mihi secreta cordis sui aperiens, semper inalterabile desiderium ex suis facultatibus fundandi cartusiam, eo quod esset absque liberis, in Pisana diœcesi, mihi manifestavit. Antequam vero morti tributum solveret, anno 1365* præterito, die 16 Martii, per extremæ suæ voluntatis testamentum, me de omnibus suis bonis, rebus et juribus (quibusdam exceptis) hæredem universalem instituit. Nunc tamen testatoris mentem fideliter cupiens implere, Paternitatem vestram Reverendissimam suppliciter oro, ut mihi facultatem concedat construendi cartusiam vestræ solitudini competentem in quadam Valleobscura (vulgo Buia) nuncupata, in Pisano circuitu, a civitate ad sex milliaria distanti atque a conversatione sæcularium

* stylo Pisano, sed revera 1366.

competenter seposita, ad radices Montis Muffule, in confinibus villarum Calcis et Montis-Magni; præsupposito tamen beneplacito ac concurrente consensu illustrissimi domini Archiepiscopi Pisani, qui non solum votis annuet, sed etiam manus adjutrices adjuncturus est spero. Ut ergo bonam et piam defuncti voluntatem, qui maximam erga Ordinem benevolentiam, amorem et reverentiam gerebat, executioni mandare queam, dignetur Charitas vestra supplicationi meæ benigne rescribere, quia et ego in auxilium operis omne patrimonium meum libentissime impendam, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, quem semper esse in medio cordis vestri cupio, ut sapienter et cum timore Domini, quæ Ordinis vestri sunt sub vestro prudenti regimine dirigantur. Pisis, die 10 Aprilis 1366. Paternitatis vestræ Reverendissimæ humilis servus, ac sacerdos indignus Jesu Christi, P. Ninus Pucci, Pisanus. » Neque his contentus pius sacerdos Johannettus Pucci, V. P. Joannem ea tempestate Priorem cartusiæ S. Spiritus prope Lucam adiit ; eidemque hoc sui pectoris arcano communicato, unanimiter decreverunt etiam V. P. Domnum Franciscum Priorem Domus S. Mariæ prope Senas secum assumere, ut quidquid ad tam pium arduumque opus necessarium foret, tuto ac mature pariter decernerent : qui sagaci examine cuncta discutientes, licet hujusmodi hæreditas a venerabili presbytero Nino oblata, ob sui tenuitatem ad monasterium construendum, Monachosque in eo Deo famulaturos alendum minus sufficeret ; tamen jactantes super Dominum curam suam, qui in Evangelio suo dixit : Si duo ex vobis consenserint super aliqua re fiet illis a Patre meo, diffinierunt tam pium opus aggredi et de modo ac via ad id opportunis ratiocinari. Primo namque cum Capitulo generali et R. P. D. Elisario Majoris Cartusiæ Priore rem contulerunt, acceptaque ab eis operis perficiendi licentia, totis viribus in id instituerunt. Itaque anno 1367, die vero 30 Maii, illustrissimo ac reverendissimo Domino Francisco archiepiscopo Pisano humiliter supplicatum fuit de hujusmodi monasterio construendo sub titulo SS. Mariæ

ANNUS 1367

Petit cartusiam Pisanam fundari.

Licentia R. P. Generalis,

ANNUS 1367

et Archiepiscopi.

Mattei, Ecclesiæ Pisanæ Histor. vol. II

et Joannis evangelistæ, in Valle-gratiosa de Calci, tunc Vallis-buia (sive obscura) nuncupata, in loco selecto de bonis domini Petri Mirantis Virginis. Qui Antistes votis Patrum annuens sequentes eis dedit Literas : « Franciscus miseratione divina, sanctæ Pisanæ ecclesiæ archiepiscopus, Sardiniæ Primas et Apostolicæ sedis in ea Legatus, venerabilibus et religiosis viris Domnis Francisco Priori Domus S. Mariæ de Maggiano prope Senas et Joanni Priori Domus Sancti Spiritus prope Lucam Ordinis Cartusiensis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam secundum Sanctorum Patrum instituta bonæ rei præstare auxilium et consensum et præsentis habetur vitæ subsidium et æternæ remunerationis expectare decernitur præmium ; cum igitur pro parte vestra nobis fuerit devote et humiliter supplicatum quatenus cum olim Ser Pierus Mirantis olim civis Pisanus, in ultimis vitæ suæ testamentum de bonis suis fecerit, et hæredem sibi instituerit presbyterum Ninum Pucci de Spatiavento pro quodam monasterio vestri Ordinis de novo fundando in Pisana diœcesi ; cumque ipse presbyter Ninus, hæres jam dictus, vobis pro vestro Ordine recipientibus et acceptantibus donationem de dicta hæreditate pro dicto monasterio construendo in dicta diœcesi ac ejus dote jam fecerit, de quibus testamento et donatione fuit et est nobis facta plenaria fides ; et in Capitulo generali vestri Ordinis celebrato in loco majori Ordinis Cartusiensis in Comitatu Sabaudiæ, ordinatum fuerit ac etiam stabilitum quod si noster assensus accederet per vos, dicti defuncti necnon et presbyteri Nini præfati desideria implerentur ; vobis ad omnipotentis Dei laudem, sub vocabulo beatæ Mariæ semper Virginis et beati Joannis evangelistæ, de bonis prædictis fundandi et ædificandi ecclesiam et monasterium, quæ et quod regatur et gubernetur et offitietur secundum mores et instituta Cartusiensis Ordinis per Priorem et Fratres in monasterio ipso ponendos et deputandos pro tempore per Majorem Ordinis præcitati vel per eos ad quos per ipsius Ordinis Statuta spectaret, impartire licentiam dignaremur : Nos visis Literis dicti vestri generalis Capituli

ANNUS 1367

per quas vobis dicta licentia concedebatur, consideratis testamento et donatione antedictis ac etiam promissionibus a quampluribus civibus) ut asseritis) vobis factis, necnon affectionibus Pisanorum civium affectantium plurimum in nostra Pisana diœcesi fore unum monasterium vestri Ordinis per quod sperari verisimiliter potest plurimas eleemosynas ad construendum ipsum monasterium perventuras; vestris supplicationibus inclinati, sperantes ex hoc vitæ præsentis subsidium et æternæ præmium promereri, ac exemplo sanctæ vitæ Fratrum vestri Ordinis, populum nobis commissum a vitiis retrahi ac virtutibus confirmari; autoritate nostra ordinaria vobis et vestro Ordini fundandi et ædificandi in nostra Pisana diœcesi, in valle de Calci, in loco dicto olim Valle-buia, nunc vero Valle-gratiosa, in et super possessionibus emptis seu emendis vel forte ab aliquibus vobis dandis, ecclesiam et monasterium sub præfato vocabulo ad laudem Omnipotentis Dei et Beatæ Mariæ Virginis Matris ejus, ac BB. martyrum patronorum nostræ Pisanæ ecclesiæ Ephysii et Potiti, quæ et quod regatur et gubernetur et offitietur secundum vestri Ordinis instituta, concedimus facultatem; jure tamen nostro nostrique Archiepiscopatus vestræque exemptionis ac etiam alieno in omnibus semper salvo. In cujus rei testimonium præsentes Literas sive publicum Instrumentum per notarium nostrum infrascriptum in Actis nostræ curiæ fecimus registrari et nostri pontificalis sigilli appensione muniri. Datum et actum Pisis in nostro Pisano archiepiscopali palatio; præsentibus venerabili viro domino Rainerio de Ripa Fratta Priore S. Sixti, domino Piero domini Albizi de Vico Legum Doctore, et Ser Piero Joannis notario de Luciana, Pisanis civibus, testibus ad hæc vocatis et rogatis, Dominicæ Incarnationis anno millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, die xxx Maii, quarta Indictione. Ego Joannes quondam Martini notarii de Covinaria, Pisanus civis imperiali autoritate notarius et judex ordinarius, et archiepiscopalis Pisanæ curiæ scriba publicus, prædictis omnibus, ut supra dicitur, per Reverendissimum Patrem

Vita Cartusianorum optimi exempli.

ANNUS 1367

dominum Pisanum Archiepiscopum supradictum, una cum prænominatis testibus dum agerentur interfui, et ea omnia de mandato ipsius Archiepiscopi scripsi et publicavi, meis signo et nomine appositis consuetis in testimonium præmissorum. » Præterea Archiepiscopus manus adjutrices porrexit seseque comitem ac participem tanti operis præbens, una cum præfatis Prioribus et presbytero Nino prima hujus monasterii fundamenta jecit. Sicque, favente Deo, novella hæc Ordinis Cartusiensis plantatio ortum sortita est in hac valle quæ vere gratiosa est et dicitur. Nam olivetis et fructuum multis generibus undique consita montibusque pinetis silvestribus refertis circumsepta, theatri specimen præ se fert, ac per totum anni circulum viriditatem atque amœnitatem suam intuentibus communicat; domesticumque ac silvestre decertare censeres, et utrumne superaret, an pinorum an olearum viriditas perpetua, difficile judicares. Est enim Cartusianæ solitudini valde commoda et a civitate ad sex milliaria distans, propterea que a conversatione sæcularium competenter seposita; ita ut ex sui dispositione et solitudo devotionem excitet, et spiritus animales amœnitas exhilarescat. A parte siquidem anteriori planities spatiosa civitates Pisarum ac Liburnii in sinu suo continens, intuentibus pulcherrimum sui præbet aspectum, cernunturque insulæ Caprariæ et Gorgonæ e mari sese extollentes, quandoque etiam mare intumescens. A lateribus vero et a tergo oliveta, fruteta et pinorum silvestrium nemora, sic intermixta ut quasi quasdam areolas ac pomerarii specimen præ se ferant.

Loci amœnitas depingitur.

Hæc gesta sunt, Reverendo Patre Domno Elisario Priore Majoris Cartusiæ, ac totius Ordinis generali Ministro; Visitatoribus vero Provinciæ Tusciæ Domnis Joanne et Hieronymo Prioribus Domorum S. Laurentii prope Florentiam et S. Hieronymi prope Bononiam, anno Domini 1367, xxx mensis Maii. Quo tempore venerabilis Pater Domnus Joannes Upezzinghi Prior Domus Lucæ, jamjam nascentis monasterii corporalem possessionem accepit, in eoque primus Prioratus munus subiit; primus Vicarius extitit Domnus Franciscus,

Primi Domus incolæ.

et quidam D. Joannes Berti monachus, Procuratoris officio functus est; redituumque frater Angelus Cioli Clericus curam gessit : hique quatuor hujus monasterii incolatum primi sumpserunt. ANNUS 1367

Ædificiis interim ab imo in altum se erigentibus, anno 1374 mense Septembri pestilentia, et bellum civile anno 1375 mense Junio (Joanne Hawkwood anglo agente), omnem circa regionem depopulata sunt; attamen die 8 Aprilis sequentis anni, in summa viventes egestate Patres iterum manum admoverunt operi; quorum misertus Dominus, per venerandam suam ancillam Catharinam Senensem auxiliatus est eis. Hæc virgo, Ordinis nostri amicissima, quum Pisis esset, audiens non longe ab urbe cartusiam de novo fundari, hanc videre voluit ; cernensque structuras, deficiente pecunia, intermitti, et Fratres quasi omnibus egere, eos ut patientiam haberent et in incœpto permanerent proposito blande incitavit; dein Pisanos ita allocuta est, ut statim multi cives Nostris munifice subvenerint, quorum nomina in *Libro Fundatorum et Benefactorum Domus* fideliter scripta, usquedum permanent. Sequentes autem inter præcipuos cartusiæ Pisanæ fautores enumerandi veniunt :

Franciscus Moricoti, nepos Urbani VI, archiepiscopus Pisanus et cardinalis, licentiam fundandæ cartusiæ dedit et primum Domus lapidem posuit; præterea multa sive in pecunia, sive in terris contulit, septa monasterii construxit et claustrum retro ecclesiam ex parte ædificavit. *Benefactores.*

Illustrissimus cardinalis Hugo illorum Nobilium de Capraneo ecclesiam a fundamentis erexit, sicut per insignia marmoreis tabulis inscripta cernitur (in quibus capra a dimidio et sursum conspicitur) tam in facie quam a tergo ecclesiæ.

Anno 1375, Bartholomæus Joannis de Bracis cellam Prioris fundavit pro salute animæ suæ et suorum.

Anno 1377, Laurentius Ciampolini de Pisis fecit fieri altare majus cum capella, et anno 1379, unam fenestram, pro salute animæ suæ.

Anno 1375, dominus Ludovicus de Orselli, et soror

ANNUS 1367

ejus Thomassa, monialis, cellam unam construxerunt.

Anno 1376, domina Joanna filia Petri Gambacorti erexit primam capellam, juxta Sacrarium, in honorem B. Mariæ Magdalenæ.

Eodem anno, Andreas Buonconti ædificavit Capitulum pro salute animæ suæ et Albergatæ uxoris ejus.

Anno 1378, Joannes et Laurentius Maninghi pro remedio animarum suarum et omnium consanguineorum suorum, unam cellam construxerunt.

Piramus Gambacorti ædificavit capellam Crucifixi et illam Annunciationis, sacristiam, unam cellam et refectorium.

Anno 1383, Andreas Galetti, nobilis Pisanus, fecit fieri aquæductum subterraneum ut in medio claustro haberent Monachi aquam bonam et potabilem, et fontem in forma columnæ; insuper galilæam et cameras a sinistro latere ecclesiæ usque ad januam Domus, in usum Fratrum Conversorum.

Anno 1384, Bartholomæus, Jacobus et Joanna Stephani Rossi, pro anima dicti Stephani olim patris eorum, fecerunt fieri galilæam quæ ab introitu monasterii ducit ad claustrum majus, et duas cellas juxta refectorium.

Cellarum fundatores.

Petrus d'Albizzo dei Visconti, Benedictus Gambacorti, dominus Archipresbyter ecclesiæ cathedralis, Andreas Buonconti, Monna Lappa, Lippo dell'Agliata, Simona del Polta, domina Lagia marchionissa Spineti et uxor Francisci Gambacorti, Thomassa Gambacorti, Petrus d'Albizzo Gambacorti : unusquisque eorum cellam unam fieri fecerunt.

« Reliqua autem ædificia majori ex parte a D. Lottho de Gambacurtis, qui post mortem D. Francisci archiepiscopi supradicti ad apicem archiepiscopatus Pisarum conscenderat, et a D. Lottho ejus consobrino et episcopo Trejensi constructa sunt, quod patet ex insignibus undique tabulis marmoreis insculptis, et Literarum monumentis parietibus insertis; qui Antistites multa bona patrimonialia immobilia largiti sunt. Itaque crescente numero Monachorum et disciplina regulari sub censura Ordinis Cartus. exactissime observata, tanquam nova luminaria in mundo lucentia in caliginoso loco omnium

in se attrahebant affectus, certatimque a Nobilibus eleemosynæ comportabantur : » Hæc de Pisarum Domo V. P. D. Nicolaus Molin, a quo plura ex supradictis exscripsimus.

Histor. Cartus. p. 550 et seqq.

CAROLUS REX FRANCIÆ PARISIENSI DOMUI BENEFACIT.

pag. 617.

V. Carolus V, rex Franciæ, hoc anno Parisiensi Domui multa contulit beneficia et a Nostris magna dona spiritualia recepit ; inter cætera, Missam quotidie celebrandam et quatuor per annum Anniversaria. Rei series sic enarratur in Historia ms. cartusiæ Parisiensis : « Anno Domini 1367, Carolus divina miseratione rex Franciæ, filius quondam regis Joannis, Fratribus Vallis viridis 3400 francorum contulit, quibus dicti Monachi emerunt terras de Noiers, de Velly et de Bretouville-en-Veulquesin, in Normandia sitas, 200 librarum annui reditus valentes, quas ipse amortizavit ; et insuper plures alias amortizationes dedit et magnam pecuniæ summam, et persolvit plurima ex tempore patris sui Joannis super regio dominio eis debita, tam propter fundationem a Blesensi Comitissa factam quam aliter. Tanta quoque cum dictis Fratribus usus est familiaritate, ut cum devotionis causa in eorum ecclesiam veniret vel eos visitaret (quod sæpe faciebat), in camera eorum quam cellam vocant habitaret, nullo modo passus quædam regiæ Majestati congrua præparari ; et nonnunquam Capitulum intraret ibique coram Priore et Conventu prosternatus, misericordiam humiliter peteret et supplicaret orari pro se, pro statu suo, pro filiis, pro pace et prosperitate regni Franciæ. Parisienses Monachi haud immemores tantæ humanitatis hujus illustrissimi et potentissimi viri sibi et ecclesiæ suæ exhibitæ, considerantes ejus voluntatem, devotionem, magnam fiduciam et affectionem erga se et suas orationes, perfectam humilitatem et familiaritatem, quando in dicta cartusia versabatur, illi liberaliter concesserunt unam Missam (*de Beata* vel *de Spiritu Sancto* dum viveret, *de Requiem* vero post obitum), quotidie perpetuo legendam in privato a se et eorum successoribus in prædicta ecclesia ; ei quoque associationem dederunt omnium bonorum operum tam præsentium quam futurorum, et promiserunt pro dicto Carolo se omnia facturos quasi pro Do-

ANNUS 1367

Missæ 4 solemnes ei conceduntur.

mus suæ professo Monacho. Et insuper eidem Regi tribuerunt quatuor Missas solemniter in Conventu cantandas quater in anno : videlicet 7 die Februarii, 22 die Aprilis, 4 die Julii, 15 die Octobris ; et præterea aliam Missam in die Anniversarii sui (16 Septembris) cum Officio Defunctorum persolvendo juxta formam Ordinis. Acta sunt hæc in Capitulo prædictorum Fratrum unanimi omnium consensu, et postea a Capitulo generali confirmata, in eorum Martyrologio descripta. Hujus concessionis Literæ confectæ sunt, quotannis in dictæ Domus Capitulo legendæ, ut istarum Missarum perpetuam memoriam habentes Monachi, et debito et conscientiæ satisfaciant, ad Dei laudem et ad salutem animarum, maxime Caroli regis et omnium pro quibus orari voluit. »

PROVINCIA ANGLICANA ERIGITUR.

VI. Præsenti anno nova Provincia Angliæ instituitur, cujus primus Visitator fuit Domnus Joannes Luscote, tunc Prior Domus Loci-Dei de Henton. Hanç provinciam Priores Franciæ annis bissextilibus visitabant. De præfato Joanne hæc Autor Ephemeridum Cartusiensium : « Vir ob pietatem, morum probitatem, regularis observantiæ zelum, haud vulgarem prudentiam, ita celebris ut omnes Angliæ Domus, juxta Capitulorum generalium Ordinationes, a Joanne tanquam a sapientissimo moderatore regerentur : ad ejus etenim consilium singuli Priores recurrebant in rebus arduis, quas ipse ad felicem exitum adducebat. Anno 1368 agebat Priorem in Domo Henton et Angliæ Visitatorem. Anno 1370 institutus primus Rector Domus Londoniarum, ut legitur in Charta ejusdem anni : « Priori Loci-Dei ad suam instantiam fit misericordia et præficimus eum in Rectorem novæ fundationis prope Londonias, quam ex nunc recipimus et Ordini incorporamus.... » Deinde primus Prior ibidem usque ad annum 1398 præfuit, quo meritis dives in senectute bona sancte diem extremum clausit xv Junii. Fuit initiator Domus Coventriæ. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis in Domo Seitz celebrati anno 1399. Et post exstinctum Ordinis schisma, rursum fuit descriptus, cum monachatu per totum Ordinem, in Chartis Capitulorum generalium 1412 et 1415. »

Ad diem xv Junii.

*JESU CHRISTI

ANNUS 1368.

Urbani PP. V	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 285.	Ann. 2.

NOVA STATUTA EVULGANTUR.

I. REDEMPTORIS annus adest millesimus trecentesimus sexagesimus octavus, Indictione sexta, quo Reverendus Pater Guillelmus Raynaldus Nova Ordinis Cartusiensis Statuta per Capitulum generale confirmari procuravit, ut in eorumdem testatur Præfatione, quæ talis est : « Post olim * editam compilationem Statutorum ac Consuetudinum tripartitam, generale nostrum Capitulum constitutiones declarationesque multas consulte quidem et rationabiliter ordinavit : quarum quasdam, pensata utilitate evidenti, consultius oportet et rationabilius revocari seu in melius commutari. Sic et alma Mater Ecclesia quandoque aliqua ecclesiastica statuta revocat et Canones, in meliusve commutat. Nos itaque frater G. humilis Prior Cartusiæ cæterique Diffinitores anno Domini MCCCLXVIII, in generali Capitulo congregati, pii patris more laudabili moleste ferentes incommoda filiorum, exacta consideratione deliberationeque præhabita diligenti, præsentem novarum constitutionum et declarationum Compilationem prædictarum, ut citius et facilius valeant inveniri, paucis sub titulis factam, ordinamus ab omnibus personis Ordinis nostri honeste et laudabiliter observandam, cunctasque constitutiones novas declarationesve alias istis contrarias revocamus, sub quibuscumque verborum tenore seu formula a nostris fuerint prædecessoribus ordinatæ ». « Hæc

* i. e. anno 1259.

ANNUS 1368

verba *Nova Statuta,* novitatis aliquid præ se ferre videntur, ait R. P. Innocentius Le Masson in suis Annalibus*, quod mutationem significet et res antiquas cum novis fuisse commutatas. Sed nihil ejusmodi occurrit, prout evidenter ex citato Prologo patet. Etenim ex his piissimi scriptoris (D. G. Rainaldi) verbis innotescit, quod hic non agatur de Antiquis Statutis, tripartim divisis, immutandis aut alterandis ; sed de imitando tantum præcedentium Patrum studio : mentemque Ordinis esse, sparsas in variis Chartis capitularibus consuetudines, constitutiones et declarationes Capitulorum generalium colligere, ut simul compilatæ et in ordinem quemdam redactæ, sciri, inveniri et in praxim reduci facilius possent. Nascentibus enim quotidie ex abysso cordis humani novis agendi aut intelligendi modis in quocumque hominum statu, necesse est nova afferre remedia, sive per ordinationes, quæ actus a sua regula deflectentes emendent et ad recta principia reducant, sive per declarationes, quæ sensum hominis multa cogitantem, et a recta intelligentia non raro deviantem reprimant, corrigant et ad genuinum intelligendi modum reducant. Pleraque etiam occurrunt quæ, experientia docente, vel minus utilia sunt quam putabantur, vel si ex aliqua parte utilia sunt, ex alia non modica incommoda post se trahunt, aut positis quibusdam circumstantiis minus convenire, aut etiam aliquando nociva esse agnoscuntur; et hæc est causa cur quædam, quæ prudenter ordinata sunt, prudentius abrogantur aut mutantur. Itaque de Statutis Antiquis corrigendis non agitur, sed de ordinationibus et declarationibus Capitulorum generalium, quæ post illa Statuta edita, nascentibus novis causis, factæ fuerant, revidendis, examinandis, corrigendis et compilandis atque in uno volumine describendis eo ordine et modo qui tribus partibus et titulis Antiquorum Statutorum responderet, ut sic quod in editione Antiquorum Statutorum de novo constitutum est, possit illis facilius a legentibus adaptari et cum illis conferri....

*aliter dictis *Disciplina Ordinis Cartusiensis.* pag. 176.

Quæ sit licita et laudanda novitas?

« Incommodum illud filiorum (de quo in supra recitato

Prologo) quod pii Patres moleste se ferre dicunt, ex multiplicitate ordinationum huc illucque dispersarum, et ex imprævisis difficultatibus novisque oneribus inde quotidie suborientibus processisse indubitatum est. Qua de causa posteriores Patres, etiam tantopere commendarunt, ut ab onerosa ordinationum multiplicatione abstineretur. Multiplicatio quidem illa ordinationum ex ferventi zelo præveniendi inordinationes proveniebat; quo ducente, ex uno casu particulari statim fiebat ordinatio generalis, ut via omnibus occluderetur in eumdem incidendi casum. At in hoc zelo, nisi discrete temperetur, occurrit etiam aliquando turbandi aut nocendi materia. Libertas hominis, quæ in vinculis Adam, in funiculis charitatis tracta, generose sequitur, tot gravibus funibus prohibitionum et præceptorum non absolute necessariis onerari refugit, hisque onusta, quasi novis hostibus impugnari se sentit, qui nihil aliud sunt, quam naturæ nitentis in vetitum excitati motus. Sed insuper sublata causa, tolli etiam debet effectus : ac proinde abusu aliquo correcto, pro quo facta fuerat ordinatio, jure merito debet etiam desinere esse ipsa ordinatio. Hic ergo revocantur quæcumque novæ constitutiones, id est post Statuta Antiqua compilata editæ : illudque dumtaxat pro constitutione et Statuto habendum esse decernitur, quod in hac nova Compilatione continetur. » Hæc R. P. Le Masson. De iisdem Statutis sequens legitur ordinatio in præsentis anni Charta : « Visitatoribus singularum Provinciarum hujus anni quibus dedimus copiam sive transcriptum de nova Statutorum compilatione, districtius et in virtute sanctæ obedientiæ injungimus ut copiam faciant de Compilatione memorata, vel fieri faciant universis Domibus Ordinis, sub suis Provinciis constitutis ad expensas tamen Domorum prædictarum. »

ANNUS 1368

A multiplicatione Ordinationum est sedulo cavendum.

II. Circa hæc tempora Summus Pontifex, Urbanus V, quasi zelando pro Ordine nostro, voluit novas mitioresque leges nobis deinceps instituere, quas misit Capitulo nostro generali anno 1368, easque volebat observari; quarum prima erat :

MITIGATIONES AB URBANO PAPA IMPOSITÆ.

ANNUS 1368

Molin. Historia Cartus. ms. p. 539.

I. Ut Prior Cartusiæ Abbas in reliquum vocitetur, eo quod Generalis sit totius Ordinis moderator, Abbatisque statum et gloriam gerat, uti Abbates sueti sunt facere, Cluniacensis, Cisterciensis, S. Antonii, Præmonstratensis, Cœlestinensis, aliique omnes Generales, Mendicantibus demptis;

II. Ut Monachi Cartusienses, quemadmodum cæteri faciunt cœnobitæ, Horas semper canonicas omnes personent in ecclesiis;

III. Ut more aliorum monachorum quotidie, saltem semel, refectionem capiant pariter in refectorio;

IV. Ut infirmitatis et læsæ valetudinis tempore, carnibus seorsum vescantur, ut Regula tenet S. Benedicti.

Eas Nostri abhorrentes,

Hæc nova, et quæ plurimum valent ad Sacri Ordinis enervationem, cum audisset Reverendus Pater noster Guillelmus Generalis, supra quam credi potest indoluit; videns per hoc non secus quam recenti subintroducta novitate, omnem Cartusianæ simplicitatis ac rigoris formam penitus subruendam. Qui enim dissipat sepem, ait Scriptura, mordebit eum coluber. Multum enim hæc degenerant ab iis Institutis quæ Patres nostri sanxerunt. Unde statim convocatis Prioribus qui ad Capitulum venerant, mentem eis aperit Summi Pontificis. Sed omnium una sententia fuit : scriptis ejus non assentiri. Aderat ibi inter Patres, vir valde venerabilis Domnus Joannes de Nova-villa, Prior cartusiæ Avenionis, qui dudum in sacro Palatio, grande nomen sibi acquisierat, quique aliquando cum Urbano ante Papatum legationis fuerat functus officio. Hunc ergo, quia notus et carus erat Pontifici, Romam misit Reverendus Pater, ut Papæ animum ab incœpto deflecteret.

Eccl. x, 8.

ut a sua sententia discedat Pontifex,

Legatum Urbano nomine Ordinis mittunt.

Prior itaque Avenionis Curiam petiit Ordinis nomine. Cui, post pedum osculationem, Papa quasi ei gratulans, quod Ordini mitius prospexisset, ait : « Ecce, mi Joannes, ego de Cartusiensibus benigne cogitans, nova illis atque optima Instituta composui, quæ tibi, uti credo, jam cognita sunt. » Cui ille humiliter : « Imo, inquit, o Sanctissime Pater, ut cum Sanctitatis vestræ venia loquar, his institutis

nostrum Ordinem non promovere sed subvertere videmini ; cogitis enim nos transferre terminos quos statuerunt Patres nostri. » Cumque Pontifex simulque alii qui tunc astabant mirarentur, subdidit noster veridicus Orator :

ANNUS 1368

« Si Prior Cartusiæ Abbas fuerit, Abbatis etiam eminentiam gerat necesse est, sed unde quæso illi proventus et impensæ ut longam post se familiam trahat, equos alat et statum tueatur suum ? Domus Cartusiæ revera inopia et paupertate premitur et ad modicam summam ejus proventus omnes rediguntur. Abbas igitur in tali penuria constitutus, quid acturus est ?

« Item si assidue in refectorio nos vesci oporteat, peribit jam omnis abstinentia et parcimonia, quibus huc usque Ordo noster dum viguit, et diabolum stravit et carnem superavit.

« Rursus si assidue nobis in ecclesia psallendum est, pereat oportet omnis devota oratio et meditatio, sed et ipsa quoque contemplatio, qua dicimur cæteris præeminere, defatiscet. Solitudo et silentium quoque, quibus nihil est nobis vel sanctius vel antiquius interibunt, cum et eundo ad ecclesiam semper et redeundo occupemur.

« Quod vero de esu carnium instituistis, omnino ut pestiferum judicamus ; quippe unde et magna et calamitosa pericula secutura noscuntur. Si concedatur infirmis esus carnium, timendum est, ne multi ad hunc cibum affecti, sese infirmos simulent ; aut si vero infirmi sunt, ob hanc escam ægrotent. Hinc fiet ut multi semper in Infirmaria, pauci autem in ecclesia reperiantur. His itaque lautitiis Ordo depravatus, cito lapsurus est, ut nunc videmus, heu ! plurimos corruisse. »

Quidquid petunt concedit Urbanus.

Hæc ut Sanctissimus audivit, conversus ad circumstantes Cardinales, admirans nostri Ordinis insuperabilem simplicis industriæ pertinaciam, gaudens et alacris dixit : « Dimittamus, obsecro, dimittamus Cartusienses in simplicitatis suæ constantia : ex quo nolunt oblatam eis benignitatem uti gratiam et gratum beneficium amplexari. »

FACULTATEM CAPELLOS GERENDI TRIBUIT NOSTRIS IDEM PONTIFEX.

III. Cum paulo post Summo Pontifici nuntiatum esset Priorem Trevirensem tunc in Romana curia pro negotiis

ANNUS 1368

Domus suæ tractandis commorantem, ubique capite aperto versari, eum ad se advocavit et pileo suo in capite ejus propriis manibus imposito benedixit ei et bullam concessit qua indulsit personis Ordinis ut eundo extra Domum possint uti capellis vel pileis de filtro, scripto ob idipsum sequenti diplomate : « Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis majoris Domus Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, et aliarum Domorum Cartusiensis Ordinis Prioribus, Monachis, Clericis et Conversis, salutem et Apostolicam benedictionem. Nostræ mentis affectibus suggerit mansuetudo et pietas pastoralis ut Dominicarum ovium, illarum præsertim quæ per devota Religionis obsequia intus exuberant spiritualium fructibus operum et exterius nitent laudabilium propositionibus exemplorum, obviare studeamus incommodis et opportunitatibus providere. Cum itaque, sicut accepimus, vestri Priores et professores Ordinis, Monachi, Clerici et Conversi, cum eos extra suorum conventuum seu grangiarum domos et loca, ob promovenda negotia contingit pro tempore proficisci, uti capellis, nullo id prohibente Statuto, sed ex quibusdam diuturnis observantia, usu et consuetudine prædictorum, etiam aere, pluviis, æstu, procellis, turbinibus aut alias intemperato non præsumpserint hactenus nec præsumant : Nos attendentes quod ex observantia hujusmodi, multa possunt eis incommoda corporalia pervenire, et ob ea vestra negotia impediri seu plus debito prorogari ; quodque omissio hujusmodi observantiæ vestræ professioni, aut Ordinis institutioni nequaquam obsistit, nec ex ea Deus offenditur, dum corpora suorum ministrorum a noxiis præservantur, et ad impendendum sibi debitum officium locorumque ei dedicatorum necessitates aut utilitates procurandas habilius disposita redduntur, cum corpus nostrum quod pars nostri est, ad hoc nobis diligendum sit ut saluti ejus ac fragilitati naturaliter consulamus et agamus, quatenus rationi ordinate subjectum, ad æternam salutem, accepta immortalitate et incorruptione perveniat ; et quia ex prædicta observantiæ omissione vestræ Religionis honestas non violatur, sed

Data etiam ad hoc bulla,

Extat inter Privileg. n. 90.

motu proprio.

potius augmentatur et præservatur, se decenter cum cæteris ministris etiam Religiosis universalis Ecclesiæ conformando: motu proprio, non ad vestram nec alterius pro vobis supplicantis instantiam, sed ex mera benignitate, quod vobis et successoribus vestris dictarum Domorum Prioribus earumque Monachis et Clericis nigri, Conversis vero earumdem Domorum qui sunt vel erunt pro tempore, quod grisei coloris capellis, quotiens vos vel eos extra Domos, loca grangiasque prædictas proficisci contigerit, dictis quantumcumque longævis usu, consuetudine et observantiis non obstantibus, ut libere ac impune liceat uti, autoritate præsentium indulgemus. Hujusmodi autem capellos, servata dictorum distinctione colorum esse volumus uniformes et ad illius capelli similitudinem et exemplar quem dilecto filio Joanni, Priori monasterii Sancti Albani prope muros Trevirenses, per Priorem soliti gubernari, vestri Cartusiensis Ordinis, tunc in Romana curia constituto, cum gratia divinæ benedictionis et nostræ quam paterno desiderio affectamus, in totum Ordinem redundare prædictum propriis manibus assignandum duximus ejusque capiti primitialiter imponendum... Datum Romæ apud S. Petrum, Idus Novembris, Pontificatus nostri anno septimo. »

ANNUS 1368

Ordinationes Capituli generalis super hac materia.

Hoc privilegium Capitulum generale, obedientiæ ac reverentiæ gratia erga Christi Vicarium accepit et observari mandavit, ut constat ex Charta anni 1370 : « Ob reverentiam Apostolicæ Sedis, intimatur omnibus personis Ordinis quod Dominus noster Papa, suo proprio motu, indulsit cum bulla personis Ordinis ut eis liceat portare capellum : videlicet Priores et Monachi nigros, Conversi vero griseos. » Ut autem vanitati omnem intercluderet viam, Capitulum generale anni 1376 formam specialem istius capelli minute descripsit : « Quia, inquit, multæ personæ abutuntur gratia Apostolica olim facta per Dominum Urbanum, sanctæ memoriæ, de capellis, portando capellos fortes et rigidos et fœderatos exterius pannis nigris pretiosis more Prælatorum : Statuimus ut nulla persona Ordinis, cujuscumque conditionis extiterit

ANNUS 1368

sive gradus, portet de cætero capellum nisi filtreum cum vitta de corio nigro pro circumferentia dictorum capellorum, quoniam ista fuit intentio Domini nostri Papæ. Qui contra fecerint, prædicta gratia (scilicet portandi capellos) perpetuo sint privati. »

ECCLESIA DOMUS NEAPOLITANÆ CONSECRATUR.

Ciaconius. II, in notis, col. 568.

IV. Hoc anno ecclesia Domus S. Martini supra Neapolim consecrata est die II Februarii a reverendissimo archiepiscopo Sabinensi Guillelmo de Agrifoliis; præsentibus reverendissimo Bernardo de Bosqueto, archiepiscopo Neapolitano et pluribus S. R. E. Præsulibus; adstante etiam ipsa Joanna Siciliæ regina et nonnullis Principibus et Magnatibus. Quorum omnium fidem sequens Charta facit : « Ad futuram perpetuamque rei memoriam. Notum sit omnibus Christi fidelibus hanc divo Martino episcopo dicatam Cartusianorum ecclesiam ab illustri Carolo, duce Calabriæ, filio serenissimi Roberti regis Neapolis ædificari incœptam sub anno Christi 1325, eoque præmortuo, patre superstite, qui cœptum hoc opus celebre subsequi, amoris et devotionis ergo non destitit; sed nec Sancia regina, uxor ejus et mater præfati Caroli, marito rege patribus suis apposito, non absimili acta devotione, ope et opera præstanti prosequi cunctata est ad annum usque ejusdem sæculi XXXII; explente tandem illudque funditus absolvente et quoad fabricam summa æris regii profusione completam et quoad integram ex regiis reditibus dotationem, serenissima regina Joanna filia, testamentaria executrice prædicti illustris Caroli, solemni fuisse tandem consecratam ritu, anno Salutis humanæ MCCCLXVIII, secunda Februarii, nutu Sanctissimi Papæ Urbani V, clavum Ecclesiæ regentis, per illustrissimum ac reverendissimum dominum archiepiscopum Sabinensem Guillelmum de Agrifoliis S. R. E. benemeritum cardinalem, Nuncium sive Legatum dicti Pontificis in regno Siciliæ: præsentibus illustrissimis ac reverendissimis Bernardo de Bosqueto tunc temporis archiepiscopo Neapolitano ac pluribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus aliisque in suprema dignitate constitutis viris præclarissimis adstantibus,

suaque præsentia hanc eamdem celebrem toti mundo consecrationem decorantibus; serenissima eadem regina Joanna regnante, serenissimo Imperatore Constantinopolitano Principe Achaiæ atque Tarenti, ac serenissimo Petro rege Cypri ejusdem Reginæ affinibus,.... Ad laudem Dei omnipotentis, Patris, Filii, Spiritus Sancti, cui omnis honor et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen. Item reverendissimus dominus Bernardus de Bosqueto tunc archiepiscopus Neapolitanus, qui in dicta consecratione præsens fuit autoritate sua ordinaria, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in dicta dedicatione interfuerunt, unum annum, et iis, qui Anniversaria dictæ dedicationis annis singulis in futurum devote dictam ecclesiam visitabunt, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxavit. »

ACTA CAPITULI.

V. In hujus anni Charta legimus : « Statuimus quod totum officium dominicæ Cœnæ amodo sit Prioris, et in Missa omnes personæ Ordinis de manu communicent Præsidentis; illo namque die Christus sacramentum Altaris instituit et omnes præsentes hujus venerabilis Sacramenti participes esse fecit. »

Ex eadem Charta, rogatu R. P. Rainaldi preces indicuntur pro iis qui operam dederunt in Novis conficiendis Statutis. Item taxa imponitur omnibus Domibus Ordinis ad subveniendum Matri Cartusiæ.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1369.

Urbani PP. V.	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 286.	Ann. 3.

BULLA : *NE IN VINEA DOMINI* URBANI PAPÆ QUINTI.

I. ANNUS sequitur Redemptoris sexagesimus nonus post mille trecentos, Indictione septima, quo Urbanus Papa scripsit Extravagantem seu Constitutionem illam, cujus fit mentio in secunda parte Novæ Collectionis Statutorum nostrorum, his verbis : « A Novitiis seu ingredi volentibus Ordinem nostrum, nihil a quoquam nostrum penitus exigatur aut petatur. Qui enim ab eis quicquam exigit et recipit, sententiam excommunicationis incurrit ex Constitutione Urbani Papæ Quinti » cujus talis est tenor : « Ne in vinea Domini nostræ (licet insufficientibus meritis) commissa custodiæ, nascentes vepres et spinæ adeo convalescant, quod speratam fructificationem ipsius valeant impedire, diligentiæ nostræ incumbit officio, ut illas extirpare radicitus solerti studio procuremus. Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis ecclesiis, monasteriis, prioratibus et aliis locis religiosis tam virorum quam mulierum Ordinum, regionum et partium diversarum, detestabilis et a Canonibus reprobata servatur abusio, quod cum personæ aliquæ recipiuntur ab eis ad observantiam regularem, ipsæ, temeritate præsumptuosa, pastus seu prandia Capitulis et Conventibus ipsarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et locorum, aut pecunias aut jocalia seu res alias, ipsis ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis seu Præsidentibus eis, ex statuto seu consuetu-

Cap. XVII, 8.

ANNUS 1369

dine (quæ corruptela est potius dicenda), tribuere compelluntur. Ex quibus decori ecclesiasticæ et immaculatæ Religionis detrahitur; quamplures etiam execratione hujusmodi criminis potius quam expensarum onere a S.Religionis proposito retrahuntur, ipsæque ecclesiæ, monasteria et loca famulantium de consuetis numeris remanent destituta, et in multorum mentibus Fidelium scandalum generatur. Nos igitur huic morbo pestifero cupientes congruam adhibere medelam, et aliis pœnis in talia præsumentes inflictis a jure in suo robore duraturis, pœnam adjicere graviorem : universis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis et magistris, necnon Abbatissis et Priorissis aliisque Prælatis, quovis nomine nuncupatis et eorum officialibus, quarumcumque etiam ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, Domorum et locorum quorumlibet, Religionum, Ordinum etiam militarium tam exemptorum quam non exemptorum, quocumque nomine censeantur, ac Capitulis et Conventibus et singularibus personis eorum ; tenore præsentium autoritate Apostolica (quamvis sit eis jure inhibitum) districtius inhibemus, ne tam a maribus quam a mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, ecclesias, monasteria, prioratus, Domus seu loca, in earumdem personarum receptione aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum seu quemvis pium usum alium deputata vel deputanda, directe vel indirecte petere vel exigere quoquo modo præsumant ; sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu et vestitu sicut alias personas suarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, Domorum et locorum sincera charitate pertractent. Illa dumtaxat quæ personæ ipsæ ingredientes pure et sponte et plena liberalitate omnique pactione cessante, dare vel offerre ecclesiis, monasteriis, prioratibus, Domibus et locis hujusmodi voluerint cum gratiarum actione licet recipere. Nos enim qui secus egerint, si sint singulares personæ tam dantes quam accipientes hujusmodi, excommunicationis ; si Capitulum vel Conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere :

Prohibet ne a Novitiis quid exigatur,

sub pœna excommunicationis.

ANNUS 1369

a quibus (præterquam in mortis articulo) absolvi nequeant absque sedis Apostolicæ licentia speciali. Cæterum personis illis utriusque sexus quæ jam labe hujusmodi sunt fœdatæ, earum providentes saluti, de benignitatis gratia eas liberantes, concedimus quod per suos locorum diœcesanos (hac vice dumtaxat) a crimine hujusmodi et nota infamiæ inde contracta, autoritate Apostolica absolvantur ; canonica proinde ipsis pœnitentia salutari imposita, de qua ipsorum discretioni videbitur expedire : et demum cum ipsis ut in earum ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus et locis licite valeant remanere, misericorditer dispensetur. Insuper erga personas illas quæ in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccasse noscuntur, volentes nos reddere gratiosos, omnia recepta hujusmodi si ad communem usum monasteriorum seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum licite concedimus retineri. Si vero ad specialem usum abbatis seu abbatissæ, prioris aut priorissæ aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, constitutionis, concessionis et præcepti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, II Nonas mensis Aprilis, Pontificatus nostri anno primo. »

Huic bullæ Cartusienses fideliter steterunt, ut ex supracitato Statutorum loco videre est, et anno 1379 in Charta Capituli generalis sequens Ordinatio legitur : « Caveant amodo Priores et Priorissæ et cæteræ Ordinis personæ, ne in receptione Novitiorum quorumcumque incurrant pœnas contentas in Constitutione felicis recordationis Domini Urbani Papæ V, quæ incipit : *Ne in vinea Domini...* »

COMES SABAUDIÆ FUNDATIONEM VALLIS SANCTÆ CONFIRMAT.

II. Cum anno 1295, ut ibi legere est, Domus Vallis Sanctæ apud Friburgum in Helvetia fundata esset, nulla quidem Comitum Sabaudiæ prævia facultate, Prior et Conventus ejusdem Domus nimis inquietati super suarum possessio-

nibus a dictorum Comitum officialibus, Amedeo Sabaudiensi supplicarunt eas confirmare, qui hoc præsenti anno (1369) sequentes eis scripsit codicillos : « Nos Amedeus comes Sabaudiæ, notum facimus universis quod cum dilecti fideles nostri Domini Corberiarum, quondam pro suorum prædecessorum et successorum suorum animarum salute, ecclesiam, domum et ædificia venerabilium Religiosorum devotorum oratorum nostrorum, dilectorum Fratrum conventus Vallis Sanctæ Cartusiensium, devote fundaverint in loco et situatione in qua sunt, eisdemque in eleemosynam viginti quinque libras Lausannenses annui reditus certaque nemora et bona alia concesserint et erogaverint, quæ de feudo nostro sub homagio ligio nobis inde debito teneri noscebantur, hujusmodique fundationem et donationem fecerint dicti Domini sine nostri vel prædecessorum nostrorum laudemio, licentia vel consensu, propterque ea omnia donata et concessa tanquam nobis debita commissa et escheita recipere licite poteramus : hinc est quod cum de novo dicti Religiosi per gentes nostras inquietarentur multipliciter super ipsis, fecerunt nobis humiliter supplicari ut apud eos super his agere misericorditer dignaremur. Nos ad dictos Fratres et Domum prædictam Ordinemque et Religionem ipsorum specialem devotionem habentes, ut iidem Fratres et posteritates ipsorum pro nobis, prædecessoribus et successoribus nostris, qui fundatores ejusdem ecclesiæ præscripta ratione censemur, et pro animarum nostrarum requie, Deum rogare et suis orationibus et jejuniis aggregare perpetuo teneantur : omnia et singula donata et concessa seu alias erogata dictis Religiosis per Dominos quondam prædictos, tam occasione fundationis quam alias, quantumcumque de feudo nostro (sicut prædicitur) moverentur, de speciali gratia et in eleemosynam præfatis Oratoribus nostris laudamus, approbamus, ratifficamus, emologamus et pariter confirmamus, juxta donationum sibi factarum formam, continentiam et tenorem ; eaque omnia et singula de puro et francho allodio dictis Fratribus et Domui liberaliter erogantes, ita quod ea donata et concessa nulli

ANNUS 1369

Ex Cartulario Domus.

Ad petitionem Religiosorum ;

ANNUS
1369

ita quod nil sibi debeant præter orationes.

servituti vel tributo erga nos debeant, præterquam in orationibus et rogationibus divinis, quomodolibet subjacere. Præterea dictos Religiosos, Domum, ecclesiam et bona ipsorum cupientes semper ampliori beneficio communire, omnes et singulos Fratres, Conversos, Familiares, Nuncios dictæ Domus, præsentes et futuros, eorum ecclesiam, domos, grangias, bestias, animalia, reditus, exitus, proventus, terras, prata, nemora, pascua, vineas et alia omnia et singula, res et bona ipsorum mobilia et immobilia quæcumque, pro nobis et nostris successoribus recepimus et recipimus, receptaque esse volumus, et tenemus in nostra et nostrorum salvagarda, guidagio, protectione pariter et conductu ; ita quod ab inde in antea perpetuo nulli homini liceat dictis Fratribus, ecclesiæ, domibus, Conversis, Familiaribus vel Nunciis eorumdem, in personis vel bonis ipsorum, sub nostræ indignationis incursu, aliquam violentiam, injuriam, molestiam, seu aliquod gravamen impendere vel præbere. Mandantes tenore præsentium universis et singulis officiariis, justiciariis, fidelibus et subditis nostris præsentibus et futuris vel eorum loca tenentibus, quatenus prædictas gratias nostras et omnia et singula supradicta teneant, attendant firmiter et observent ; in nullo contrafaciant vel opponant seu contrafieri vel opponi quomodolibet patiantur ; nec ipsos in personis vel bonis aliqualiter impediant vel perturbent, sed ipsos ab inde perpetuo ab omni violentia, oppressione et injuria protegant et defendant tanquam nostros proprios garderios, homines et burgenses. Datum Burgeti, die decima Novembris, anno Domini M CCC sexagesimo nono. »

DECRETA CAPITULI GENERALIS.

III. In Charta hujus anni plures occurrunt Ordinationes, quarum sequentes exscripsimus : 1. « Qui nondum habent Statuta Nova, illa sibi procurent et transcribant, et si quæ sunt dubia mittant Domno Cartusiæ, hinc ad Capitulum anni subsequentis, ut prædicta dubia declarentur antequam per sequens Capitulum confirmentur.

2. « Scribentes Capitulo generali aut Priori Cartusiæ super annum, scribant per modum articulorum sive articula-

tim, de articulo ad articulum spatium dimittentes, ut ipsis valeat clarius in eisdem literis articulatim responderi.

3. « Conversi Ordinis quandocumque ibunt vel transferent se ad villas vel civitates, non cum mantello, sed cum cappis griseis amodo vadant, et honeste associati.

4. « Monemus omnes et singulas personas Ordinis utriusque sexus, quod sibi a familiaritate Begardorum, Colardorum et Fratricellorum necnon Beguinarum sectæ eorumdem sibi caveant et abstineant, ne Dei et Summi nostri Pontificis incurrant indignationem.

5. « Prior Loci Dei *, respondeat dominæ Comitissæ et aliis petentibus novas Domos Ordinis fundari, quod nos non sumus parati recipere pro præsenti novas Domos.

* in Anglia.

6. « Priori Vallis Sanctæ districte præcipimus, ut nobilem virum Guillelmum de Corberiis, castellanum dictæ Domus, infra instantes octavas Pentecostes a prædicto officio penitus amoveat, ad evitandum impedimentum jurisdictionis quam habet in hominibus suis in parochia de Charmey, quod pro tempore futuro posset evenire ; et ne etiam tenendo in officiis nostris Nobiles, sancta et antiqua rusticitas Ordinis nostri lædatur.

7. « Permittitur Domibus Ordinis quod cucullis lineis et fultanis jam factis in eisdem Domibus ipsis utantur donec sint vetustate consumptæ, novæ tamen amodo non fiant nisi prout in Novis Statutis continetur. »

I. Pars, c. V. 20.

*JESU CHRISTI

ANNUS 1370.

Urbani PP. V Ann. 8.	Ordin. Cartus. Ann. 287.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 4.

URBANUS QUINTUS MORITUR.

I. MILLESIMUS trecentesimus septuagesimus, octava Indictione, incipit annus sub cujus finem, id est XIV Kalendas Januarii, Urbanus Papa Avenione (Gallias enim repetierat eodem anno mense Septembri) diem clausit extremum; sepultus ibidem in ecclesia Beatæ Mariæ de Donis. Exinde post septem et decem menses translatum fuit corpus ejus per Gregorium XI ad sacrum cœnobium S. Victoris Massiliensis, et positum in capella S. Petri prope majus altare, anno 1372, Nonis Junii.

Gregorius XI succedit.

Post decimum vacationis diem, Urbano sufficitur apud Avenionem, tertio Kalendas Januarii, Petrus Rogerius Lemovicensis, filius Guillelmi Rogerii Bellifortis, nepos Clementis VI, cardinalis S. Mariæ-novæ, dictus Gregorius undecimus.

CARTUSIA IN URBE FUNDATUR.

II. Quam in Urbe Roma R. P. Boso Domum condere voluerat, hanc præsenti anno Nicolaus Orsini, comes Nolanus, feliciter inchoavit. Summus Pontifex, Benedictus XI, ut supra diximus, Bosoni concesserat locum S. Quiriaci ad Thermas Diocletiani; nec casu quidem, sed, ut credere est, seria ductus causa: ibidem enim (quod multos latet) sanctus Bruno, dum Romæ esset, domicilium habuerat ex concessione sibi facta ab Urbano II his verbis:

Primum ad Thermas Diocletiani,

ubi jam S. Bruno olim habitaverat.

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Brunoni Coloniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

His qui relictis divitiis et gloria mundi hujus, in habitu et spiritu paupertatis se in sui Creatoris obsequium converterunt, non convenit nos habere infestos, sed potius favorabiles ac benevolos. Dilecte fili Bruno, qui apud nos manes laborando pro Conciliis proxime celebrandis, nobis significasti, quod pro Religione quam instituisti, debes dumtaxat in locis solitariis et eremis habitare, et non in castris aut villis permittitur morari. Volentes igitur voluntati tuæ paterna sollicitudine providere, ut solitarie in divinis colloquiis perseveres, autoritate præsentium concedimus Paternitati tuæ ecclesiam et titulum S. Cyriaci martyris in Thermis Diocletiani, ut in eo loco libere cum Gavino socio tuo possis in divinis obsequiis vacare, ut cum venerit Dominus, confestim aperias ei. Datum Beneventi, Pontificatus nostri anno III. »

ANNUS 1370

Ex pervetusto Chronic. cartus. Calabritanæ.

Anno 1363, quod in vanum tentaverat Boso noster, rursus aggressi sunt viri nobiles, Nicolaus de filiis Ursi, comes Nolanus, et Napoleo de iisdem filiis, Manupelli comes ; die vero quinta Januarii licentiam Domus Cartusiensis Ordinis in Urbe erigendæ, in eodem loco Thermarum, a Summo Pontifice obtinuerunt bulla sequenti : « Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris Nicolao de filiis Ursi Nolani et Napoleoni de iis filiis Ursi Manupelli comitibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Piis fidelium votis, per quæ divinus cultus sacraque Religio possit augeri libenter annuimus favoremque benevolum impertimur. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat quod vos de salute vestra cogitantes cupientesque terrena in cœlestia et transitoria in æterna felici commercio commutare, desideratis et proponitis communiter de bonis vobis a Deo collatis, ad divini nominis laudem et Religionis augmentum, cum sufficienti dote fundare et construere in honorem et sub vocabulo BB. Leonis et Nicolai confessorum, in loco dicto Thermæ Diocletiani in Urbe, monasterium seu locum Ordinis Cartusiensis ubi Fratres ejusdem Ordinis perpetuum reddant Altissimo famulatum. Quare nobis humiliter supplicastis ut vobis quod prædicta facere possitis,

Licentiam rursus concedente Urbano quinto.

ANNUS 1370

concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque qui dictorum cultum et Religionis augmentum ferventer appetimus, hujusmodi vestrum in Domino propositum commendantes, prædictis supplicationibus inclinati, devotioni vestræ fundandi et construendi in Urbe et loco prædictis, si locus ipse ad hoc sit congruus et honestus et ad vos spectet seu per vos acquiratur legitime, hujusmodi monasterium cum ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus et aliis necessariis officinis, sufficienti cum dote ex qua XIII saltem Monachi seu Fratres dicti Ordinis (Priore ipsius loci in ipso numero computato) in ipso monasterio juxta dicti Ordinis instituta et consuetudines canonice instituendi atque ponendi, cum Clericis, Conversis et sæcularibus opportunis decenter valeant sustentari, per vos de bonis vestris prædictis primitus assignata (jure parochialis ecclesiæ et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo ac constitutione qualibet contraria non obstante) plene et libere autoritate Apostolica licentiam elargimur vobis : ex nunc cuilibet Monachorum seu Fratrum qui in dicto monasterio, pro tempore fuerint nominati, quod ipsi omnibus privilegiis, gratiis et Indulgentiis gaudeant, de uberioris dono gratiæ concedentes.... Datum, Avinione, Nonas Januarii, Pontificatus nostri anno primo. »

Dein transfertur ad basilicam S. Crucis,

Interea defunctus est Napoleo, qui pro structura novæ Domus 3000 florenos aureos testamento legavit ; comes autem Nicolaus, licet solus superstes, arreptum propositum haud mutavit, sed operi manum mittere serio decrevit ; non jam, ut antea, cartusiam apud Thermas de novo ædificaturus, sed monasterium juxta basilicam Sanctæ Crucis de Jerusalem, ad normam Cartusiensis Ordinis statuit disponere. Hujusmodi consilium Urbanus Papa laudavit et piæ Comitis intentioni acquiescens, dignatus est ipsemet hæc omnia nostro Ordini intimare, scripta bulla cujus talis est tenor : « Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis suis Priori Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, ac universis Prioribus et Monachis Cartusiensis Ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Sacræ vestræ Religionis, sub qua devotum

mediante nova SS. Pontificis bulla.

redditis famulatum, promeretur honestas, ut ad ea per quæ Ordo vester valeat adaugeri, præsertim cum exinde ecclesiarum utilitas et divini cultus augmentum provenire noscuntur, favorabiliter intendamus. Cum itaque ecclesia S. Crucis in Jerusalem de Urbe, Ordinis S. Augustini, quæ titulus Cardinalatus existit, per plures annos vacaverit, prout adhuc vacat, et malitia temporis faciente (quod dolenter referimus), personis ad cultum divinum necessariis sit totaliter destituta, ac in suis ædificiis et domibus collapsa non modicum, dilectusque filius nobilis vir Nicolaus de Ursinis, comes Nolani, nobis exponere curaverit quod ipse qui ad eamdem ecclesiam et vestrum Ordinem, ut asserit, singularem gerit devotionis affectum, ecclesiam ipsam per vos qui in præfata Urbe nullum locum habetis, regi et gubernari desiderat, ac de bonis sibi a Deo collatis, tam de domibus ejusdem juxta eam consistentibus reparandis quam aliis construendis, monasterium cum domibus et aliis necessariis officinis secundum morem vestri Ordinis, pro uno Priore et duodecim Monachis ejusdem vestri Ordinis inibi Domino perpetuo servituris sufficienter fundari et construi facere proposuit, si per Nos ecclesia ipsa cum suis domibus, claustro, hortis, terris, vineis et aliis juribus, suis, vobis et vestro Ordini concedatur; nobisque per ipsum Comitem fuerit humiliter supplicatum, ut concessionem hujusmodi vobis facere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos hujusmodi propositum pium dicti Comitis plurimum in Domino commendantes, ac cupientes quod ecclesia ipsa tam in spiritualibus quam in temporalibus reformetur, prædictis ipsius Comitis in hac parte supplicationibus inclinati, præfatam ecclesiam, cum claustro, domibus, cœmeterio, campana, campanili, hortis, terris et possessionibus ac omnibus juribus et pertinentiis suis, vobis et præfato Ordini vestro tenore præsentium, autoritate Apostolica concedimus et donamus. Ita quod ex nunc ipsius ecclesiæ status de dicto Ordine S. Augustini in præfatum vestrum Ordinem commutetur, et vestri Ordinis de cætero perpetuo censeatur. Cardinali qui titulum dictæ ecclesiæ sanctæ Crucis habebit pro

ANNUS 1370

Nicolaus de Ursinis fundator.

ANNUS 1370

tempore nomine seu vocabulo ipsius tituli, et tertia parte censuum, redituum et proventuum, ac terrarum et possessionum quas ipsa ecclesia habet ad præsens tantummodo reservatis. Ita tamen quod de oblationibus quæ in ipsa ecclesia fient a Christi fidelibus nihil perveniat ad eumdem; nec in personas Ordinis vestri præfati et familiares earum qui in dicto monasterio morabuntur, jurisdictionem aliquam valeat exercere. Non obstantibus quibuscumque statutis et constitutionibus Apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiæ et Ordinum prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis.... Datum Romæ apud S. Petrum, XIII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno octavo, nostræ salutis 1370. »

Molin. Historia Cartus. ms. fol. 558.

Eodem anno, V Kal. Februarii, cœptis instat nobilis ille princeps ac generosissimus comes Nolani, Nicolaus de Ursinis, potens et ille verbis et factis : sermone quidem Domum obtinendo, ut supra dignoscitur ; opere vero sua tribuendo, ut fidem facit sequens Instrumentum promissionis illius de construendo monasterio S. Crucis, sub obligatione omnium bonorum suorum. « .... Cum dictus DD. Urbanus Papa V, ad supplicationem et instantiam magnifici domini Nicolai de Ursinis, Nolani ac Palatini comitis, nuper ecclesiam S. Crucis in Jerusalem de Urbe, cum suis omnibus pertinentiis, Priori Domus Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis concesserit et donaverit : hinc fuit et est quod, hac die præsenti, dictus dominus Comes personaliter constitutus, pia ductus consideratione, gerens ad dictum Cartusiensem Ordinem affectum, promisit Venerabilibus Patribus Domnis Jacobo S. Bartholomæi de Trisulto Alatrensis diœcesis, et Joanni de Salerno S. Martini de Neapoli Prioribus præsentibus, et mihi notario Michaeli de Villaribus, in dicto loco S. Crucis ultra ædificia jam ibi constructa, omnibus suis sumptibus et expensis fundari et construi facere loca et alias officinas necessarias pro uno Conventu Fratrum prædicti Cartusiensis Ordinis, videlicet uno Priore et duodecim Monachis, Clericis et Conversis juxta morem dicti Ordinis consuetum; et

Diploma donationis domini Fundatoris.

Promittit Domum ædificare, dotare et instruere,

ANNUS 1370

ecclesiam et locum muniri et fulciri libris, calicibus, paramentis et aliis ornamentis necessariis ad divinum cultum pertinentibus secundum morem consuetudinem et observantiam Ordinis supradicti. Item quod in casu in quo ecclesia S. Crucis quæ in loco prædicto constructa existit, non videretur secundum prædicti Ordinis observantiam personis a dicti Ordinis Capitulo generali ad hoc commissis apta et congrua pro divino in ea officio celebrando; promisit prædictus dominus Comes dictis Prioribus et mihi Notario ut supra stipulantibus et recipientibus, aliam dicto Ordini aptam et congruam ecclesiam suis sumptibus et expensis infra ambitum dicti loci, necnon et claustrum juxta eam, cum refectorio et aliis ædificiis, facere construi juxta morem prædicti Ordinis consuetum, in qua et quibus Fratres dicti Ordinis et Conventus in dicto loco pro tempore persistentes divina valeant celebrare Officia, et alias inibi Domino famulari, secundum ipsius Ordinis instituta. Item cum dictus locus Sanctæ Crucis in fructibus et reditibus ipsius non tantum abundet, quod prædicti Conventus Fratres in eodem loco degere debentes, de parte ipsorum secundum concessionem et donationem Apostolicam ad dictum Ordinem pertinentium eis contingente valeat commode sustentari, præfatus dominus Comes volens fructus et reditus ipsos usque ad congruam pro sustentatione dicti Conventus quantitatem augmentare, promisit et convenit præfatis stipulantibus omnia sua mobilia et stabilia; et præsertim ac specialiter et expresse, fructus, reditus et proventus castri sui Neptuni, diœcesis Albanensis, ad ipsum dominum Comitem pertinentes, efficaciter obligavit, ipsosque ad hoc obligatos esse voluit pariter et concessit. Et ut prædicta omnia et singula plenius compleantur suumque debitum melius sortiantur effectum, idem dominus Comes per se et suos hæredes ac imposterum successores, ea omnia et singula tenere, complere, attendere et inviolabiliter observare, convenit ac promisit; et ad Sancta Dei Evangelia, manu sua propria scripturis corporaliter tactis, sponte juravit sub juris cujuslibet tam canonici quam

et aliam ecclesiam ædificare, si necesse videretur.

ANNUS 1370

civilis renunciatione ad hæc necessaria pariter et cautela... et cætera. Acta fuerunt hæc Romæ in domibus sæpedicti domini Comitis. »

Domus incorporatur Ordini.

Præsenti anno, ut legitur in Charta, nova hæc Domus Ordini incorporatur : « Visum est Capitulo generali ob reverentiam Sedis Apostolicæ et domini Comitis Nolani, quod Domus novæ fundationis S. Crucis in Jerusalem de Urbe, Ordini incorporetur : et creamus in Priorem, Domnum Guidonem vicarium Domus Bononiæ, mandantes et præcipientes eidem quatenus, recepta Charta Capituli quam citius se personaliter transferat ad eamdem spiritualiter et temporaliter secundum ritum Ordinis gubernandam. »

Urbanus V hujus Domus benefactor.

Urbanus V inter hujus cartusiæ Romanæ benefactores annumerari cupiens, quidquid de legatis defuncti comitis Napoleonis ad se, tanquam Urbis Ordinarium, pertinere posset, pro ædificatione et dotatione Domus S. Crucis liberaliter cessit, ut videtur ex sequenti Instrumento : « Urbanus episcopus .... Sedis Apostolicæ gratiosa benignitas illorum pia et Deo grata opera per quæ cultus divini nominis augetur, libenter favore Apostolico prosequitur ; et super hoc prout expedire conspicit, auxiliis etiam providet opportunis. Nuper siquidem accepimus, quod olim dilectus filius nobilis vir Nicolaus Nolanus et quidam Napoleo de Ursinis Manupelli comites, quoddam monasterium Cartusiensis Ordinis in Urbe, in loco qui dicitur Thermæ Diocletiani de Sedis Apostolicæ licentia ædificare disposuerunt, jam sunt plures anni elapsi ; et quod hujusmodi dispositione sic stante prædictus comes Manupelli, condens de bonis suis in sua voluntate ultima testamentum, in eodem pro monasterio dicti Ordinis sic ædificando in loco prædicto certam pecuniæ quantitatem usque ad certum tempus tunc expressum annuatim solvendam, necnon pro male ablatis incertis quinquaginta florenos auri legavit et quoddam aliud legatum pro hujusmodi monasterio sic in præfato loco construendo fecit ; quæ omnia ad summam trium millium florenorum auri ascendere dignoscuntur ; quodque postmodum prædicti Comites super

ædificatione dicti monasterii serium habentes consilium, deliberaverunt ipsum monasterium in loco S. Crucis in Hierusalem de dicta Urbe construere ; ac hujusmodi deliberatione sic stante et in opere non posita, prædictus comes Manupelli, prædicto testamento non mutato, naturam fuit universæ carnis ingressus, ac deinde dictus Comes Nolanus, hujusmodi monasterium prædicti Ordinis in dicto loco S. Crucis de nostra licentia ædificare cœpit opere non modice sumptuoso : Nos igitur præmissa plurimum in Domino commendantes, volumus, et autoritate Apostolica tenore præsentium ordinamus, quod hujusmodi legata per dictum Comitem Manupelli pro monasterio in dicto loco S. Crucis sic inchoato, pro eo perficiendo et dotando dari debeant et dentur ; et insuper id quod de legatis hujusmodi ad nos tanquam ad Ordinarium dictæ Urbis pertinet, pro ædificatione et dotatione hujusmodi damus et etiam deputamus de gratia ampliori. Datum apud Montem Falconum, IX Kal. Augusti, anno Domini 1370, Pontificatus nostri anno VIII. »

ANNUS 1370

Domus ad Thermas transfertur.

Anno 1429, ordinatum fuit per Capitulum generale ut Prior Domus S. Crucis et Prior Domus Neapolis renunciarent in manu SS. Papæ dictam Domum tamquam ineptam personis Ordinis nostri. Res tum caruit effectu, sed postea, anno scilicet 1561, cartusia S. Crucis de Jerusalem in Urbe, translata fuit per Pium IV, Pontificem Maximum, ad Thermas Diocletiani (tum propter adventantium frequentationem, eo quod ecclesia S. Crucis una ex septem sit deputatis ad sacras Indulgentias consequendas, cum propter æstum aereum) dictaque Beata Maria de Angelis.

CARTUSIA LONDONIENS. FUNDATUR.

III. Hoc pariter anno, Cartusiensis Ordo aliam novam acquisivit Domum, Salutationem B. Mariæ Virginis, plurimorum Christi Martyrum futurum seminarium, in suburbio Londoniensis civitatis, in quodam loco extra Barram de West Smithfield vocato *Newe Cherche Hawe,* fundatam a Gualtero de Manny milite, belga natione. Hic anno 1327 e patria sua Philippam de Henault, Eduardi III uxorem, sectatus in Angliam ibidem consedit, et postea ob fidelem

ANNUS
1370

Origin. Cartus. cap. x.

operam militarem a Rege creatus est eques Ordinis Garterii, ut scribit Miræus. Dira pestilentia anno 1348 Londoniis sæviente, et cœmiteriis pro morientium sepultura non sufficientibus, idem Gualterus tredecim acras et unam rodam terræ comparavit, mortuorum sepeliendorum causa, in loco tunc dicto *the Spital Croft,* ubi plus quam 50,000 homines fuerunt humati, uti constat ex quadam inscriptione in eodem cœmeterio quæ hæc habet : « Anno Domini MCCCXLIX, regnante magna pestilentia, consecratum fuit hoc cœmeterium, in quo et infra septa præsentis monasterii sepulta fuerunt mortuorum corpora plusquam quinquaginta millia ; præter alia multa ab hinc usque ad præsens ; quorum animabus propitietur Deus. Amen. » Insuper juxta eumdem locum capellam et collegium duodecim sacerdotum fundare et dotare decreverat, qui pro omnium defunctorum animabus et speciali modo pro eis quos in bello interfecisset orarent ; sed cum ea de re Michaelem de Northburgh, Londoniensem episcopum consuluisset, hic eum a proposito avertit et adhortatus est ut potius Domum Ordinis Cartusiensis ædificaret. Quod et fecit ; eodem enim in loco, ubi tot homines, haud bene forsan parati ad vitæ rationem reddendam, repentina et miserabili morte sublati, catervatim sepulti fuerant, novam exstruxit Domum, cujus incolæ diu noctuque pro eisdem fratribus defunctis perpetui oratores, misericordiam peterent et veniam.

Licentia regis Eduardi.

Hoc præsenti anno, 1370, ut jam diximus, in generalibus comitiis, D. Joannes Luscote nascentis fundationis Rector, et dein, ædificiis completis, Protoprior denuntiatus est. Anno sequenti Eduardus rex has patentes Literas dedit in favorem novi monasterii : « Rex omnibus ad quos, etc... salutem. Sciatis quod de gratia nostra speciali concessimus et licentiam dedimus pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, dilecto et fideli nostro Waltero domino de Manny militi, quod ipse in solo suo proprio, viz * in quodam loco, extra barram *de West Smithfield London,* vocato *Newe Cherche Hawe,* quod quidem solum de nobis non tenetur in capite, quamdam Domum Monachorum Ordinis Cartusiensis

* quod significat : *id est.*

viz de quodam Priore et certis Monachis, ibidem vocatam *la Salutation de Mère-Dieu,* in honorem Dei et Beatæ Mariæ Virginis fundare, et xx acras terræ cum pertinentiis de solo prædicto una cum quadam capella et aliis domibus super terram prædictam ædificatis, dare possit et assignare præfatis Priori et Monachis ; habenda et tenenda eisdem Priori et Monachis, et successoribus suis pro inhabitatione sua ibidem facienda, ad Missas, orationes et alia divina servitia, pro salubri statu nostro et ipsius Walteri et Margaretæ uxoris ejus dum vixerimus ; et pro anima nostra et pro animabus progenitorum et hæredum nostrorum, necnon animabus eorumdem Walterii et Margaretæ, antecessorum et hæredum suorum, cum ab hac luce abstracti fuerimus ; et animabus Aliciæ de Henault et Michaelis de Northburgh nuper episcopi Londoniensis ; ac omnium benefactorum ipsius Walterii et omnium fidelium defunctorum in capella et domibus prædictis, juxta ordinationem ipsius Walterii inde faciendam celebrandas et faciendas in perpetuum. Apud Westmonasterium, 6 die Februarii. » Vicesimo die mensis Martii ejusdem anni ipse Gualterus (sive Walterus) de Manny sequentem perhonorificam fundationis cartam scripsit : « Universis Christi fidelibus præsentes has visuris vel audituris, Walterus dominus de Manny, miles, salutem in Domino sempiternam. Cum nuper pestilentia esset tam grandis et violenta in civitate Londoniensi quod cœmiteria ecclesiarum parochialium ejusdem civitatis non possent sufficere pro sepultura personarum in eadem pestilentia decedentium ; et nos moti pietate, habentes respectum ad pericula et damna, quæ tali hora potuerunt evenisse, eo quod non esset sepultura sanctificata pro morientibus prædictis ; et considerantes opus misericordiæ in hac parte, de nostra speciali devotione acquisivimus tredecim acras et unam rodam terræ, extra barram de West Smithfield ejusdem civitatis, in uno loco tunc vocato *le Spittle Croft*, modo autem vocato *le Newe Cherche Hawe,* pro sepultura personarum supradictarum, et eumdem locum per venerabilem Patrem Radulphum, tunc temporis ejusdem civitatis

ANNUS 1370

Carta fundationis.

ANNUS
1370

In memoriam præcipue Annuntiationis,

episcopum, fecimus benedici; in quo loco plus quam quinquaginta millia personarum in dicta pestilentia morientium sepulta fuerunt : et postea pro devotione quam erga Deum habuimus et suam dulcissimam Matrem benedictam Virginem Mariam, et specialiter ad festum Annuntiationis ejusdem benedictæ Dominæ Matris et Virginis, in quo festo erat initium restitutionis gaudiorum quæ amisimus per prævaricationem primorum parentum nostrorum, fieri fecimus in eodem loco unam capellam in honorem Dei et dicti festi Annuntiationis beatæ Mariæ Matris et Virginis. Et quia desideramus quod secundum ordinationem nostram orationes devotæ, et divina servitia secundum formam subsequentem ibidem perpetuo fiant et continuentur, et super omnes Religiosos alios specialem habemus devotionem sanctissimæ Religioni Ordinis Cartusiensis, idcirco sciatis quod ad reverentiam et honorem Dei et suæ sanctissimæ Matris et Virginis Mariæ et ob devotionem quam habemus ad dictum festum Annuntiationis necnon et affectionem quam gerimus ad sanctam Religionem supradictam, nos per præsentes has nostras fundamus et facimus unam Domum Monachorum ejusdem Ordinis in loco supradicto, quam vocamus et vocari volumus in futurum Salutationem Matris Dei, in honorem et perpetuam memoriam benedicti festi præscripti. Volumus etiam quod unus dictorum Monachorum vocetur Prior; et per assensum Prioris Cartusiæ Majoris in Sabaudia, quæ est principalis Domus Ordinis præfati, ubi etiam dictus Ordo originem cœpit, facimus Dominum Joannem Luscote Priorem Domus nostræ prædictæ, et donamus et concedimus, et per hæc scripta nostra confirmamus dicto Priori et suis commonachis præfatum locum qui continet XIII acras et unam rodam terræ, una cum dicta capella, et omnibus ædificiis ibidem ædificatis pro eorum inhabitatione illic facienda. Nos etiam donamus et concedimus et per hæc præsentia scripta confirmamus dictis Priori et Monachis et eorum successoribus, tres acras terræ jacentes extra muros dicti loci in parte boreali pro eorum inhabitatione antedicta :

Domus ædificatur.

ANNUS 1370

quæ terra jacet intra terram Abbatis et Conventus Westmonasterii ex una parte, et terram Prioris et Fratrum Hospitalis S. Joannis Jerusalem ex altera parte, habenda et tenenda omnia prædicta, terras, capellam et ædificia, cum omnibus eorum pertinentiis, præfatis Priori et Monachis et eorum successoribus in perpetuum de capitalibus Dominis fundi illius per servitia inde debita et de more consueta. Volumus insuper et ordinamus quod dicti Prior et Monachi et eorum successores habeant specialiter in Missis, orationibus et aliis divinis servitiis recommendatum statum nobilissimi regis nostri Angliæ Domini Eduardi tertii post conquestum; et statum nostrum, et dominæ Margaretæ consortis nostræ carissimæ, et hæredes nostros et Episcopum Londoniarum qui pro tempore fuerit, quamdiu sumus in hac vita ; et cum ab hac luce subtracti fuerimus, orent et celebrent pro animabus nostris, videlicet præfati nobilissimi Regis et animabus progenitorum et hæredum suorum et pro anima nostra et dictæ consortis nostræ, necnon pro animabus omnium antecessorum et hæredum nostrorum, et pro anima Aliciæ de Henault quondam comitissæ Mareshall, et pro omnium animabus qui mortem per nos subierunt, et pro quibus orare tenemur, et omnium benefactorum nostrorum. Item specialiter pro anima magistri Michaelis de Northburgh quondam episcopi Londoniarum et pro animabus successorum suorum, et omnium quorum corpora in prædicto loco sepeliuntur et omnium fidelium defunctorum. Et nos prædicti Walterus et hæredes nostri, terram, capellam et ædificia prædicta cum omnibus suis pertinentiis, Priori et Monachis et eorum successoribus contra omnes gentes warantizabimus et defendemus in perpetuum. In cujus rei testimonium huic præsenti scripto sigillum nostrum apposuimus, his testibus : Magistro Joanne Barnet Eliensi, domino Joanne de Boryngham Lincolniensi, episcopis... et aliis. Datum Londoniarum, vicesimo octavo die Martii, anno regni regis Eduardi tertii post conquestum quadragesimo quinto [1371]. »

Cartusianos suos oratores constituit.

Fratres Hospitalis S. Joannis de Jerusalem, prope Londo-

Benefactores Domus.

ANNUS 1370

niensem cartusiam commorantes, anno 1378, mense Martio, « Priori et Conventui Domus Salutationis Matris Dei » quatuor acras terræ concesserunt.

Dominus fundator, Gualterus de Manny, obiit 13 die Januarii 1372, sepultus magno funebri apparatu, adstantibus Eduardo rege et ejus filiis, ac pluribus aliis Præsulibus et Magnatibus, in suæ cartusiæ ecclesia. Ex testamento condito 1371 in festo S. Andreæ, Nostris legavit 1000 librarum summam.

Secundarius fundator jure dicitur Michael de Northburgh, Ordinis Prædicatorum, capellanus Eduardi III, dein anno 1355 episcopus Londoniensis factus. Obiit 1361. Suo testamento concessit 2000 libras pro fundatione, ædificatione et dotatione unius monasterii Cartusiensis Religionis, et insuper quædam vasa sacra et tintinnabulum argenteum.

Londoniensis quoque Domus benefactor annumeratur Joannes Hastings, maritus filiæ sæpedicti Gualterii, qui moriens 16 Aprilis anni 1375, sexcentas libr. Nostris reliquit.

Eodem anno 1375, executores testamenti Feliciæ de Thymelby Joanni (Luscote) Priori et Conventui Domus Salutationis Matris Dei 260 marcarum obtulerunt pro una cella construenda, et pro unius Monachi dotatione, qui oraret et Missas celebraret pro animabus Thomæ Aubrey et Feliciæ ejus uxoris, et pro omnibus fidelibus defunctis.

CARTUSIA IN INSULA CAPRI ERIGITUR,

IV. Monasterium sancti Jacobi apostoli, apud insulam Caprearum, natura et arte ab omni hominum societate secretum, proindeque anhelantium ad supernam felicitatem oratorium aptissimum, Jacobus Arcucci, comes de Minervino, dominus Altæmuræ in insula Capri, regius consiliarius, magnus camerarius regni Siciliæ, castellanus de Acerenza, et Joannæ reginæ magnus cancellarius æmulusque piissimus et religiosissimus, suo ære primus condere cœpit et dotare circa annum 1370; cujus fundationis hæc est causa. Præfatus Jacobus Arcucci ditissimus erat sed absque liberis ; quod valde ægre ferens, Domino promisit se monasterium ædificaturum si prolem reciperet. Vovit, accepit et absque mora

ANNUS 1370

votum solvere statuit; cumque Joannam reginam Cartusianos sæpe narrantem et laudantem audiisset, Domum hujus Ordinis ædificare delegit. Ea autem annuo reditu octingentorum aureorum dotata, Reginæ supplicavit ut fundationem confirmare dignaretur, quod libenti animo præstitit Joanna semper in Ordinem nostrum propensissima, dato diplomate Kalendis Maii 1371, in his verbis : « Ad Dei laudem et gloriam, de cujus manu bona cuncta suscepimus, reverentiam debemus ecclesiis; et in recognitionem talenti ab eo dati nobis et crediti, locupletis partem offerre quam possumus et forte dependere quam valemus. Sane Jacobus Arcuccius de Capri dilectus consiliarius, secretarius, familiaris et fidelis noster, Majestati nostræ humiliter supplicavit ut cum ipse intendens saluti animæ suæ per charitatis opera providere, incœperit de novo in insula Capri, in loco qui Sama dicitur, ædificare seu ædificari facere suis sumptibus et expensis locum unum seu monasterium de Ordine Cartusiensium, sub vocabulo S. Jacobi apostoli, pro remissione peccatorum suorum ac filiorum, parentum, hæredum et fratrum suorum, ipsumque monasterium Religioni ac dicto Ordini Cartusiensium, ad quem gerimus ac idem Jacobus gerit spectabilem devotionis affectum, et ubi viget præcipue monasticæ professionis observantia, omnino subjicere et ipsorum usibus deputare, dignaremur cum suis votis in hac parte concurrere ac Fratribus famulaturis Deo in illo subsidialiter providere. Nos vero ejusdem Jacobi in hoc pium laudandumque propositum multipliciter commendantes, ejusque dispositionem veluti ad divinum redundantem obsequium, et ipsius salutem animæ promoventem, et se ad charitatis opera deferentem in quibus etiam nos ex devotione concurrimus, et ad illa erga Deum ex debito obligamur dignis affectibus confoventes, et deducentes in nostræ considerationis examine quod pro susceptis ab æterno Datore munerum temporalibus bonis ultra conditionem nostram et exigentiæ nostræ vires, sibi et ministris suis nos cognoscimus debitrices licet æqualiter rependere nequeamus, eidem monasterio per dictum Jacobum construendo

Laudante regina Joanna.

ANNUS
1370

ac construi jam incœpto, pro dote ipsius monasterii, ac pro vita et substentatione Fratrum ipsorum et aliarum personarum degentium et servientium in eodem, et præsertim ut Fratres ipsius Ordinis habentes in illo continuatis temporibus residere ad famulandum Deo et ad divinum ibi cultum jugiter celebrandum, commodis substententur et vivant, bona omnia stabilia domanialia quæ Curia nostra habuit in dicta civitate Capri consistentia in domibus.... eleemosynaliter offerimus atque concedimus et speciali gratia præsentium tenore donamus : et ut affectus noster erga dictum Ordinem ac Fratres ipsius innotescat ipsique Fratres Deo jugiter famulentur, eidem monasterio pro dote ac pro vita et substentatione Fratrum ipsius, omnia jura nostræ bajulationis dictæ civitatis et insulæ Capræ, videlicet terrarum cultarum et incultarum.... præmisso ad id nos inducente motivo, concedimus, offerimus, donamus.... ; et ut ipsorum Fratrum indigentiæ ac necessitatibus consulatur, et præsertim pensato situ dictæ insulæ in qua, propter sterilitatem ipsius et conclusum maris fluctibus aditum, difficile esset eis sine anxietate vivere nisi ipsis aliunde proveniant quæ ad vitam hominum necessaria dignoscuntur, decernimus et deputamus dicto monasterio pro usu Fratrum ipsius tumulos salis triginta..... et insuper ipsis Fratribus licentiam impertimur quod ipsi valeant in nemore nostro Schifati incidere singulis annis in perpetuum de lignis ipsius nemoris caracas magnas seu barrachas triginta de grossioribus, cum quibus ligna deferri faciant per mare ad monasterium.... concedentes nihilominus eidem monasterio quod in quibuscumque regni nostri partibus Prior seu ministri valeant.... emere ac habere et recipere ex dono vel aliter quæcumque victualia, lignamina, vinum, caseum, equos, jumenta, boves, tabulas, trabes, ferrum, pannos, sal et quascumque alias res.... absque solutione cujuscumque juris dohanæ, portus... etc.; a cujus juris solutione Fratres, procuratores, factores, servitores ac præpositos exemptos reddimus, facta tamen ea fide, sub verbo veritatis, per ementes, recipientes et habentes hujusmodi res, quod illas

Plura ipsa Joanna motu proprio Nostris largitur.

deferant ad dictum monasterium. Attenta conditione dictorum Fratrum ac laudabili vita eorumdem, et quia sunt in dicto monasterio ad divina obsequia dicati, et fides est in Majoribus adhibenda, et quia Fratres ipsos tanquam divino obsequio deditos et adstrictos Religioni sanctifici Ordinis supradicti, esse decet et præcipuis et specialibus Privilegiis libertatibusque et immunitatibus decoratos, tanquam a mundanis illecebris alienos, ejusdem monasterii Fratres ab omni servitio.... liberos esse volumus, quantum in nobis est.... [cætera ut in Privilegio ab eadem Regina cartusiæ supra Neapolim concesso.] Datum Neapoli, anno Domini MCCC septuagesimo primo, die primo Maii, nonæ Indictionis, regnorum nostrorum anno vigesimo nono. »

ANNUS 1370

Vide ann. 1347.

Ædificiis autem novæ Domus sat convenienter aptatis, dominus Fundator iterum Joannam rogavit ut ipsa a Reverendo Patre Generali quosdam sibi Monachos mitti posceret ; cujus petitioni statim annuens, Prior Cartusiæ (Guillelmus Raynaldi) destinavit Domnum Thomam et Domnos Benedictum, Dominicum et Christophorum : hi omnes professi erant Domus S. Martini supra Neapolim, insignis pietatis viri, qui vicissim officio Prioris fungentes, teneram sancti Jacobi plantationem suarum rore virtutum irrigarunt. Paulo post, instante iterum eadem Joanna, Gregorius hujus nominis undecimus, cartusiæ insulæ Caprarum quotquot ejus prædecessores, Romani Pontifices, Domui Vallis benedictionis juxta Avenionem privilegia concesserant, et ipse largitus est sequenti Instrumento : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Fratribus Domus sancti Jacobi Capritani, Ordinis Cartusiensis, salutem et Apostolicam benedictionem. Sacræ vestræ Religionis, sub qua virtutum Domino in humilitatis spiritu gratum exhibetis obsequium promeretur honestas, sinceræque devotionis affectus quam ad Nos et Romanam geritis Ecclesiam persuadet, ut vos et Domum vestram gratis attollamus favoribus, et specialibus gratiis et præsidiis foveamus. Hinc est quod Nos carissimæ in Christo filiæ nostræ Joannæ reginæ Siciliæ

Bulla Gregorii XI in favorem hujus novæ Domus.

ANNUS 1370

illustris nobis super hoc humiliter supplicantis, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut omnia et singula privilegia, Indulgentiæ et exemptiones dilectis filiis Priori et Fratribus Domus Vallis benedictionis de Villanova Cartusiensis Ordinis, Avinionensis diœcesis, dictæque Domui per Nos et quoscumque alios Romanos Pontifices, prædecessores nostros, sub quacumque forma vel expressione verborum concessa.... ad vos et Domum vestram prædictam totaliter se extendant; vosque hujusmodi privilegiis perinde uti et gaudere possitis ac si vobis specialiter et expresse concessa fuissent, autoritate Apostolica concedimus tenore præsentium. Nulli ergo.... Datum apud Villam novam, Avinionensis diœcesis, VI Kalend. Maii, Pontificatus nostri anno quarto. »

Fundatori egenti subveniunt Nostri.

Hucusque Dominus benedixerat domui Jacobi Arcucci, eumque divitiis et honoribus cumulaverat; sed necesse fuit ut tentatio probaret animam ejus ostenderetque eum virum esse justum et sanctum. Igitur circa hæc tempora accidit ut Carolus Duratius, ab Urbano VI rex Neapolitanus coronatus, vi et armis Othonem maritum Joannæ superaret et in custodiam cum uxore sua includeret : fidelibus insuper Joannæ ministris victor non pepercit, inter quos præminebat noster Arcuccius. Ille ergo, bonis omnibus et dignitatibus exspoliatus, e ditissimo et honoratissimo inops et inglorius repente factus est; et ut accederet dolori cumulus, filius ejus primogenitus, Jannuccius, in hostium manus incidit. Qua in desperatione rerum, Jacobus (qui in insula Caprearum sese absconderat) benefactores nactus est eos olim a se beneficiis affectos : Prior etenim cartusiæ, D. Andreas Massarius, toto annuente Conventu, statim miserando patri quinquaginta uncias, ut Jannuccium e servitute liberaret, obtulit; dein idem Massarius, Jacobi, Mariettæ ejus uxoris, et Jannuccii necessitatibus, largiori qua potuit manu, constanter subvenire non destitit. Obiit Jacobus die 22 Novembris 1386, et eum Cartusiani extra templi absidem in angulo capellæ ara majori proximioris posuerunt, sub lapide ubi hæc inscriptio : « Clauditur hoc tumulo magnificus dominus Jacobus Arcuc-

cius de Capre, regni Siciliæ magnus camerarius, comesque Minerbini et Altæmuræ dominus, sacri hujus monasterii fundator, defunctus anno MCCCLXXXVI, xxii die Novembris feliciter. Amen. »

ANNUS 1370

Anno sequenti Ludovicus Andegavensis, quum regno Neapolitano potitus esset, Januccium Arcucci in paterna munia et bona restituit; qui Cartusianis Domus S. Jacobi, gratiæ referendæ causa, palatium suum in regione dicta « Porta Don Urso » situm, contulit.

« In hac Domo Caprensi, ait Molinus ex nostro Meleagro Pentimalli, vivitur quam sanctissime et monasticum Propositum servatur ad unguem. Ejus annui reditus quamvis exigui et laboriosæ exactionis, habito respectu ad ingentem numerum suorum Religiosorum et pauperum sæcularium, quos assidue atque indefesso charitatis fotu cubat, divina tamen supplente gratia et ministrorum solertia, adhuc etiam semper aliquid superest pro reparandis suorum ædificiorum ruinis quæ vel Turcica immanitas vel inevitabilis temporis insidiæ incessanter et continuo demoliuntur. »

Histor. Cartusiana ms. p. 570.

SACELLUM REGIUM IN DOMO CARTUSIÆ A CAROLO V FUNDATUR.

V. Exeunte hoc anno, Carolus Franciæ rex, in Domo Cartusiæ quamdam capellam fundari jussit, Sanctissimæ Trinitati dicatam, in qua voluit perpetuo, certa divina Officia celebrari. Hanc prædictam fundationem confirmarunt: Carolus VI mense Maio 1413, Ludovicus XI die 16 Decembris 1469, Henricus III anno 1576, Ludovicus XIII 15 Julii 1630 et Ludovicus XIV in vigilia Assumptionis 1682. Post annum 1630, sacellum SS. Trinitatis, quod et capella Regis vocabatur, S. Ludovico Francorum regi dedicatum fuit. Literæ vero fundationis hæ sunt : « Carolus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis præsentibus et futuris, quod nos mentem nostram et cordis nostri oculos erigentes ad Illum a quo bona cuncta procedunt, sub cujus fide vivere et ei servire regnare est, per quem Reges regnant et ei pariter famulantur; ad sanctam quoque gloriosissimam virginem Mariam ipsius matrem, pietatis et misericordiæ fontem; necnon ad beatissimos et gloriosissimos ejusdem Domini nostri

Literæ dotales.

Cartular. Nov. Major. Cartusiæ.

ANNUS 1370

Apostolos, Martyres et Confessores, pariter et Virgines Virginis præcelsi Christi matris exemplum imitatrices, et ad totam curiam Supernorum qui pro nobis peccatoribus nocte dieque jugiter intercedunt; necnon et ad claram et devotissimam Religionem Prioris et Fratrum Domus Majoris Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, qui inter cæteros Religionis monasticæ professores devotione præcipua refulgent, et per ipsorum devotas orationes Christianus populus decoratur, ac pro fidelium remissione peccaminum preces effundunt ad Dominum incessanter; et provide gerentes ad ipsos et ipsorum Ordinem specialis et præcipuæ devotionis affectum; ac cupientes terrena in cœlestia, et transitoria in æterna felici commercio commutare: ad ipsius Dei omnipotentis et beatissimæ Virginis Mariæ matris ejus et totius curiæ Supernorum gloriam et honorem, et pro nostri et carissimæ consortis nostræ Reginæ, necnon carissimi nostri primogeniti Caroli dalphini Viennensis animarum remedio et salute; et ut Dei Filius benedictus nostris temporibus pacem et tranquillitatem donare dignetur, nostrumque regnum et populum per Eum nobis commissum salubriter et laudabiliter gubernare concedat: decrevimus quod in dicta magna Domo Cartusiæ, in ipsorum monasterio, certa capella construatur in qua per ipsos Religiosos et Fratres certa divina officia perpetuis temporibus celebrentur. Et pro ipsius capellæ fundatione et dotatione volumus et ordinamus, et eisdem concessimus et concedimus facultatem quod certi reditus usque ad valorem ducentarum librarum Parisiensium annui et perpetui reditus, ubicumque voluerint in regno nostro vel Dalphinatu Viennensi, in loco eisdem magis propitio, de nostra pecunia acquirantur et eorumdem Domui penitus applicentur; eisdem Priori et Fratribus qui nunc sunt et pro tempore fuerint nostram gratiam ampliantes, ex plenitudine regiæ potestatis, certa scientia et gratia speciali concessimus et concedimus per præsentes, ut ipsi dictas ducentas libras Parisienses in eisdem regno vel Dalphinatu sic per eos acquisitas vel imposterum acquirendas, simul vel per partes, etiam si sint in

Ordinem Cartusiensem laudibus effert.

feudo..., habere, retinere et perpetuo possidere tanquam rem suam, propriam, ecclesiasticam, possint et valeant, absque eo quod per nos vel successores nostros Reges Franciæ aut Dalphinos Viennenses, ad ponendum extra manus suas in toto vel in parte de cætero aliqualiter cogi possint...... nonobstantibus in contrarium editis quibuscumque. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, nostrum præsentibus Literis facimus apponi sigillum ; salvo in aliis jure nostro et in omnibus quolibet alieno. Datum apud nemus Vincenneii, anno Domini MCCCLXX et regni nostri septimo, mensis decembris die septima. Sic signatum per Regem. »

ANNUS 1370

Festum SS. Trinitatis apud Nos celebrari petit Rex.

Parum vero habuit piissimus Rex sacellum hoc in Majori Cartusia erexisse, ni per totum Cartusiensem Ordinem, festum ad gloriam summi Dei, unius et trini, celebrandum curaret; ideo non respuit Supremo Pontifici pro tali gratia adipiscenda supplicare : præterea, ad augmentum venerationis et amoris beatæ Dei genitrici debitorum, idem Rex etiam rogavit, ut in quolibet sabbato festum de B. Virgine gloriosa, per totum Cartusiæ Ordinem celebraretur. Quidnam regiis precibus responsi Christi Vicarius dederit, sequentes nos edocent Literæ : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori monasterii Cartusiensis per Priorem soliti gubernari, Gratianop. diœcesis, ac Diffinitoribus Capituli generalis Cart. Ord. salutem et Apostolicam benedictionem. Dum præcelsa meritorum insignia quibus regina Cœlorum Virgo Dei genitrix gloriosa sedibus prælata sydereis quasi stella Matutina prærutilat, devotæ considerationis indagine perscrutamur; dum etiam infra pectoris arcana revolvimus quod ipsa florem pretiosissimum, immarcessibilem et æternum D. Jesum Christum humani generis redemptorem ineffabili Spiritus Sancti cooperatione produxit, et humani generis consolatrix pro salute fidelium qui delictorum onere prægravantur sedula exoratrix et pervigil ad Regem quem genuit intercedit; dignissimum, quin potius debitum, reputamus ut præter illa quæ quotidie ad ejus laudem dicuntur, certis diebus de ipsa Virgine memoria solemnior et celebrior

Literæ Pontificiæ de hac materia.

ANNUS 1370

Festum speciale quolibet sabbato in honorem B. V. Mariæ,

habeatur. Sane nuper carissimus in Christo filius noster Carolus, rex Francorum illustris, devotione motus, super Officio de B. Trinitate in Ordine vestro celebrando et quod in quolibet sabbato, præter Adventum et Quadragesimam, fiat festum de eadem B. Virgine gloriosa (nisi festum duodecim Lectionum impediret) nobis supplicavit, prout continet cedula præsentibus interclusa. Nos igitur attendentes quod idem Rex, quem dominantium Dominus multis decoravit titulis, inter cæteros regiæ dignitatis Principes ipsum non indigne præconiis humanis extollendo, ex sincera et multiplici devotione quam ad Creatorem suum et ejus Matrem ac etiam ad Romanam Ecclesiam matrem suam incessanter habuit hactenus, et constanter indefesso proposito habere dignoscitur, ad præmissa præmonenda humiliter Nos sollicitare voluit, certum nuntium ad Nos propterea destinando : hujusmodi ipsius Regis supplicationibus inclinati, ordinamus ut in prædicto vestro Ordine, septima die post festum Pentecostes, hujusmodi festum de beata Trinitate perpetuo celebretur prout in aliis nostris Literis apertis plenius poteritis intueri.

idem Rex poscit institui.

« Et insuper circumspectionem vestram nobis caram hortamur attentius, vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes de hujusmodi Officio beatæ Mariæ Virginis prout in eadem cedula continetur celebrando, ut intra vos in proximo generali Capitulo in prædicto Ordine vestro celebrando ac cum aliis probis ejusdem vestri Ordinis deliberetis ; et quidquid reperiretis et deliberaveritis in præmissis, nobis quantocius rescribere non tardetis, ut hujusmodi vestra deliberatione præhabita, in his consultius agere valeamus.

« Datum apud Villam novam, Avenionensis diœcesis, quarto Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto. Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1375. »

PROVINCIA LOMBARDIÆ BIPARTITO DISTRIBUITUR.

VI. In præsentis anni Comitiis « ordinatur quod deinceps Provincia Lombardiæ sit divisa in duas pro visitationis officio exercendo : ut videlicet Roma, et ab inde ultra, sit Lombardia remota citerius ; versus vero Cartusiam sit Lombardia propinqua. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1371.

Gregorii PP. XI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 288.	Ann. 5.

PRIVILEGIA A GREGORIO XI ORDINI CONCESSA.

I. SEQUITUR annus Redemptoris septuagesimus primus post millesimum trecentesimum, Indictione nona, quo Gregorius Pontifex initium benevolentiæ suæ stillans in Ordinem nostrum, eidem indulsit quod ipsius privilegia, vel etiam singularum Domorum, se extendant ad Domos postea inchoatas, vel in posterum inchoandas, scriptis ob id hujuscemodi encyclicis Literis : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Suadet Religionis honestas et debitum rationis exposcit ut religiosa loca et personæ in eis sub Religionis observantia, virtutum Domino grati famulatus obsequia impensuræ, benignis favoribus ac gratiarum et privilegiorum exhibitionibus per Sedem Apostolicam foveantur, ut eo suavius eædem personæ jugum Domini ferant quo et ipsæ et loca earum majori prærogativa libertatum fuerint communitæ. Hinc est quod nos dilectorum filiorum, Prioris et Conventus Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis supplicationibus inclinati, ut omnia privilegia prædictæ Domui Cartusiæ et aliis Domibus Cartusiensis Ordinis a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessa, ad omnes et singulas Domos dicti Ordinis ex tunc ædificatas et ædificari inchoatas ac etiam in posterum inchoandas, cum canonice et fundatæ et ædificatæ fuerint, se extendant.... et Domus ipsæ ac personæ quæ in eis pro tempore morabuntur,

ANNUS 1371

omnibus et singulis privilegiis hujusmodi gaudeant, sicut gaudent Domus Cartusiæ et aliæ Domus antedictæ ac personæ præfatæ degentes in ipsis, in perpetuum eisdem Priori ac Ordini autoritate Apostolica concedimus de gratia speciali.... Datum Avinione, Idibus Martii, Pontificatus nostri anno primo. »

Inter Privilegia num. 92.

Eodem die idem Gregorius Ordini nostro concessit quod Capitulum generale possit promovere ad obedientias Ordinis decem personas professas Ordinis nostri ex illegitime natis, vel quæ venerunt ex Ordine Mendicantium et Cisterciensium, etiamsi quandoque fuissent apostatæ. Extant de hac re ejusdem Gregorii codicilli, scripti sequenti tenore : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Romani Pontificis præcellens autoritas frequenter personarum conditione pensata, de gratia suæ benignitatis indulget quod Juris severitas interdicit. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris et Conventus Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, petitio continebat quod sæpe contingit quod nonnullæ personæ quæ Cisterciensem Ordinem aut aliquem ex Ordinibus Fratrum Mendicantium vel alium quemcumque Ordinem sunt professæ et postquam ab eisdem Ordinibus exiverunt et etiam apostatarunt, laudabiliter emendantur; ac quia nonnullæ aliæ personæ defectum natalium patientes de solutis parentibus genitæ, ad hoc alias habiles et idoneæ, in eodem Ordine Cartusiensi recipiuntur in Monachos et in Fratres : quare pro parte Prioris et Conventus prædictorum, nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum in dicto Ordine personæ ipsæ ad aliqua officia non valeant promoveri, dispensatione super hoc Apostolica non obtenta, ac modernis temporibus personarum ad hoc habilium et idonearum in eodem Ordine magnus defectus existat, providere super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, ut cum in dicta Domo contigerit Capitulum generale celebrari, Diffinitores eorumdem Capituli et Conventus prædicti, cum decem ex personis hujusmodi quæ aliquem ex dictis Ordini-

bus seu alium quemcumque Ordinem fuerint professæ et quæ postquam ab eisdem Ordinibus exiverint et etiam apostataverint, a sententia excommunicationis quam propterea incurrerint absolutæ, et alias laudabiliter emendatæ fuerint, ac ipsæ et aliæ hujusmodi defectum natalium patientes personæ prædictæ alias ad hoc sufficientes et idoneæ extiterint, et alias eis merita suffragentur, ad hujusmodi dispensationis gratiam obtinendam ; ut quælibet earumdem personarum, quæcumque officia curam animarum habens in dicto Ordine Cartusiensium, si personæ ipsæ alias canonice assumantur ad illa, libere recipere et ea successive licite retinere valeant..... autoritate Apostolica dispensare valeant, Diffinitoribus et Capitulo prædictis tenore præsentium concedimus de gratia speciali potestatem. Volumus autem quod si super hujusmodi concessione, aliæ nostræ sub data præsenti forsitan sint confectæ Literæ vel in posterum conficiantur, ipsæ nullam penitus obtineant roboris firmitatem, sed sint cassæ et irritæ ac nullius roboris efficaciæ vel momenti.... Datum Avinione Idibus Martiis Pontificatus nostri anno primo. »

ANNUS 1371

II. Hoc anno, Joanna regina Siciliæ quoddam donum misit Capitulo generali, et Majori Cartusiæ concessit centum salmatas salis extrahendas annis singulis super gabella castri Arearum in comitatu Provinciæ et diœcesi Toloniensi, ut in sequenti bulla aurea legitur : « Joanna Dei gratia regina Jerusalem et Siciliæ, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, universis præsens privilegium inspecturis tam præsentibus quam futuris. Amplam in bonorum dono multiplici divinam de superis dextram agnoscentes, non indigne disponimus cum tractamus ministris Ecclesiæ domus Dei de collatis nobis partem impendere, et in Ejus reverentiam qui donavit participium impartiri. Igitur ad divini reverentiam Nominis, caritatis intuitum et propter singularem devotionem quam ad Ordinem Cartusiensem gerimus, sequentes in hac parte vestigia claræ memoriæ domini Ducis Calabriæ genitoris nostri et domini reverendi ; in nostri et ejusdem genitoris ac progenitorum

REGINA JOANNA SICILIÆ 100 SAGMAS SALIS DAT MAJ. CARTUSIÆ.

Cartular. II Majoris Cart.

ANNUS 1371

nostrorum suffragium animarum, benigne religiosis viris Priori et Conventui primæ et majoris Domus Ordinis Cartusiensis, devotis oratoribus nostris, pro usu eorum et aliis necessariis adimplendis, annuas salmas salis castri nostri Arcarum, diœcesis Tolonensis in comitatu nostro Provinciæ, sine aliquo jure gabellæ et dirictus alicujus seu pedagii, ac cæterorum quæ propterea solvi deberent exinde persolvendo, de liberalitate mera et gratia speciali, eleemosynaliter in perpetuum duximus concedendas atque donandas; ut dicti Prior et Conventus, per suos nuntios aut procuratorem, illas annuatim de gabella et in gabella præfata ac aliis redditibus supradictis absque contrarietate quacumque percipere valeant et habere. In cujus rei testimonium præsens privilegium exinde fieri et aurea bulla Majestatis nostræ impressa jussimus communiri; alio consimili sub ejusdem Majestatis nostræ sigillo cereo exinde concesso ad cautelam. Datum Neapoli per manus Johannis Aversani.... Anno Domini 1371, die 21 Julii, regnorum nostrorum anno vigesimo nono. »

JOHANNA REGINA FRANCIÆ MORITUR.

III. Hoc anno, die quarta Martii, decessit, ætate admodum provecta, Joanna Ebroicensis, inclyti regis Caroli Pulchri relicta, cujus corpus tumulatum est Sandionysiopoli, cor autem depositum apud Franciscanos Parisienses. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1371 his verbis : « Obiit domina Joanna, regina Franciæ et Navarræ, die 4 Martii, quæ habet tricenarium perpetuum Defunctorum; scribatur in Calendariis. » De illa quæ tam sincere dilexit Ordinem nostrum, sæpissime fit mentio in Chartis capitularibus. Sit exempli gratia, anno 1340 : « In quacumque Domo Ordinis dicatur una Missa de Spiritu Sancto pro illustrissima domina, domina Joanna, regina Franciæ et Navarræ. » Anno sequenti : « Illustrissimæ dominæ Joannæ, reginæ Franciæ et Navarræ conceditur una Missa dicenda a quolibet sacerdote nostri Ordinis secundum devotionem, et septem Psalmi dicendi a quolibet Monacho non sacerdote cum Litania, pro se et suis et anima Domini Caroli. » Anno 1343 : « Illustrissimæ dominæ Joannæ conceditur tricenarium Spiritus Sancti,

Ordini nostro addictissima,

ANNUS 1371

semel, per totum Ordinem, post præsens Capitulum persolvendum ; et in qualibet Missa dicetur una Collecta *Inclina,* pro clarissimæ memoriæ Domino Carolo, rege Franciæ et Navarræ, quondam ejus consorte ; et pro domina Maria Ambosii filia nuper defuncta : quæ quidem domina (Joanna) post alias eleemosynas largas, nunc dedit Capitulo generali centum libras annui reditus, pro oneribus ipsius Capituli perpetuo supportandis. » Anno 1346 : « Conceditur tricenarium Spiritus Sancti dominæ Joannæ reginæ. » Concessum est autem ei per Chartam anni 1349, tricenarium singulis annis, in perpetuum, post mortem celebrandum per totum Ordinem circa Martii principium, quia delegaverat Capitulo generali centum libras annuales, de quibus supra. Nonobstante vero hac tam speciali gratia (quæ tribus solum, ut jam memoravimus, fuit concessa) quotannis usque ad mortem habuit Joanna missas triginta de Spiritu Sancto, sicut admonent Diffinitores anno 1351 : « item recordentur omnes sacerdotes facere tricenarium de Sancto Spiritu concessum dominæ Joannæ reginæ, quamdiu vivit. » Anno autem 1357 : « Pro domina nostra Joanna, regina Franciæ et Navarræ, dicatur in qualibet Domo Ordinis una missa de Spiritu Sancto *ultra* tricenarium de Spiritu Sancto quod debet fieri quolibet anno. »

maxime Parisiens. Cartusiæ,

Joanna, singulari devotione et pietate prædita et mirum in modum affecta in Cartusianos, imprimis summa in veneratione et amore habebat Monachos Vallis viridis; unde, ut ex antiquis Monumentis constat, eos conveniebat frequentissime seseque ad ima humilitatis et charitatis officia demittens, parabat obsonium ipsaque per cellulas ministrabat Monachis prandium; infirmos quibus poterat modis sublevabat et consolabatur, in quorum gratiam infirmitorium claustro majori contiguum ædificavit, sex cellulas, et sacellum instructum calice, missali ornamentisque necessariis. Insuper in eleemosynas quinquaginta sex libras cum quinque solidis annui census a caduci lege liberas in fundo oppidi Dyerre* sitas tribuit, ex quibus duodecim libras cum decem assibus ad sa-

Histor. ms. Cartus. Parisiens.

in qua infirmitorium ædificat,

* Yerres, juxta Parisios.

ANNUS 1371

celli et infirmariæ subventionem detraxit. Item septuaginta quinque solidos pro duabus lampadibus, quarum una in sacello jugiter, altera in claustro per noctem ardere deberet. Dedit ad pitantiam infirmorum adaugendam xxv libras : demum ad quatuordecim pitantias Conventuales in refectorio, die scilicet Nativitatis Domini, die Cœnæ, et diebus anniversariis conjugis sui Caroli regis et sui obitus (4 Martii) subministrandas, regali plane munificentia, quindecim libras largita est. Ideoque præfati Patres non ingrati preces suas et omnia spiritualia bona Reginæ refuderunt, singulisque diebus unam Missam pro ejus animæ requie privatim celebrabant. Insuper in præfatæ Joannæ depositionis die, tricenarium persolvebatur. Quæ omnia singula singulis annis legi debebant in Capitulo. Quicumque autem in prædicto sacello Missæ sacrificium offerebant, pro illius anima et ejus affinium orare tenebantur.

et cui largas eleemosynas confert.

Ei conceditur fraternitas in hac Domo,

Diploma datum Joannæ reginæ a Monachis cartusiæ Parisiensis, quo ei fraternitas in hac Domo et Missa quotidiana in perpetuum conceduntur, hujusmodi est : «.... potentissimæ dominæ, dominæ Joannæ, reginæ Franciæ et Navarræ, humiles ejus capellani et oratores, Prior et Conventus suæ Domus Vallis viridis prope Parisius, Ordinis Cartusiensis, salutem in Domino nostro Jesu Christo, et pro regno terreno in hac brevi et mortali vita, per magnam fervoris devotionem regnum cœleste, quod non habet finem, acquirere. Certo noveritis, carissima Domina, quod nos et antecessores nostri, ex hominum memoria, usque in præsentem diem, nemini neque dum viveret neque imperpetuum post ejus mortem, unquam promiserimus quæ infra sunt recitanda : hoc non obstante, serio inter nos habito tractatu, considerantes dulcissimam radicem e qua estis egressa, et magnum amorem ac devotionem quam speciatim habetis ad nos et nostras orationes (ut manifestum est nobis per gratias, visitationes, cæteraque ingentia bona et beneficia quæ nobis quotidie largimini), jure et merito adducimur ut desideriis vestris placeamus : itaque vobis, uti nostræ bonæ matri et carissimæ sorori, concedimus in vita et post obitum fraternitatem et participatio-

nem omnium bonorum operum hujus Domus; et specialiter, una cum nominibus nostris, in nostro martyrologio scribemus nomen vestrum et beneficia per vos nobis facta, ut imperpetuum eorum memoriam habeamus : insuper vobis damus et concedimus, de gratia speciali et imperpetuum, unam, cum pleno ejus fructu, e Missis quæ in dicta Domo nostra juxta devotionem sacerdotis dicetur quolibet die, in quo ad nostram voluntatem Sacrum faciendi licentiam habemus (sunt enim dies in quibus Missam privatim non cantamus (sic), i. e. in magno Die Veneris, Sabbato benedicto, et solemnitatibus Paschæ, Pentecostes et Natalis Domini in quibus Conventus de Corpore Domini communicat) : et si in futuro vel nos, vel qui post nos erunt, ob rationabilem causam Missam privatim cantare non possemus, Deum creatorem nostrum rogamus ut vobis de fructu cæterarum Missarum nostrarum tantum dare, concedere et confirmare dignetur, quantum ante faciem Christi placuerit, pro salute animæ vestræ et Caroli regis (cujus Deus misereatur) et omnium vivorum et defunctorum, quos prædictarum Missarum participes fieri vultis et intenditis : præterea vobis concedimus plenum in hac Domo nostra Monachatum, videlicet vobis promittimus post obitum vestrum facere omnia quæ pro quacumque persona hujus Domus, sive Prior sit vel Monachus aut Conversus, facere consuevimus : denique vobis promittimus, quotannis in die obitus vestri anniversario, Missam et Vigilias cantare eo solemniori modo quo, annis singulis et imperpetuum pro rege Carolo facimus. Et firma manere volumus omnia supra dicta et scripta in præsentibus Literis, quas sigillo Domus nostræ sigillatas, non coacti, de unanimi consensu totius Conventus, in loco consueto ubi principaliora Domus negotia tractantur, dedimus pro bona vestra pace et consolatione.... Datum anno Domini 1339.... »

et una Missa quotidiana in perpetuum.

Quod quidem Instrumentum, ait Chronicon ms. Domus Parisiensis, singulis annis in nostro Capitulo legitur.

Supra ostium infirmariæ talis inscriptio in lamina cypria apposita est : « Anno Domini 1341 perfecta est hæc capella et

ANNUS 1371

infirmaria fundata a domina Joanna Dei gratia Franciæ et Navarræ regina, alias uxor inclyti principis Caroli utriusque regni domini, filii regis Philippi cognominati Pulchri, filia potentissimi Principis domini Ludovici Franciæ, comitis quondam Ebroicensis et filii Galliarum Regis. »

SECUNDA STATUTORUM COMPILATIO APPROBATUR.

IV. Secundam Statutorum Compilationem Diffinitores una cum Reverendo Patre Cartusiæ, hoc anno, postremum approbarunt et confirmarunt, edita tali ordinatione : « Zelo pacis, et Ordinis nostri conservatione laudabili, necnon multorum precibus ducti, præsertim Conventus majoris Domus Cartusiæ super hoc humiliter consentientis et supplicantis : approbamus et confirmamus novam compilationem additionum a Capitulo generali, anno Domini 1368 laudabiliter emanatam, aliquibus tamen cancellatis et emendatis prout habetur in Cartusia ; statuentes ut singulæ Domus Ordinis sicut habent Compilationem jam dictam mittant ad Cartusiam corrigendam, vel alias correctam habere procurent : et amodo nisi ab exemplaribus immediate vel mediate correctis sive transumptis ab exemplari approbato confirmatione præsenti prædicta compilatio transcribatur. Data sedente Capitulo generali, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo. »

INCENDIUM SECUNDUM MAJORIS CARTUSIÆ.

* 1371.

V. « Tempore Prioris Cartusiæ, R. P. Guillelmi, ut refert coævus Autor *Speculi Ordinis Cartusiensis,* circa annum Domini 1370*, contigit flebile quoddam in Domo Cartusiæ, Fratribus quiescentibus tempore dormitionis meridianæ, incendium inopinate a parte coquinæ veniens. Totam Domum Cartusiæ superiorem cum ecclesia, claustro, cellis ac aliis officinis, quidquid igni consumi poterat, unica vorax flamma consumpsit. Sicque cuncti quasi desperati omnem sollicitudinem suam et curam dumtaxat pro libris eripiendis apponebant, si quos tamen eripere potuissent, cæteris Deo et periculo instanti commissis. Unde et Domnus Cartusiæ nullum videns remedium, valido clamore incessanter clamabat : Ad libros, fratres, ad libros. Plures tamen libri absque hæsitatione hinc inde in cellis consumpti sunt. Propter quod Fra-

ANNUS 1371

tres (conventus scilicet Cartusiæ) ad domum inferiorem (scilicet Conversorum) descenderunt, inibi divinum Officium prout poterant persolventes, in magna victus et vestitus locique penuria longo pro tempore necessitate cogente cum Conversis degentes. Quamobrem in angustiis multis pius pater Domnus Prior Cartusiæ, inter cœtera (ut fertur) ad quamdam Sanctimonialem reclusam magni nominis quosdam Ordinis Priores misit, sciscitans ab ea cur tantum in Ordine sancto piaculum contigit ut Mater Ordinis sic deleretur? Quæ ad missos illico respondit verbum bonum, verbum consolatorium : Non pro Domus aut personarum, aut Ordinis culpa id constat evenisse, sed sola hostis maligni invidia instigante, qui Domum ipsam potissime propter sacræ religionis observantiam delere conatur. Hoc quoque, inter cætera, pro majore eorum consolatione adjiciens, quod Domus ipsa absque hæsitatione in futurum in excellentiorem statum quam unquam hactenus fuerat, Deo cooperante reparanda esset; quod equidem in præsentiarum ad oculum cerni potest : nam et ipse Summus Pontifex, Dominus Gregorius hujus nominis undecimus, audita dictæ Domus flebili desolatione, magnam florenorum summam transmisit cito pro celeri ejus reparatione. Sicque fecerunt et ipsi Domini Cardinales, prout sibi a Deo inspirabatur. Idipsum fecerunt Reges Franciæ et Angliæ et Navarræ cum cæteris Principibus et Magnatibus ubique locorum. Episcopi quoque et ipsi atque Ecclesiarum prælati, parvi cum magnis. Super his quoque cives et communitates, simul in unum divites et pauperes, una cum Domibus Ordinis audito dictæ Domus tam lugubri excidio, largius suas eleemosynas pro ejusdem celeri reparatione transmiserunt. Sed et Domnus Cartusiæ quosdam de suis Monachis ad regiones diversas cum literis deprecatoriis Principibus atque Ecclesiarum Prælatis, Ecclesiis et Capitulis, per Franciam et Allemanniam, Lombardiam et Angliam pro dictæ Domus suæ subsidio transmisit. Et sic Deo eis propitio, non in vacuum laboraverunt, sed magnam florenorum summam colligentes, cum gaudio sunt suscepti; ita quod Deo pie pro-

Cujuscumque status omnes ei subveniunt.

ANNUS 1371

vidente ac miserante, præfatæ reclusæ prophetia ad oculum plene jam cernatur adimpleta. Nam sæpedictæ Domus ædificia, cum ecclesia ac aliis officinis et claustro, sumptuose valde atque solemniter constant cum testitudinibus lapideis murisque et tegulis lapideis reparata. Ita ut Deo dante jam potius de dictæ Domus reparatione magis gaudeant, quam de ejus antea deparatione videntes dolebant. Hæc est enim secunda per incendium Domus Cartusiæ destructio, nam tempore piæ memoriæ Domni Aymonis quondam Prioris Cartusiæ (qui fuit XVI Prior) prima destructio fuit. »

Missæ quotidianæ pro Rege Franciæ origo.

Bohic, Annal. cartusiens. ms. ad hunc annum.

Dominus etiam Carolus quintus, rex Franciæ, ad dictum Patrem Cartusiæ magnam amicitiam gerens et eum in magna reverentia habens, semel misit ipsi quatuor millia florenorum pro reparatione Domus Cartusiæ, sic quod faceret celebrari quotidie unam Missam pro se. Ipse vero Prior dictam summam recipere cum illa conditione noluit, sed remisit Regi. Rex autem arbitratus ipsum Priorem propter scrupulum conscientiæ dictam summam remisisse, iterato eamdem ipsi misit pure et absolute, sine quacumque conditione. Tunc dictus Prior pro reparatione Domus suæ dictam summam recepit et pro Rege dictam Missam perpetuo dicendam instituit. Porro hæc est origo Missæ quotidie dicendæ in capella regia.

G. DE GRANSON ANNIVERSARIUM INSTITUIT IN DOMO LANCEÆ.

VI. Hoc etiam anno Guillelmus de Grandson cartam pro cartusia sancti Loci de Lancea scribi fecit, quæ relatu non est indigna : « Ego Guillelmus de Grandissono, dominus de Sancta Cruce et de Albano, notum facio quod ego in pura et perpetua eleemosina do et concedo, donatione facta inter vivos, religiosis viris Priori et Conventui Sancti Loci de Lancea duodecim libras Lausan. annui census : videlicet pro eo quod Prior et Conventus prædicti, pro remedio animæ meæ, patris mei et matris meæ de Turre, et bonæ memoriæ dilecti patrui mei domini Othonis domini de Grandissono, dominæque Johannæ de Vienna quondam consortis meæ, et omnium aliorum ex quibus gremio egressus sum, debeant perpetuis temporibus, annis singulis, in ecclesia sua unum Anniversa-

rium, quinta die Novembris, celebrare solemniter et devote; qua die cum Priore et Conventu supradictis debeant esse in celebratione et refectione duo Fratres Minores sacerdotes de conventu Grandissoni, et duo Monachi sacerdotes de conventu Sancti Johannis de Grandissono, qui Missas eodem die celebrent in ecclesia supradicta et hoc me vivente; et post obitum meum, tertia die obitus mei, supradictum Anniversarium modo quo supra teneantur celebrare, ita tamen quod qualibet quinta feria Missam defunctorum cum nota in ecclesia dicti loci Sancti de Lancea solemniter teneantur celebrare ; [insuper] omni die dictam Missam defunctorum in eadem ecclesia submissa voce teneantur celebrare ad intentionem meam perpetuis temporibus. Hoc addito quod in die dicti Anniversarii, post Missam defunctorum solemniter celebratam, supra tumbam bonæ memoriæ domini Othonis domini Grandissoni ibidem existentem, fiat statio defunctorum solemniter, in qua sint omnes Cartusienses, dicti Fratres Minores et dicti Monachi. Qua statione facta, omnes ibidem existentes incipiant cantare hunc psalmum *de Profundis:* quo dicto, sacerdos qui magnam Missam celebraverit dicat unam orationem defunctorum. Quibus vero Fratribus Minoribus et Monachis supradictis Prior et Conventus prædicti eadem die pro prandio refectionem condignam teneantur ministrare. Quas quidem duodecim libras annui reditus assigno percipiendas super census pecuniæ, frumenti, hordei et avenæ mihi debitos infra castellaniam Sanctæ Crucis, et super possessiones pro quibus dicti census debentur. Rogans affectuose, ego præfatus Guillelmus, dilectum fratrem et dominum meum Othonem, dominum Grandissoni, de cujus feudo castrum et castellania Sanctæ Crucis movere dignoscitur, ut sibi concessionem supradictam laudare velit et confirmare. Ego vero præfatus Otho universa suprascripta confiteor de consensu meo et laude fore facta, etc. In cujus rei testimonium ego præfatus Guillelmus de Grandissono et ego Otho dominus Grandissoni rogavimus apponi presentibus literis sigillum curiæ Lausannensis ; et nos Officialis curiæ Lausan.

ANNUS 1371

Quibusnam conditionibus.

ANNUS 1371

ad preces dicti domini Guillelmi et domini Othonis, nobis oblatas fideliter et relatas per dominum Johannem Mileti curatum de Mureto nostræ curiæ juratum, sigillum dictæ curiæ præsentibus duximus apponendum. Datum die vigesima tertia mensis Januarii, anno Domini millesimo 300 septuagesimo primo. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1372.

Gregorii PP. XI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 289.	Ann. 6.

CARTUSIA ERFORDIENSIS FUNDATUR.

I. SURGIT annus Jesu Christi septuagesimus secundus post mille trecentos cum decima Indictione, quo cartusia prope Erfordiam, sive Erfurtum, non incelebre Thuringiæ oppidum, exordium sumpsit. Rem optime narrat sæpelaudatus Autor Historiæ Cartusianæ, D. Nicolaus Molinus : « Mirabilem hanc cartusiam fore destinans Deus, primaria ejus fundamenta etiam mirabilia voluit, et miraculorum a se indultorum merita huc conferri velut in sacrarium mirabilium suorum laudare abstinebo, narrare incipiam. Circa annum Domini nostri Jesu Christi 1372 cœpit Erfurtensis cartusia. Cum enim ad Auxilii-Montem (in Eichsfeldia), miraculorum quæ divinitus ibi fiebant causa, concursus esset plurimus plurimæque oblationes (pro conservatione templi ibidem constructi, alimentatione Deo viventium et pauperum), harum pars tertia sacerdoti qui sacra curabat constituta fuit. Ille vero magnis inde auctus divitiis amico suo Joanni Ortonis Dorlensi præposito, ac illustrissimi Joannis archiepiscopi Moguntini provisori, viro pio, negotium testamento dedit, ut in Dei honorem animæque suæ subsidium et salutem illas iste conferret. Hic gratia divina permotus optavit ad Thuringiam Cartusienses inducere, et ab eodem Archiepiscopo et Senatu Erfordiano licentiam monasterium construendi petiit et impetravit. Hinc consulatum Erfordiensem adiens, locum circa hanc civitatem

Pag. 596.

ANNUS 1372

aptum pro tam sancto opere supplicavit assignari. Consulatus itaque honesta et matura deliberatione præhabita, tandem dominus ille Joannes Ortonis misit nobilem Henricum Mulisendorff, quem elegerat in magistrum fabricæ, ad conspiciendum locum sibi inditum; quo cum venisset Henricus, intuitus diligenter locum, excogitavit singulorum ædificiorum pro necessitate Fratrum erigendorum situationem, atque competentem latitudinem trutinavit. Cum angustia loci difficultatem sibi ingereret, astitit quidam adolescens forma speciosus, aspectu floridus ac totus decorus, dicens : Domine Henrice, quid hic quæritis ? Qui respondit ei : Dominus provisor misit me ad considerandum locum istum, pro eleganti monasterio Cartusiensis Ordinis ædificando, quod ipse construere nititur et intendit; idcirco sollicitor si hic locus sufficiat beneque situetur. Cui juvenis : Ne pro hac re solliciteris, nec de situatione conquueraris, incipe et perfice; nam qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes. Cumque Henricus iterum oculos ad loci considerationem converteret, et post pusillum juvenem ob summam pulchritudinem intuiturus respiceret, ille nusquam comparuit. Nesciebat Manue, ait sancta Scriptura, quod Angelus Domini esset. Turbati ambo Tobiæ, cum audissent: Ego sum Raphael angelus, timentesque ceciderunt super terram in faciem suam. Non cecidit noster architectus, sed in summam ductus est admirationem. Considerationem autem loci ampliorem postposuit, atque ad suum dominum qui eum emiserat reversus, et quæ sibi contigerant per ordinem explicavit. Ad hujus vero narrationem D. Joannes Ortonis mirifice exhilaratus, ait : Nulli dubium quin Angelus Domini extiterit, qui nobis pro sancto opere et voluntatem Domini et loci indicavit congruentiam. Idcirco incipiamus et ædificemus : ego quoque pecuniam copiosam in sumptus structuræ offeram, simul et censuum comparationem. Emit ille pius Fundator locum ab hominibus qui ibidem census hæreditarios ac alia se concernentia bona habuerunt, ut non holocausta gratuita, sed suorum bonorum faceret Deo oblationem. Sicque inci-

Non sine prævio miraculo.

piens Joannes Ortonis ecclesiam fundavit et murum lapideum in gyro, qui usque hodie cellas ex omni parte monasterii terminat et cingit. Alia denique ædificia, uti refectorium, cellaria, cellas cum galilea magna et parva, tam celeriter construxit, ut tertio anno ecclesia dedicaretur. Cellarum tamen et galileæ structura non lapidea extitit in primis ædificata, sed ligneis parietibus viminibus intextis ac luto linitis, ob quam causam minus durabilis fuit, sed in processu temporis alterata ; fuit tamen multum gloriosa incœptio prima, unius viri impensis tam celeriter consummata. Venerabilis domini Joannis Ortonis zelus in sacrum Ordinem nostrum ubi Capitulo nostro generali denuntiatus est, missi sunt duo Priores qui de manu ejus constructam cartusiam susciperent, puta Domnus Prior Moguntiæ, et Domnus Henricus Prior Domus in Grunaw ; quibus in dotem assignavit circiter triginta millia florenorum, ut Domus ista tanto melius provideretur, non tamen in prompto auro, sed in censibus emptis in diversis locis. ANNUS 1372

Incorporatur Ordini.

« Incorporata fuit Domus hæc Ordini, anno 1374, et specioso Salvatoris titulo eam ob causam insignita quod dominus Orto plurimam pecuniam a plebano ecclesiæ S. Salvatoris testamento consecutus fuisset. Consecrata vero fuit ecclesia anno sequenti 1375, sine solemnitate et cantu quia Erfordia tunc erat in banno Interdicti. Primi quidem incolæ hujus novæ plantationis fuerunt professi cartusiæ in Grunaw, Domnus videlicet Henricus Rockel primus hujus loci Rector, D. Conradus de Offinghem Procurator, D. Hermanus cognomento Statuarius, et Domnus Hermanus de Suck Vicarius. » Hæc Molin de Erfordiensi cartusia.

ORDINATIONES CAPITULARES,

In favorem Domus Cartusiæ.

II. Generale Capitulum ut Domus Cartusiæ incendio vastatæ utilitati consuleret hanc edidit Ordinationem : « Quia, prout vidimus ad oculum, circa Capitulum generale anni sequentis, non potest Domus Cartusiæ destructa incendio, pro recipiendis personis taliter reparari quod ibi valeat more solito celebrari : idcirco volumus et ordinamus quod ad prædictum Capitulum sequens, Priores non veniant de qua-

ANNUS 1372

libet Provincia nisi duo, quos videlicet Visitatores cujuslibet Provinciæ ex se vel aliis duxerint pro veniendo ad Capitulum generale ordinandos ; per quos mittant quæ debent Capitulo vel Domui Cartusiæ de temporibus retroactis, et si quid gratis contribuere voluerint pro cameris Provinciarum reparandis vel novis pro illis quæ sufficientes ante incendium cameras non habebant, fabricandis. »

In eodem Capitulo sequentes evulgatæ sunt Ordinationes :

1. « Charta Capituli generalis anni præcedentis, videlicet anni 1371, in qualibet Domo Ordinis custodiatur diligenter propter confirmationem tunc factam Novorum Statutorum ; quam quidem confirmationem et Compilationem tanquam utilem et honestam in his scriptis approbamus et etiam confirmamus.

2. « Conventus et personæ Ordinis quæ a guerrarum et societatum discrimine patiuntur, in necessitatis articulo valeant de Præsidentium licentia se transferre ad loca tutiora, quoties videbitur expedire, vel possint per Domos Ordinis ad tempus a Visitatoribus collocari.

3. « Item monemus omnes Priores et Vicarios Monialium Ordinis ut per se vel per alios, omnibus diebus Dominicis et festivis Capitulum teneant suis Conversis. In quibus quidem diebus maxime Dominicis, dictis Conversis denuntiare et nuntiare teneantur Anniversaria et alia beneficia spiritualia instituta pro defunctis, quantum tangant quamlibet septimanam. Alias si propter eorum defectum, Conversi Officium defunctorum plenarie non solverent, cedat in ipsorum periculum animarum. »

*JESU CHRISTI

ANNUS 1373.

Gregorii PP. XI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 290.	Ann. 7.

DUO MONASTERIA UNIUNTUR ORDINI NOSTRO,

I. ADEST Christi annus septuagesimus tertius post mille trecentos, Indictione undecima, quo Summus Pontifex Capitulo nostro generali dedit duo monasteria Ordinis S. Benedicti : hujus donationis seriem ita refert Autor Historiæ Cartusianæ : « Per idem tempus (i. e. circa 1370) erat Pisis monasterium S. Viti, Ordinis sancti Benedicti, retro seculis valde celebre ; et in insula Gorgonæ, quæ sita est in mari Tyrreno distans a portu Liburni ad 30 milliaria, monasterium S. Mariæ et S. Gorgonii martyris, ejusdem Ordinis antiquis temporibus in maxima religione habitum, vigente in ipso et florescente observantia regulari. In his duobus monasteriis, sive nequitia temporum, sive Præsulum incuria, regularis disciplinæ vigor, non dicam tepuerat, sed penitus conciderat atque abolitus erat, ut ne vestigium quidem divini cultus in ipsis vigeret, utpote a Monachis derelictis et inhabitatis. Quapropter a piis viris Beatissimo Patri Gregorio XI supplicatum fuit quatenus aut hujusmodi monasteria ad pristinum statum redigeret, aut genti facienti fructus eorum Apostolica largitate donaret. His petitionibus benignissimus Pater ac Pastor assensum præbens, monasteria præfata cum omnibus suis juribus, actionibus, cum suis annexis et connexis ecclesiis et bonis in insulis Corticæ et Sardiniæ sitis, Capitulo generali Ordinis Cartusiensis univit, proviso prius de parocho ad curam ani-

Pag. 553.

ANNUS 1373

Mediante bulla Gregorii XI :

marum in monasterio S. Viti de Pisis. Bullam vero Gregorii hic subjicimus : « Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Priori generali et Fratribus Ordinis Cartusiensis salutem et Apostolicam benedictionem. Exigit vestræ devotionis sinceritas in qua sub Religionis habitu, abjectis mundanis illecebris, devotum redditis Domino famulatum, ut ad ea quæ Ordo vester cum divini cultus augmento propagari valeat, favorabiliter intendamus. Hodie siquidem, ex certis rationabilibus causis ad id nostrum inducentibus animum,

id est S. Viti in urbe Pisarum,

unionem dudum factam de Sanctorum Mariæ et Gorgonii de Gorgona Pisanæ diœcesis et sancti Viti Pisani monasteriis, Romanæ Ecclesiæ immediate subjectis, Ordinis S. Benedicti, tunc certo modo vacantibus, autoritate Apostolica dissolvimus atque rescindimus; ac unionem ipsam ex tunc nullius esse voluimus roboris vel momenti, ac etiam voluimus et eadem autoritate statuimus quod omnia, terræ et possessiones, necnon libri, calices, paramenta et ornamenta ecclesiastica, ac bona mobilia et immobilia et se moventia, ac jura et jurisdictiones quæcumque ad prædictum monasterium S. Viti pertinentia (ecclesia, cœmeterio, domibus et aliis officinis ac hortis, et domo quæ Hospitale vocatur, infra ejusdem monasterii S. Viti septa consistentibus dumtaxat exceptis), penes

et S. Gorgonii in insula Gorgonæ,

præfatum monasterium de Gorgona remanerent et de dote ejusdem monasterii de Gorgona existerent, et ea illi concessimus et donavimus; volentes quod omnia onera quæ ipsi monasterio sancti Viti in decimis, procurationibus legatorum, censibus, seu aliis quibuscumque incumbebant, seu deberent pro tempore incumbere, de cætero incumbant dicto monasterio de Gorgona, cui eadem bona et jura dicti monasterii S. Viti concessimus, ut præfertur, prout in nostris inde confectis Literis plenius continetur. Cupientes igitur dictum monasterium de Gorgona, quod ut asseritur magnæ devotionis olim extitit, et in quo magnus fuit numerus monachorum et viguit observantia regularis et in quo nullus monachus moderno tempore commoratur, per Fratres vestri Ordinis Cartusiensis, quos numero et meritis largitor bonorum omnium

ANNUS 1373

adauxit in Ecclesia sancta Dei, reformari ac reduci ad observantiam regularem; ipsum monasterium de Gorgona cum omnibus juribus et pertinentiis suis ac cum omnibus prædictis bonis et juribus, quæ dudum fuerunt præfati monasterii S. Viti (ecclesia, cœmeterio, domibus et aliis officinis et hortis, ac domo prædicta quæ dicitur Hospitale, infra septa ipsius monasterii S. Viti consistentibus, dumtaxat ut præfertur exceptis), vobis et Ordini vestro, autoritate Apostolica, tenore præsentium liberaliter concedimus et donamus, ita quod ex nunc liceat vobis possessionem corporalem dicti monasterii de Gorgona et bonorum juriumque et pertinentiarum prædictorum autoritate propria libere apprehendere ac licite retinere, Diœcesani loci vel cujuscumque alterius licentia minime requisita; volentes et autoritate prædicta tenore præsentium statuentes quod de cætero ipsum monasterium de Gorgona non S. Benedicti, sed Cartusiensis Ordinis nuncupetur et sit, et per Fratres dicti vestri Ordinis, juxta mores et consuetudines ipsius vestri Ordinis teneatur, regatur et etiam gubernetur; non obstantibus quibuscumque Statutis et Consuetudinibus vestri et S. Benedicti Ordinum prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia vallatis, ac privilegiis et literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris Literis mentio specialis. Et insuper vobis prædicta autoritate concedimus quod præfatum monasterium de Gorgona ac Prior et Fratres aliæque personæ dicti vestri Ordinis in eodem monasterio pro tempore degentes, libere uti et gaudere possint et debeant omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, quibus alia monasteria et loca ejusdem vestri Ordinis ubicumque existentia et personæ in illis degentes, gaudere potuerunt seu etiam debuerunt. Cæterum volumus quod vos teneamini effectualiter assignare unam congruam portionem ad arbitrium

cum omnibus eorum bonis et privilegiis.

Cartusia fundatur in insula Gorgonæ,

ANNUS 1373

venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Pisani pro uno perpetuo Vicario in dicta ecclesia ejusdem monasterii S. Viti quæ parochialis est perpetuo servituro, qui curam parochianorum ejusdem ecclesiæ debeat exercere. Nos enim ex hoc decernimus irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis autoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan erit hactenus vel contigerit in posterum attentari. De tribus autem Monachis dictorum monasteriorum per alias nostras literas duximus providendum.... Datum Avinione, XI Kal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio. »

Protoprior novæ cartusiæ extitit Domnus Bartholomæus Ravennas, professus Domus Bononiæ, vir totius religionis et exactæ prudentiæ, ardenti accensus pietate in S. Gorgonium cujus meritis obtinuit ut regularis disciplina inter suos vigeret. Ad suam instantiam generale Capitulum ei concessit ut posset « celebrare festum S. Gorgonii cum Capitulo et candelis et refectorio. » Apud Surium nostrum hæc de Bartholomæo reperiuntur.

Ex Charta 1375.

« Mirum in modum honorabat Bartholomæus noster Catharinam Senensem, propter ejus eximiam sanctitatem et doctrinam mirabilem. Is igitur eam sæpe rogavit ut ad insulam, in qua cartusia (Gorgonæ) sita est accederet, ut possent Fratres sanctis sermonibus ejus in Domino confirmari. Fecit illa ut erat rogata, et cum Raimundo patre aliisque sexus promiscui fere viginti illuc profecta est. Nocte autem illa qua eo pervenit, Prior ille sanctam virginem et socias ejus hospitio recepit milliario uno a cartusia, reliquos secum duxit ad monasterium. Altera autem luce Fratres omnes adduxit ad eam, rogans obnixe ut aliquid diceret unde possent meliores evadere. Aliquamdiu illa recusavit modestiæ causa, dicens se potius debere audire verba servorum Dei ; sed victa Prioris et Fratrum multa instantia, cœpit dicere de multifariis tentationibus hominum in solitudine degentium, et quibus rationibus sint superandæ. Dixit autem tam apposite talique ordine, ut omnibus esset stupori. Absoluto sermone, Prior qui Fratrum suorum res omnes habebat bene

ad quam venit S. Catharina Senensis.

Die 29 Aprilis.

perspectas dixit Patri Raimundo: Si sancta Virgo horum omnium audivisset confessiones, non potuisset ad uniuscujusque salutem dixisse accomodatius et convenientius, quam modo dixit. Unde mihi certo constat, plenam esse spiritu prophetiæ, et Spiritum Sanctum loqui per os ejus. » ANNUS 1373

Domus hæc postea, anno scilicet 1425, XI Maii, unita est cartusiæ Pisanæ; quam unionem Martinus Papa V confirmavit nono Kalend. Julii, anno 1428.

INITIUM CARTUSIÆ BRUNNENSIS.

II. Circa annum 1370, illustrissimus Princeps ac dominus Joannes Henricus marchio Moraviæ, filius Joannis regis Bohemiæ et frater Caroli IV imperatoris, concessionem habuit a Capitulo nostro generali novæ cartusiæ prope Brunnam instaurandæ; quæ Domus sanctissimæ Trinitatis, alias etiam Campus regius (Kœnigsfeld) vocatur. Filia cartusiæ Gemnicensis jure dicitur, quia primum suum Priorem ex florentissimo hoc seminario accepit Godefridum ab Anaso, virum ad disciplinam maxime severam natum; qui postquam sua industria fundationem in Kœnigsfeld inchoasset, multo labore fractus ac beatæ solitudinis amore ductus, onerosis honoribus renuntiavit.

D. Joannes Castoris Protoprior.

Anno 1373 Capitulum generale hanc in favorem novæ plantationis juxta Brunnam dedit ordinationem: « Concessionem olim factam (videlicet anno 1370) per Capitulum generale excellentissimo Principi, domino duci Moraviæ, de ædificanda una Domo de Ordine, tenore præsentium approbamus, et acceptamus locum prope Brunnam civitatem; si tamen, ut promisit, ædificiis seu structuris secunditetur: et committimus regimen dicti loci Domno Joanni (Castoris), Priori Horti beatæ Mariæ prope Pragam. » De Joanne isto hæc autem refert Priorum Pragensium catalogus: « ..... Quem spectatissima virtus, singularis prudentia, zelus Ordinis, in rebus agendis peritia, morumque integritas multum commendavit; hic diu huic monasterio (Pragensi) præfuit, totique Provinciæ cujus erat Visitator. Joanni anno 1373, præter Domus Pragensis regimen, demandata fuit administratio novæ Domus prope Brunnam: utramque etiam Alemaniam

ANNUS 1373

* Ad ann. 1382.

postea visitavit... » De eo iterum plura dicemus *. Ei successit Domnus Laurentius, de quo in Chronico Gemnicensi : « Leonardus Prior noster, anno 1384, vi Kalend. Aprilis, cum Laurentio cartusiæ Brunnensis Priore, mutua consensione Monachorum, fœdus religiosæ Fraternitatis pepigit, quod in hunc diem obtinet. »

Defuncto, 13 Novembris 1375, in ipsa monasterii inchoatione, fundatore, filius ejus clarissimus dominus Jodocus, Moraviæ et Brandeburgensis marchio, paternæ piæ intentioni ac sancto proposito instans fundationem hanc perfecit, adjuvantibus ejus fratribus Sobicolao et Procopio cum Elizabeth Joannis relicta, quæ secundæ fundatoris nomen meretur et habet.

Hæc Domus multa in personis et bonis, exeunte seculo quinto decimo, pertulisse videtur ; etenim in Chartis passim reperimus : « Priori Domus Sanctæ Trinitatis prope Brunnam non fit misericordia ; et licentiam quam petit ad possidendas certas vineas extra terminos, attenta ejus Domus paupertate, concedimus. » Et in Charta anni 1480 : « Priori Domus prope Brunnam non fit misericordia ; et quia ibidem est defectus personarum, Visitatoribus ut provideant Domui de personis, ne divinum Officium negligatur, committimus. » Tum etiam pauper illa Domus munificos quosdam, Deo dante, benefactores reperit. Per Chartam anni 1468, missa *de Domina* conceditur : « Pro domina Catharina Rischanin, civissa Brunnensis, et pro domino Wenceslao Lang, filio ejus ; et pro domina Martha Saltzerin, civissa Viennensis ; magnis benefactoribus Domus Sanctæ Trinitatis prope Brunnam. » Anno sequenti, missa *de Spiritu Sancto* conceditur : « Pro honesta D. Catharina, et Wenceslao filio ejus et D. Luca Saltzer advocato et uxore ejus. » Anno 1498 monasterium restauravit dominus Alexius canonicus.

Ex Charta 1471.

Hujus Brunnensis Domus professus fuit V. P. Macarius, de quo hæc scripsit Autor Chronici Maurbacensis cartusiæ : « Cum ad tempus in cartusia Maurbacensi versaretur, placuit Deo occultam viri sanctitatem his indiciis publicam facere.

Sub XXXIII Priore.

Dum ex Cartusiana consuetudine Patres simul et semel in hebdomada exeuntes domum *Hirschen Garten* appellatam transirent, mulier energumena, domesticorum frustrata custodiam, Religiosos cum hoc clamore sequebatur : se vel ab illo Cartusiano peregrino vel ab alio Nomine, ab hospite tam infausto liberandam. Quod cum frequentius fieret, Macarius multa excusans, demum Superiorum adactus imperio, levi negotio mulieri consuluit : signo tantum S. Crucis fronti impresso dœmonem fugavit. Ea res venerationem Macario conciliavit, adeo ut et mulieres deinceps viam obsiderent qua pertransiens Macarius puerulis quos offerebant variis languoribus attritis benediceret et eos cum Crucis signo adhibito matribus passim incolumes restitueret. Sentiens Macarius inter plausus emergentes male consuli humilitati, petita a Superioribus venia, remeavit ad Domum professionis. » ANNUS 1373

III. E Moravia in Gueldriam revertentes novam ibidem Cartusiensium Domum reperimus exurgentem. Excitatam eam male scribit Aubertus Miræus a Gerardo III Gueldriæ comite, qui cum annis 27 præfuisset obiit anno 1229, teste Henrico Aquilio in suo Chronico Gueldriæ. Mihi tamen maxime suspecta est hujus conditus narratio, quod cartusia illa Ordini nostro sacro Cartusiensi fuerit cooptata et incorporata tantum anno 1380, dotata vero 1375, et inchoata 1373; qui 144 anni sunt post mortem illius comitis Gerardi : libentius eo in sententiam Patris Domni Henrici Kalkariensis qui (ut refert Arnoldus Havensius) in Tractatu *de Origine et progressu Ordinis Cartusiensis* alium hujus cartusiæ conditorem facit, fidei ipse impræscriptæ a vitæ sanctitate, tum etiam quod hujus Domus Prior clavum quinquennio tenuerit. Perhibet ergo noster veredicus Pater Arnoldus, post Deum et beatissimam Virginem Mariam, ejus fundatorem fuisse quemdam nobilem et generosum militem, Wernerum de Swalmen, qui vitæ satis admirabilis, varia habuit proposita et diversos animi conceptus ancipitesque cogitationes, quam aut qualem piam fundationem, utrum hospitale vel monasterium, et ejusmodi quove in loco insti-

DOMUS RURÆMUNDÆ INCHOATUR.

Orig. Cart. Belg. p. 60.

Historia Martyr. Ruræmund. cap. I.

ANNUS 1373

tueret. Tandem nutu Dei et auxilio beatæ semper Virginis Mariæ in oppidum Ruræmundense se contulit, ibique locum delegit, Ordini Cartusiensi attribuit. Locus hic, suggerente eadem sanctissima Domini nostri Matre Domina nostra præsignatus, ipsa etiam disponente, selectus fuit; renitente et reclamante Fundatore, quod obscurior et inhonestior esset, ut ibi Filii sui laudes personarent, ubi fœda turpitudinis orgia perstrepebant. Dotales vero Literas præfatus Wernerus concessit in hunc modum :

Literæ dotales.

Apud Miræum. II, 890.

« In nomine Domini, Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, Indictione quarta decima, die vicesima quinta mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Gregorii divina providentia Papæ undecimi anno sexto. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus sive bonum sive malum ; oportet nos diem extremæ messionis operibus piis prævenire, ac æternorum intuitu idem seminare in terris, quod reddente Domino cum fructu multiplicato feliciter recolligere valeamus in cœlis ; firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam in cœlestibus duraturam. Quæ omnia et singula honestæ et discretæ personæ, dominus Wernerus de Swalmen miles, et domina Berta de Gelenkricken ejus uxor, ac dominus Robinus de Swalmen canonicus ecclesiæ S. Servatii Trajectensis, Leodiensis diœceseos, præfati domini Werneri frater, et ipsorum quilibet salubriter præmeditantes, volentesque de bonis suis eis a Deo in hac vita datis et collatis, in oppido Ruræmundensi dictæ Leodiensis diœcesis prope vicum dictum *die Steeghe,* per eos jam incœptum quoddam in honorem Dei et beatæ Mariæ Virginis suæ matris, ac divini cultus augmentum, monasterium sive claustrum de Ordine Cartusiensi construere, ædificare, fundare, dotareque, et jam inchoatum, ut proferunt, annuente Dei gratia convenienter perficere, et in toto complere; ipsi et eorum quilibet, præfata

tamen domina Berta de prædicti domini Werneri mariti sui autoritate et licentia inibi præsentis, et sibi ad omnia et singula supra et subscripta autoritatem plenariam dantis et præstantis, hodie hora tertia pulsata, quasi in mei Notarii publici testiumque subscriptorum præsentia personaliter constituti, religiosis viris, fratribus Joanni et Ricoldo, monasteriorum Coloniæ et Confluentiæ (Trevirensis diœcesis) dicti Cartusiensis Ordinis Prioribus, commissariis ad infrascripta ab Ordinis eorum Superioribus, ut asseruerunt, specialiter deputatis, ibidem præsentibus et dicti Ordinis omnium et singulorum nomine recipientibus et acceptantibus, mihique Notario publico subscripto, vice et nomine omnium et singulorum quorum interest vel interesse poterit quomodolibet in futurum stipulanti et recipienti : promiserunt et convenerunt, et ipsorum quilibet promisit et convenit bona fide præstita loco juramenti, et sub pœna et obligatione duorum millium florenorum auri boni et legalis ponderis structuræ seu ædificiis dicti monasterii de cætero et in antea faciendis applicandorum, eorum sumptibus et expensis, dictum claustrum seu monasterium perficere jam incœptum convenienter et decenter, ut necessitas ingruerit sufficienter in ædificiis commodis et structuris, juxta et secundum omnem eorum et ipsorum cujuslibet possibilitatem, ipsumque dotare et ad minus eidem reditus annuos usque ad summam quingentorum florenorum auri existimatos seu taxatos deputare cum effectu: ideoque pro suarum ac parentum et amicorum eorumdem salute animarum, ac pro Fratrum Cartusiensium duodecim cum uno Priore, Conversis ac familia, in eodem monasterio ad Deo famulandum de cætero deputandorum sustentatione in dotationem dicti monasterii sive claustri et in dotem ejusdem, pure, libere, simpliciter et irrevocabiliter, non coacti, non seducti, non vi, dolo vel metu, sed de eorum et ipsorum cujuslibet, ut apparebat, plena, libera, gratuita et spontanea voluntate deliberatoque proposito, donaverunt, dederunt, cesserunt, remiserunt et assignarunt unanimi voce et consona voluntate, ac ore et calamo resignarunt ad usus

ANNUS 1373

Reditus adjiciuntur.

ANNUS 1373

ipsorum Fratrum et ipsius monasterii utilitatem evidentem, ac omne et totum jus donatoribus ipsis et ipsorum cuilibet in bonis et reditibus subscriptis competens quomodolibet, in Fratres eosdem prorsus transtulerunt, semper et perpetuis successivis temporibus, per ipsos Fratres seu eorum nomine levandos, tenendos et possidendos, reditus, possessiones et bona inferius descripta, cum omnibus et singulis pertinentibus eorumdem, ad ipsos donatores, ut asserunt, pleno jure, actione, usu et possessione spectantia et pertinentia, ita quod de cætero iidem Donatores nihil sibi juris, actionis, usus aut possessionis retineant in eisdem.

Locus assignatur in vico die Steeghe *dicto.*

« In primis igitur veluti proferunt, donaverunt, dederunt, resignaverunt et realiter assignaverunt Fratribus eisdem, dicti monasterii et Ordinis nomine, totam eorum aream partim ædificiis jam occupatam et partim adhuc structuris vacantem, sitam Ruræmundæ in et prope vicum dictum *die Steeghe* cum muro ipsam includente, cum capella, cum hospitali, cum portali sive porta ac domo sua et cum omnibus et singulis ædificiis et structuris jam incœptis et inchoandis, factis et faciendis in eadem; excepto tamen quod domum cum portali in ipsa sitam area, pro suo et uxoris suæ usufructu, dictus dominus Wernerus sibi reservavit. Quam quidem domum cum portali et capellam cum hospitali prælibato, muro quodam interiori a dicto monasterio dividet et separabit. In qua vero capella dicti Fratres per se vel per alium Missarum facient solemnia celebrari. De quibus omnibus et singulis præfati Fratres, nomine quo supra, petierunt sibi fieri per me Notarium subscriptum, unum et plura, si necesse fuerit, publica Instrumenta. Acta fuerunt hæc Ruræmundæ dictæ Leodiensis diœcesis, infra aream supradictam, præsentibus discretis viris : Joanne de Wessem Judice, Gerardo Beke et Gerardo de Tegelen scabinis in Ruræmunda, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis; qui super prædictis Literas suas concesserunt scabinales, sigillis eorum propriis appendentibus roboratas. »

Eodem die, hora vero Vesperarum vel quasi, prædicti do-

natores resignarunt Fratribus curtem antiquam in Swalmen situatam, cum omnibus sibi pertinentiis prout jam cum aratro laboratur, colitur et possidetur.... ; præterea concesserunt quamdam insulam sitam prope Dele juxta Mosam, omnesque pachtos et census sibi debitos in loco dicto *den kleenen Swalmen*. Die vero trigesima ejusdem mensis, dederunt eisdem Fratribus curtem suam dictam *ten Homme* in parochia de Sterekenbosch.... Et quia dicti Fundatores promiserunt præfatum monasterium dotare in annuis reditibus ad minus usque ad summam quingentorum florenorum auri boni, dixerunt quod, si bonorum superius expressorum valor annuis in reditibus ad dictam summam non se extenderit, dictam summam in aliis his addendo reditibus integre supplere promittebant.

ANNUS 1373

Dominus autem fundator hanc suam Domum nomine *Bethleem Beatæ Mariæ* condecoravit eo quod, post trinam ad Bethleem Palestinæ peregrinationem, vovisset quoddam exstruere monasterium Nativitati Domini Nostri specialiter dicatum.

Domus dicta Bethleem B. Mariæ.

De eodem Ruræmundensis Domus vocabulo hæc scripsit pietate referta Venerabilis Pater noster Molinus : « His (Cartusiensibus) in hoc terræ foramine est cernere oculis fidei Infantem pannis involutum, vagientem in præsepio, Deum Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem virginem, Nutritium sedulum, Pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat. Fax divina Cartusianorum mentes illustrat ad veri Numinis agnitionem, ad humile diversorium pertrahit ut humilitatis disciplina imbuantur a Doctore et Magistra humilitatis, votiva munera offerunt paupertatis, obedientiæ, castitatis. Religiosi felices ! quorum aurum, thus et myrrha suscipiuntur apud te, Bethleem sacra, a Domino virtutum. Tu eorum panis quo confortantur, tu es fons, cujus aqua expetitur ab iis qui ea libenter carent, ut libent eam Domino. »

Histor. Cartusiana ms. p. 620.

In hac cartusia plures monachi haud incelebres floruere : quos inter, V. P. Domnus Henricus Kalkariensis (de quo su-

Viri illustres :

ANNUS 1373

Bibliotheca Cartus.

Scriptores,

Chronicon Cartusiense Lib. VII, cap. 5.

perius) qui primus huic Domui præfuit; huic in regimine successit V. P. D. Bartholomæus Trajecto ad Mosam oriundus, ante Ordinis ingressum publicus sacræ Theologiæ professor acutus, et celebris divinarum Literarum interpres. Cujus scriptorum elenchum apud Petreium videre est. Domnus Petrus Dorlandus ait eum Patrem Bartholomæum fuisse tantæ humilitatis, ut aliquoties pedes ad Majorem Cartusiam (erat siquidem Provinciæ suæ Visitator) iter remotissimum confecerit, quamvis esset grandævæ et venerandæ canitiei senex. Quem venientem ut Dei Angelum R. P. Generalis excipiebat, quem et universi Patres illic congregati ut singulare Ordinis lumen intuebantur. Obiit tandem quam devotissime in Domo Coloniensi anno 1446. Vixit etiam in Ruræmundana cartusia per quadraginta sex annos Venerabilis Pater Dionysius Rickelius, Doctor extaticus, de quo inferius agetur.

et Martyres.

Accedit quoque ad commendationem hujus Bethleemiticæ Domus, quod sicuti in Anglia sub Henrico VIII, octodecim Cartusianæ familiæ Religiosi ob Christi confessionem mortem intrepidi anno 1535 et 1537 subierunt; ita et hic sub Guillelmo Auraico comite Nassovio, anno nimirum 1572, die 23 Julii, eamdem ob causam duodecim sint interempti. Quorum martyrii palmam eleganti stilo prosecutus est V. P. D. Arnoldus Havensius, cartusiæ Gandensis Prior integerrimus.

FUNDATIO PRO PISCIBUS AURATIS FACTA,

IV. Princeps Tarenti, Philippus dictus Imperator Constantinopolitanus, hoc anno cartusiæ S. Martini supra Neapolim concedit uncias quinque auri, pro emendis piscibus auratis in esum Fratrum; quod privilegium transcribere interest ut cunctis pateat Reges et Principes terræ, in his temporibus, qùum de servorum Regis cœlestis utilitate ageretur, nil esse

a Philippo principe Tarenti,

parvum arbitrasse : « Philippus Dei gratia, Imperator Constantinopolitanus, Achaiæ et Tarenti Princeps, justitiariis et vicariis Principatus nostri Tarenti, necnon dohaneriis, gabellatis seu credenzeriis gabellæ et dohannæ civitatis nostræ Tarenti, præsentibus et futuris, devotis suis, salutem et dilectionem sinceram. Considerantes quod illud in-

venitur in cœlis, quod eleemosynaliter elargitur in terris, et habentes ad monasterium S. Martini de Neapoli Ordinis Cartusiensis sinceræ devotionis affectum, intuitu quoque Venerabilis Patris Grilli Prioris dicti monasterii, quem per suam bonitatem et virtutum merita carum et amabilem reputamus, providemus in perpetuum eidem monasterio de annuis unciis auri quinque : quatuor videlicet ex eis convertendis in emptionem piscium qui vocantur Auratæ, ut salitæ et curatæ decenter, ut expedit, mittantur et deportentur anno quolibet ad dictum monasterium pro usu seu esu Fratrum existentium in eodem, et una pro salitura et delatura ipsorum piscium ad locum prædictum ac expensis aliis propterea opportunis. Quare vobis et devotioni vestræ præsentium tenore, de certa nostra scientia mandamus expresse, quatenus attenta forma dictæ nostræ concessionis et gratiæ tam vos præsentes dohanerii, gabellati seu credenzerii, quam vos alii successive futuri, officiorum vestrorum temporibus dictas uncias auri quinque ponderis generalis, per annum simul et semel in principio mensis Septembris anni cujuslibet, procuratori Prioris dicti monasterii, seu illis vel illi quos ipse Prior ordinandos duxerit ad emptionem auratarum ipsarum, solvere et exhibere sine defectu et difficultate qualibet procuretis et recipiatis, de hisque proinde solveritis singulis vicibus apodixam, necnon transumptum præsentium, in forma publica pro cautela, originalibus remanentibus, præsentanti ; vosque justiciarii et vicarii supradicti præsentes similiter et futuri, si dicti dohanerii, gabellati seu credenzerii ad solutionem dictarum annuarum unciarum auri quinque essent forsitan retinentes, arcta et debita, qua convenit, districtione cogatis. Datum Tarenti in camera nostra, anno 1373, die 24 Octobris. »

ANNUS 1373

in cartusia Neapolitana.

V. Hoc anno, XII Julii, Romæ obiit sancta vidua Brigitta principissa et domina Sueciæ, vel potius Nericiæ. Capite quarto Extravagantium Revelationum ejusdem Sanctæ, ubi agitur de cantu Sororum Ordinis S. Salvatoris, hæc leguntur. « Filius Dei loquitur : Numquid non legisti quod Maria so-

OBIIT S. BRIGITTA.

ANNUS 1373

ror Moysi ob singulare Dei in mari rubro factum, egressa est cum virginibus et mulieribus psallens in tympanis et cymbalis canticum lætitiæ Deo? Sic filiæ matris meæ egredientur de mari rubro, id est, a cupiditate et complacentia mundiali, habentes in manibus operationum suarum tympana, id est abstinentiam voluptatis carnalis et cymbala laudis sonoræ; quarum cantus non sit remissus, non fractus, non dissolutus sed honestus et gravis, et uniformis et per omnia humilis : imitenturque illorum cantum qui Cartusienses vocantur, quorum psalmodia plus redolet suavitatem mentis humilitatemque et devotionem quam aliquam ostentationem. Nam non vacat a culpa animus, quando cantantem plus delectat nota quam res quæ canitur; omninoque abominabile est Deo quando vocis elevatio plus fit propter audientes, quam propter Deum. »

Quædam de cantu cartusiano.

JOAN. DE DORMANS MORITUR.

VI. Præsenti quoque anno e vivis excessit, die septima Novembris, dominus Joannes de Dormans, cardinalis Bellovacensis communiter nuncupatus, Domus Parisiensis amicissimus in qua et sepultus est. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni sequentis, habuitque tricenarium per totum Ordinem. De eodem Joanne hæc apud Historiam ms. Parisiensis cartusiæ : « Eminent in ecclesia Domus nostræ quatuor tumuli in quorum uno ante aram majorem chori, intra cancellum, quiescit R. Joannes de Dormans, Franciæ nomophylax, sigillo cancellario donatus a Rege, episcopus Bellovacensis, S. R. E. cardinalis, qui condidit Parisiis collegium Bellovacense. Hoc epitaphium appositum est in lamina :

Sepultus in cartusia Parisiensi.

Dormit hic J de Dormans,
Christo fœlix est oblatus,
Corpus linquens mundo,
Vano sub marmore tumulatus.
Tu devoti Patris hujus,
Rex gloriæ, Jesu Christe,
Animam suscipe: cujus
Corpus tegit lapis iste.

« Lucullæus est lapis iste, sepulchro superimpositus uti sanxerat testamento suo, supra cujus planitiem ænea pontificiis vestimentis induti Joannis effigies extat, pileo Cardinalis ad ejus pedes collocato in summitate. Ad utrumque latus duo Angeli ænei laminas gestant in quarum una sculptum est: In pace fiat locus ejus ; in altera : Et habitatio ejus in Syon. Ad crepidinem tumuli hæc descripta sunt : ANNUS 1373

Anno milleno ter C. ter I. septuageno,
Solvitur e membris, septena luce Novembris,
I de Dormano, primo prole Romano
Præsule susceptus, Pater hinc Belvacus,
Sub Franco Rege cancellavit, duce lege
. . . . fovendo sub alis
Intus confratrem puerorum, quem scito patrem
Collegii claustri Brunelli. Sit scius astri.

cui plura testamento dedit.

« Suo testamento paulo ante mortem condito sic sepeliri elegerat: Ego eligo sepulturam meam in ecclesia Fratrum Cartusiensium Prioratus B. Mariæ Vallis viridis, juxta Parisios, ad quem locum et ad ipsum Ordinem devotionem habeo specialem. Et volo quod corpus meum ibidem sepeliatur directe ante majus altare ejusdem ecclesiæ, sub tumulo ibidem sumptibus meis de novo faciendo, sicut decet ad decorem loci, de metallo cupreo. Qui tumulus sit aliquantulum elevatus quasi altitudine dimidii pedis, ut aptus sit ad flectendum genua ante altare prædictum. Hujus rei causa, et ad persolvendum Anniversarium suum, testamento legavit quamdam pecuniæ summam quæ in annuos reditus converteretur ad comparandas Monachorum vestes. Antea sacellum ædificaverat, largitus etiam annuam pensionem triginta librarum pro unius Monachi sustentatione, primariumque altare alabastritæ figuris exornarat. »

ACTA CAPITULI.

VII. Preces in hujus anni Comitiis edicuntur pro benefactoribus Majoris Cartusiæ, ejus instaurationem suis eleemosynis promoventibus. Nihilominus adeo lente ædificia erigebantur ut Conventus in Domo inferiori *, ubi et Capitulum generale hoc anno habitum est, per plures annos commorari

* *la Correrie.*

ANNUS 1373

debuerit; sed ad opus citius accelerandum, præcedentis anni ordinatio rursus promulgatur : « Quia, prout vidimus ad oculum, circa Capitulum generale anni sequentis, non potest Domus Cartusiæ destructa incendio, pro recipiendis personis taliter reparari quod ibi valeat more solito celebrari : idcirco volumus et ordinamus quod ad prædictum Capitulum sequens Priores non veniant de qualibet Provincia, nisi duo quos videlicet Visitatores cujuslibet Provinciæ ex se vel aliis duxerint pro veniendo ad Capitulum generale ordinandos ; per quos mittant quæ debent Capitulo vel Domui Cartusiæ de temporibus retroactis, et si quid gratis contribuere voluerint pro cameris Provinciarum reparandis vel novis pro illis quæ sufficientes ante incendium cameras non habebant fabricandis.... »

Quædam hujus anni Ordinationes :

1. « Quia male observantur per quosdam ea quæ per Capitulum generale ordinantur, ideo ordinamus quod amodo Charta generalis Capituli in pleno Conventu, præsentibus Prioribus, legatur saltem quater in anno, hoc est de tribus mensibus in tres menses, ut ea quæ ordinantur per Capitulum cautius observentur.

Antiq. Statut. III P. cap. 23, 3.

2. « Priori cujusdam Alemaniæ Domus districte injungitur quod tollat suis Conversis libros quos interdicunt Statuta. Locus Statutorum in præfata Ordinatione citatus sic habet : « Interdicitur Fratribus laicis ne ullo tempore, diebus festis vel aliis, libros habeant, exceptis Calendariis. » Rationem affert glossator sive interpres Statutorum : « Ne occupent se in illis quando debent laborare, quia corporalibus exercitiis debent intendere ; ut probatur ex Capitulo 25, Partis II. Statutorum Antiquorum. » Hinc est quod quibusdam Conversis ad statum Monachorum aspirantibus egregia prorsus ordinatio contra eos his verbis, anno 1432, pronunciata est :

Ad statum Monachorum et ad presbyteratum ascendere interdicitur Conversis,

« Cum status Conversorum Ordinis nostri sit vacare laboribus non litteris, unde ex hoc libros secundum Statuta habere non permittuntur, statusque eorum secundum professionem sit perfectionis, et quilibet in ea vocatione quam assumpsit

debeat permanere ; nonnulli tamen eorum in contrarium ad statum clerici vel Monachi aspirent, ut inde in ministerio altaris serviant minus idonei, non vocati sicut Aaron, sed de se præsumentes, suos Præsidentes super hoc infestent : prohibemus universis eorum Præsidentibus, ne eos ad gradum alium quam quem voverunt admittant, nec Visitatores, etiam autoritate Capituli generalis fungentes, talem eis licentiam dent. Si vero suis Præsidentibus videatur aliquos esse competenter idoneos, ipsos eo casu secum adducant ad Capitulum generale ; ubi sedente Capitulo, præmissa examinatione an sint litteris et alias ad hoc idonei, dicta licentia concedetur aut denegabitur secundum judicium Diffinitorum ; aliter facta de ipsis receptio ex nunc irrita sit ipso facto. Quam ordinationem extendimus ad jam receptos ad Novitii clerici vel monachi statum ; et interdicitur omnibus Præsidentibus et Monachis quod ab inde Conversos litteras nec cantum doceant. » Sed quia in hujusmodi Ordinatione, nulla fit Donatorum mentio, eam Patres propterea confirmantes per Chartam anni sequentis declarant quod « ad Donatos etiam extendi debeat » ; et hæc etiam postea Franciscus a Puteo suæ inseruit Compilationi.

ANNUS 1373

et Donatis.

Tertia Compil. c. XI. 10.

JESU CHRISTI

ANNUS 1374.

Gregorii PP. XI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 291.	Ann. 8.

FACULTAS ABSOLVENDI A RESERVATIS,

I. INCIPIT annus Salvatoris millesimus trecentesimus septuagesimus quartus, Indictione duodecima, quo Gregorius Papa ipse noviter concessit quod Domus Cartusiæ et sex alii Priores (de quorum numero ipsemet ordinavit pro uno Priorem Vallis benedictionis prope Avenionem) possint et valeant per quadriennium omnes personas Ordinis cujuscumque sexus ac gradus absolvere ab omnibus casibus de sententiis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, ac dispensare de omni irregularitate, præterquam morte voluntaria, membrorum mutilatione vel debilitate corporis, manuum injectione in Prælatum, proditione et hæresi. Priores quibus commissa est hæc potestas sunt : prædictus Vallis benedictionis, Vallis viridis prope Parisios, Londoniensis in Anglia, Sancti Martini prope Neapolim, Horti B. Mariæ prope Pragam in Bohemia, et Scalæ Dei in Catalonia. His terminus inchoatus est Nonis Octobris, anno Domini 1373, et finietur Nonis Octobris 1377. Quamobrem preces indicuntur « pro Sanctissimo in Christo Patre nostro Domino Gregorio Papa XI, magno benefactore nostro ; et bono statu S. R. E., fiat per totum Ordinem unum tricenarium de Spiritu Sancto. »

a Gregorio XI concessa.

JOANNES DE LONGIS MORITUR.

II. Pie hoc anno, die 1 Junii, vita fungitur Joannes de Longis, patria Villanovanus, Prior Domus Vallis benedictionis, quam per tredecim annos feliciter in utroque statu fove-

rat et auxerat. « Vir valde venerabilis, ut verbis utar Dorlandi, qui dudum in Sacro Palatio grande nomen sibi acquisierat. » Et revera ita grande ut ab Innocentio VI in socium legationis datus fuerit Guillelmo Grimoaldi Massiliensi abbati; et a Cardinalibus post Innocentii mortem de Guillelmi moribus interrogatus, illius ad Summum Pontificatum electionem, sub nomine Urbani V, suo testimonio non parum promoverit. Quanta vero propterea apud ipsum Urbanum gratia valuerit hoc uno patet facinore quo tempestatem illam (de qua anno 1368) toti Ordini imminentem avertit, animum Papæ a proposito susceptoque consilio mitigandi Ordinem suis piis validisque rationibus deflectendo. Gregorius, Urbani successor, cognita viri integritate et solertia, illius opera usus est ad quædam magni satis momenti negotia exequenda. Et hoc maxime anno cum delegavit eum ad monasterium S. Magdalenæ de Miraculis ut statuta fæminis, seu Sororibus quas vocant Pœnitentes, in eo degentibus promulgaret; quod et fecit die 13 Aprilis. Qui sic a tribus Pontificibus maximis tanti fiebat, non mirum si a Patribus Ordinis ita charus haberetur, ut quando eum scirent aliqua tentatum valetudinis infirmitate, preces pro sanitatis illius recuperatione, licet tacito ejus nomine, per totum Ordinem fundi juberent, præsertim anno 1373 quo « pro quodam Priore Ordinis diu languente et qui diu laboravit pro Ordine injungitur, ut quælibet persona Ordinis dicat ter *Ave Maria.* » Post suam mortem habuit plenum cum psalteriis monachatum, sub die 1 Junii. Quod quidem beneficium non solum meruerat ex sollicitudine qua res totius Ordinis apud Curiam Romanam procurarat, sed etiam ex laboribus continuis quos sustinuerat in visitandis Provinciis Ordinis remotioribus; nam præter Provinciam et Aquitaniam quarum extitit Visitator ordinarius, Domos quoque provinciæ quam Franciam vocamus et Cataloniæ ex Ordinatione Capituli generalis non semel lustrasse invenimus.

ANNUS 1374

Lib. IV. cap. 24.

Specul. Cartus. ms.

Ex statutis ms. monasterii de Miraculis.

Ex Chartis ann. 1369 et seqq.

III. D. Henricus de Colonia, Prior Montis Omnium Angelorum in Schnalz, monachus professus Cartusiæ, habens

HENRICUS DE COLONIA OBIIT.

ANNUS 1374

duplex per totum Ordinem tricenarium, denunciatur in Charta hujus anni. Hic, relicta patria ad Majorem Cartusiam, rigidioris solitudinis studio, jam grandævus se receperat, sed aliquot post annis, Patres cognita viri solertia, eum in Priorem Domus Schnalzensis anno 1367 præfecerunt. Non sine animi dolore obtemperavit Henricus, qui per biennium strenue admodum utroque statu promoto, arbitratus se provinciam injunctam explevisse, cellam pristinam sibi pro mercede restitui enixe rogavit; sed Patres, non audita ejus petitione, « exhortantur eum (per Chartam) ad patientiam et laborum tolerantiam. » Nec tamen hujusmodi cedens exhortationi, absolutionem a Capitulo generali non obtentam, a Visitatoribus iterata prece extorsit, sicque ad amicam solitudinem reversus est. Orbati triennio post pastore Schnalzenses monachi, Henricum sibi rursum præfici postulant, et per Chartam obtinent. E latibulo igitur Cartusiæ quantumvis invitus, ille egressus cum altero ejusdem Domus monacho, prioratus sibi commissi possessionem iniit in octava S. Joannis Baptistæ; sed statim ipse et socius, peste correpti, tertio post suum adventum die extincti sunt.

SICUT ET REGINALDUS DE CUPPIS.

IV. Post præfatum Henricum, inter mortuos in hac Charta sequitur D. Reynaldus, sive Reginaldus de Cuppis, monachus Fontis Beatæ Mariæ ubi alteram sub initiis illius fundationis professionem emiserat, assumptus ex alia Domo nobis ignota. Fuit ille vir non minus aptus spiritualibus quam temporalibus, unde ad negotia Ordinis magis ardua procuranda sæpius adhibitus fuit. Primum præfuit Domui Abbavillææ circa annum 1332, deinde Fonti Beatæ Mariæ quam regebat anno 1339, quo tempore visitavit aliquot Domos Franciæ sicut et anno 1342, quo inter Diffinitores Capituli generalis annumeratus est. Alias quoque Domos nobis ignotas gubernavit, tandemque fractus annis et laboribus ad Fontem Beatæ Mariæ rediit, ubi solitarius totusque rerum divinarum contemplationi per aliquot annos deditus, pie expiravit, die 24 Septembris anni præcedentis. Erga sacratissimam Virginem Mariam singulari semper pietate affectus,

Erga B. V. Mariam devotissimus.

cœlestia beneficia non minima ab ea accepit, quæ vir humilis, spiritum secutus Cartusiensibus peculiarem, semper cum magno studio abscondit. Plenum ut vocamus monachatum, id est duo Davidica psalteria a Monachis non sacerdotibus post illius mortem recitanda, vel sex Missas loco psalteriorum a sacerdotibus celebrandas per omnes cartusias, suis in Ordinem meritis consecutus fuerat. Sed omnem spem suam, post Deum, in beatissima illius Matre collocans, paulo ante suum obitum hæc beneficia unicuique quodammodo graviora libenter remisit, ea tamen conditione, ut quilibet sacerdos loco utriusque psalterii vel sex Missarum debitarum, duas in honorem B. Virginis Mariæ faceret ; alii vero ad sacerdotium non promoti, pro duobus psalteriis Davidicis, tria tantum ejusdem gloriosæ Matris Dei psalteria recitarent. Quod quidem Patres per Chartam hujus anni his verbis declararant, facta cuilibet eorum quæ vellet optione : « Obiit D. Reynaldus de Cuppis (*al.* de Campis) monachus Fontis B. Mariæ qui habet monachatum per totum Ordinem ; sed renuntiavit psalteriis quoad celebrantes, pro duabus missis B. Mariæ Virginis : salvo sibi pleno beneficio in Domibus asssociatis et ubi fuit Prior, et tricenario sibi concesso ratione primæ vocationis ad dictam Domum Fontis. Præterea postulavit a non celebrantibus tria psalteria B.Virginis Mariæ cum veniis. Eligat unusquisque quod in parte magis sibi fuerit gratum. » Anno sequenti, ejus anniversarium denunciatum est ad VIII Calendas Octobris. Duo psalteria B. Virginis Mariæ sanctus Bonaventura composuit, extantque ad calcem opusculorum ejus : unum quod inscribitur *Psalterium minus* continetque tria tetrastichorum rithmicorum quinquagenaria, juxta numerum psalmorum centum quinquaginta. Alterum simpliciter nuncupatum *Psalterium B. M. Virginis* singulari specie instar Davidici psalterii conditum est, suntque in eo centum quinquaginta psalmi quadruplo breviores Davidicis. Nec videtur Charta aliud meminisse quam illud ultimum.

In ejus honorem renuntiat suffragiis sibi debitis.

V. Ex Charta Capituli generalis.

ACTA CAPITULI.

1. « Ordinamus quod modo non vendantur reditus ad vi-

ANNUS 1374

tam super Domos Ordinis vel possessiones ipsarum : qui contrarium fecerit vel consentierit, si sit in officio, ipsum amittat; si sit sine officio, sit in disciplina generali Ordinis ad ipsius Ordinis voluntatem. Poterit tamen concedi licentia per Capitulum generale vel Domnum Cartusiæ, quando necessarium fuerit vel opportunum.

2. « Propter rumorum relationem, ex quo plurima scandala sunt secuta et inconvenientia, volumus quod personæ Ordinis quæ transeunt ordinate per Domos nostras non loquantur cum personis Ordinis quæ non sunt in officiis, sine speciali licentia Prioris, vel Vicarii in ejus absentia. Et tunc modeste et simpliciter, gratia consolationis conferant, nec inquirant vel referant de negotiis et factis Domorum et personarum. Quæ autem inordinate transeunt nec ad colloquia recipiantur nec ad ecclesiam, sed extra teneantur et incarcerentur vel emittantur, juxta Præsidentium consilium et discretionem.

3. « Visitatores anni præteriti visitent Domos quæ non fuerint illo anno visitatæ ; alias autem Domos non visitent nisi de hoc fuerint requisiti. Ipsi vero et quicunque alii vocati ad confirmationes faciendas, amodo sint cauti quod nullatenus consentiant ac confirment electiones de personis ineptis et non idoneis pro regimine Domorum pastoribus orbatarum. Et quia alios Visitatores non ordinamus præter illos qui anno præterito fuerint ordinati, quos ut supradictum est volumus visitare; et ubi non poterint commode a Domibus remotis haberi, Domus hujusmodi vocent unum vel duos Priores de vicinioribus et discretioribus, qui Deum præ oculis habentes, eos valeant visitare si indiguerint visitatione. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1375.

Gregorii PP. XI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 5.	Ann. 292.	Ann. 9.

PAUPERTATI MAJORIS CARTUS. SUBVENIT GREGORIUS XI,

I. ANNO a Virgineo partu millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, Indictione decima tertia, Romanus Pontifex non cessans Majori Cartusiæ benefacere, semperque compatiens paupertati ejus, præter pecunias quas ei erogaverat, eam quoque, et ejus intuitu totum Ordinem Cartusiensem, a decimarum Cameræ Apostolicæ debitarum solutione eximere voluit, data sequenti bulla : « Gregorius episcopus, servus etc., Dilectis filiis Priori et Conventui Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Perinsignis Ordinis vestri Religio fœcunditate referta, virtutum et meritorum conspicua sanctitate ; necnon et devotionis sinceritas, quam reverenter et sedule erga Nos et Romanam exhibetis Ecclesiam, promerentur ut vos Apostolici favoris plenitudine prosequentes, vobis assidue reddamur ad gratiam liberales. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat quod Domus vestra, tam propter fructuum sterilitatem et caristiam permaximam, quam incendium et alios casus contrarios supervenientes, ad paupertatem non modicam est deducta ; et quod nisi eidem Domui subvenissemus, ejus status non permansisset prout permanet de præsenti ; quodque collectores ad exigendum Decimas personis ecclesiasticis partium earumdem de reditibus et proventibus suis ecclesiasticis autoritate Apostolica impositas, vos ad solvendum hujus-

Extat inter Privilegia. n. 95.

eam a Decimis papalibus eximendo.

ANNUS
1375

modi decimas, sicut alios quotidie compellunt : quare, pro parte vestra, nobis fuit humiliter supplicatum ut vobis providere in præmissis de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos et vestrum Ordinem, cui Dominus benedixit, gerentes in visceribus charitatis sicut filios prædilectos, hujusmodi supplicationibus inclinati ; ut ad præstationem sive solutionem quarumcunque decimarum, quod pro Apostolica Camera vel aliis personis ecclesiasticis prædictarum partium jam impositæ sint vel in antea qualitercunque imponentur, nullatenus teneamini neque ad id compelli aliquatenus valeatis, vobis autoritate Apostolica concedimus de gratia speciali : omnes et singulas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, et pœnas alias, quas contra hoc in vos seu præfatam Domum vestram et ejus ecclesiam perferri contigerit, decernentes tenore præsentium irritas et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Datum Avinione, VI Nonas Martii, Pontificatus nostri anno quinto. »

Orationes pro summo Pontifice indicuntur.

His temporalibus gratiis, spirituales, ut mox videbimus, addidit Gregorius, qui eodem tempore reditum in Italia meditatus, orationes Ordinis ad illum prospere exequendum, expetere non est dedignatus. Per Chartam igitur Patres, prædicatis illius erga nos beneficiis, preces in gratiarum actionem et pro felici illius itinere sic constituunt : « Pro sanctissimo in Christo Patre Domino nostro summo Pontifice, qui magnas eleemosinas contulit et confert assidue pro reparatione Domus Cartusiæ, et est Ordini liberalis in privilegiis et gratiis concedendis, fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium de Spiritu Sancto. Et ut Deus illum nobis ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ salvum atque incolumem custodiat, statumque ipsius Ecclesiæ suo regimine proficere faciat et exaltet, et viam et actus illius dirigat, quum sit de proximo cum suo sacro Collegio Romam profecturus : dicatur quotidie per Ordinem universum, donec aliter fuerit ordinatum, in missa Conventuali, quando erit pro vivis et numerum septenarium non transcendet, alioquin in missa privata B. Mariæ vel altera, oratio *Deus omnium fidelium Pastor,* cum suis Secreta

ANNUS 1375

et Completa. Quam quidem orationem omnes qui in præsenti Capitulo interfuerunt de missalibus hujus Domus recipiant copiam et secum deferant, copiarique faciant in Domibus Ordinis universis. Ipse enim ampliavit gratiam super dispensatione et absolutione ad decem Priores quos Prior Cartusiæ duxerit eligendos, et quos possit mutare quoties sibi videbitur usque ad xx annos. Priores autem ordinati ad præmissa de præsenti per Domnum Cartusiæ sunt : Vallis viridis, Vallis benedictionis, Vallis omnium Sanctorum, Novæ cellæ, Sancti Martini et Sancti Hieronymi, Matris Dei prope Londinas et Scalæ Dei. Reliquos duos retinet sibi Domnus Cartusiæ, ut possit mutare quandocunque propter casus quotidie emergentes ; prænominatos vero Priores Domnus Cartusiæ per suas literas informabit de potestate et virtute prædictæ gratiæ Apostolicæ sibi data ; et ad illos de Visitatorum vel Priorum suorum licentia et non aliter, habebunt recursum et poterunt personæ Ordinis accedere quæ dispensatione indigebant ; et caveant sibi ne divertant sine causa rationabili et manifesta a recto itinere, alias pro fugitivis habeantur. »

CARTUSIANUS GREGORII NUNTIUS A FLORENTINIS ATROCISSIME TRUCIDATUR.

II. Interea miserabilis erat Italiæ facies, rebellantibus maxime Ecclesiæ Romanæ ditionibus, sicut Gregorio prædixerat S. Birgitta jam ante biennium defuncta. Florentini, inter alios, postquam calumniis et iniquis suspicionibus Gregorium quasi occulte appetiissent, « statim apertas inimicitias cum Ecclesia ipsa, inquit Raynaldus, exercuerunt, ditionem pontificiam eversuros se comminati sunt, tyrannidem exercuerunt in viros Ecclesiasticos, ac Neroniana crudelitate Religiosum virum terræ vivum infodere. » Hunc Religiosum fuisse monachum Cartusiensem, Gregorii nuncium, scribit Bzovius his verbis : « Post hominum memoriam, nescio an aliqua urbs tantum calamitatis Ecclesiæ Romanæ quantum Florentia, isto et superiori anno, intulisset. Namque urbibus pontificiis a sede Apostolica alienatis, cum Gregorius pontifex, misso ad eos Nicolao Cartusiano, illos officii admoneret ; illi nuncium Apostolicum forcipibus ignitis laniarunt, carnes avulsas canibus projecerunt, vivum adhuc et spiran-

Revelation. Lib. IV, cap. 139.

Ad hunc annum. n. 15.

Ad ann. 1376. n. 10.

ANNUS 1375

tem ante cathedralem ecclesiam sub furcis erectis sepelierunt. » Hæc ille; quæ summus Pontifex in sententia contra Florentinos ineunte anno sequenti lata, particulatim sic enarrat : « Et insuper dudum Priores et vexillifer dictæ civitatis Florentinæ qui tunc erant, ac populus et Commune supradicti, spiritu furoris accensi, quemdam Nicolaum monachum (scilicet Cartusiensem) in sacerdotio constitutum, quibusdam sceleratis viris, cum nullus officialis justitiæ partium earumdem de hoc se intromittere vellet, torquendum dederunt; qui monachum ipsum, in suæ Religionis et Ordinis clericalis vituperium, ad ostendendum eum fore sacerdotem de novo radi fecerunt, et eum in quodam curru posuerunt, et cum tenaculis igneis ipsius carnes evellentes, eas canibus projecerunt. Eum per civitatem Florentinam prædictam transeundo etiam prope ecclesiam cathedralem, ad majus Ordinis clericalis vituperium, usque ad locum ubi fures suspenduntur deduxerunt; ipsumque coram populo clamantem, quod a sibi impositis innocens erat penitus et immunis, vivum sepeliri fecerunt atque mori. »

Raynald. ad ann. 1376. §. 11.

Quis vero sit ille Monachus, non reperi; nisi sit Nicolaus, Prior Sancti Petri in Liguria, cujus obitus recensetur hoc anno in Charta cum beneficio tricenarii per totum Ordinem. Posthac sancta Catharina Senensis ab ipsis civibus avocata, Avenionem ad summum Pontificem eorum efflagitatu cum Stephano Macono accessit : quod et fusius anno altero narraturi sumus.

BULLA PONTIFICIA PRO DOMO CAPRI.

III. Etsi Gregorius Romam sub autumnum repetere decrevisset, profectionis tamen tempus in alterum annum protraxit. Quamobrem adhuc degens Avenione, mense Novembris, beneficia a Joanna regina Siciliæ novæ Domui Capritanæ concessa confirmavit, data bulla Avenioni, undecimo Calendas Decembris.

CAROLUS IMPERATOR DOMUM ERFORDIENS. PROTEGIT.

IV. Carolus Imperator hoc anno Pragæ commoratus, fundationem cartusiæ Erfordiensis non solum confirmavit, sed et eam in suam tutelam recepit sub bulla aurea, qua præterea Nostros exemit « ab omnibus et singulis tam realibus quam

etiam personalibus exactionibus, collectis, præconiis, angariis, perangariis, talliis, vexationibus, impositionibus, steuris et gravaminibus quibuscumque : non obstantibus quibuscumque legibus, statutis, consuetudinibus, vel municipalibus publicis vel privatis in contrarium editis, etc.... quibus de certa scientia et Imperatoriæ plenitudine potestatis specialiter derogat. » Data est bulla aurea Pragæ, ut dixi, hoc anno, Indictione 13, sexto Nonas Julii, regnorum ejus anno 29, Imperii vero 21. Testes fuerunt : Venerabilis Lodewicus, archiepiscopus Moguntiæ, sacri Imperii per Germaniam archicancellarius ; Joannes, archiepiscopus Pragensis, apostolicæ Sedis legatus ; et Eskardus, episcopus Wormacensis. Illustres Willelmus landgravius Thuringiæ et marchio Misnensis, Pizmielaus Teschinensis, Henricus Bregensis et Bumitzlaus Legnicensis duces, cum pluribus Nobilibus.

ANNUS 1375

V. Lodewicus archiepiscopus Moguntinus, ibi denominatus, paulo ante similiter Nostris confirmationem pro nova Domo concesserat ; sive potius jam a suo antecessore datam innovavit et approbavit, datis Literis in quibus inter cætera sic loquitur : « Ludovicus, Dei et sedis apostolicæ gratia, sanctæ Mogunt. sedis archiepiscopus, etc... Nos qui speciali favore Ordinem Fratrum Cartusiæ prosequimur, quem inter cæteros cognovimus strictiorem et sanctimoniæ potissimis nitentem virtutibus ; R. P. D. Joannis quondam Moguntinensis archiepiscopi prædecessoris nostri immediati, qui zelo devotionis accensus dum viveret similiter ipsum promovit et confirmavit, vestigiis inhærentes : constructionem atque institutionem dicti monasterii factam autoritate ordinaria ratificamus. Et ut Fratres dicti monasterii nostris munificentiis et gratuitis donis lætari et gaudere valeant, et pro nobis et benefactoribus suis Altissimum exorare sint arctati ; de libera nostra voluntate expressa, in notorium ipsorum sublevamen, ob reverentiam et honorem Jesu Christi, sanctorum Mariæ semper Virginis, matris ejusdem, et Joannis Baptistæ, patronorum dicti Ordinis, atque in relevamen peccatorum nostrorum, tredecim agros annuatim de lignis nos-

PARITER ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINENS.

ANNUS 1375

tris secalibus, etc., in perpetuum et irrevocabiliter donavimus, etc. Datum Pragæ anno 1375, Indictione 13, die 1 Maii. »

Harum Literarum meminit bulla aurea Caroli Imperatoris supradicta lignorum donationem confirmans, et in ea vocat Carolus « Ludovicum, archiepiscopum nunc Moguntiæ Principem, consiliarium et avunculum suum charissimum. » Raynaldus namque asserit eumdem Ludovicum, exautorato Adolpho ejus in episcopatu competitore, a summo Pontifice ad Caroli Cæsaris gratiam confirmatum fuisse. Et revera, nisi Ludovicus confirmatus fuisset, non se in his Literis Archiepiscopum sedis apostolicæ gratia diceret ; nec ei Gregorius papa eumdem tribueret titulum in suo testamento quod anno præterito condidit, ubi Ludovici sic meminit : « Legamus et dimittimus eis (monachis Casæ Dei) amplius 45 millia florenorum semel solvendorum, nobis debitorum : videlicet 30 millia per Ludovicum archiepiscopum Moguntinum, ex compositione facta inter ipsum et Cameram nostram de et pro fructibus reservatis dictæ Ecclesiæ, ipsius vacatione durante, a tempore videlicet obitus Joannis quondam archiepiscopi ultimi defuncti, immediate prædecessoris sui, usque ad diem provisionis Ludovici prædicti. » Hunc tamen Nicolaus Serarius, et post eum Sammarthani in catalogo Moguntinorum Præsulum prætermisere, quod ab Adolpho devictus urbem suam nunquam tanquam Archiepiscopus sit ingressus, ut videtur asserere Krantzius; ubi ejusdem Ludovici, facti postea Magdeburgensis præsulis, miserum exitum describit.

Ad annum 1374. n. 14.

Dachery, Spicilegium VI. p. 681.

Rerum Mogunt., sub Adolpho, Lib. V.

PLURIUM ORDINIS BENEFACTORUM OBITUS :

G. Colom in Hispania,

Ex schedis ms. D. J.-B. Civera.

VI. Hoc anno Valentiæ in Hispania Tarraconensi moritur nobilis quidam eques,nomine Guillelmus Colom, dominus de Beselgay et Estivella villarum, quatuor leucis ab eodem urbe distantium. Hic erga Cartusiensium Ordinem atque imprimis erga Domum Portæ Cœli bene affectus, suo testamento sanxit construi cartusiam apud Beselgay, ea conditione ut Prioris Portæ Cœli imperio subjaceret. Verum quia ibidem erat castellum munitissimum, noluit Rex Aragonum illud in monasterium immutari. Eo igitur assensum dene-

gante, Nostrisque forsan conditionem non accipientibus, res caruit effectu.

ANNUS 1375

J. d'Aymville, Lutetiæ Parisiorum,

Obiit quoque Lutetiæ Parisiorum, die 20 Martii præsentis anni, nobilis Joannes d'Aymville, collegii ejusdem nominis in Academia Parisiensi fundator, et Patrum nostrorum ejusdem urbis benefactor, apud quos jacet sub tumulo marmoreo, in choro ecclesiæ cum epitaphio gallice exarato, quod latine redditum sic sonat : « Hic jacet nobilis vir Joannes d'Aymville, eques, dominus de Bruyeres et d'Aussomvillier, palatio regis Caroli V præfectus, qui obiit Parisiis in sua domo die xx Maii 1375. »

Ida de Rosny apud Moniales Gosnay.

Duchesn. Lib. I. c. 8. Genealogia fam. Drocens.

Eodem anno, die 2 Julii, apud nostras Moniales Gosnayenses pie decessit Ida de Rosny, sepulta in choro sub lampade. Hæc fuit filia Guidonis Mauvoisin, domini de Rosny, nupsitque primum Joanni III comiti Drocensi ; deinde anno 1332 Matthæo de Trie Franciæ marescallo, cujus consensu multas pecunias in constructionem ecclesiæ dicti parthenii insumpsit, et ad utriusque conjugis instantiam anno 1341 eadem ecclesia dedicata fuit. Matthæo paulo post defuncto, Ida, carens liberis, inter nostras Moniales se recipiens, tanta excelluit humilitate ut angustam sub eorum dormitorio cameram elegerit, rata se indignam cum eisdem in eodem loco habitare. Religiosum in Domo Monachorum Gosnay fundavit; unde post obitum meruit per totum Ordinem tricenarium, quod denunciatum est in Charta anni sequentis, ubi illa ex priore conjuge vocatur « Comitissa Drocensis. »

Ex Mss. Domus.

In Charta hujus anni legitur obitus Domnæ Burgetæ, Priorissæ Saletarum, sub penultima die Aprilis, quæ habuit tricenarium, cum prima associatione anniversarii in Calendariis Domorum Ordinis sub præfata die exscribendi ; et præterea aliud conceditur tricenarium « pro omnibus Monialibus et Monachis hoc anno in eadem Domo defunctis. » Burgeta ex illustrissimo Bauciorum orta sanguine, habitum Cartusiensem susceperat sub prioratu Mariæ dalphinæ Viennensis, cui et successerat anno 1361, ad obitum usque religiosissime conversata.

ANNUS
1375

PESTIS SÆVIT IN DOMO SALETTARUM.

VII. Porro pestem in hac Domo sævisse ex tot defunctis colligimus ; imo et per multa alia loca et regna, non solum pestem sed tria (ut vulgo dicitur) Dei flagella grassata fuisse discimus ex Charta Capituli generalis, in qua præcipitur « unum tricenarium Sancti Spiritus pro sterilitatibus, pestilentiis, mortalitatibus, guerris et aliis flagellis occurrentibus et diversas Christianitatis partes consumentibus. » Quod bella spectat, multæ Domus tum in Gallia, Flandria, Italia et Germania, a Conventualibus desertæ sunt. In his etiam Delphinatus tractibus multas miles rapinas fecit ; de quibus ad calcem cujusdam codicis Statutorum Antiquorum sic lego : « Anno Domini 1375 transiverunt Britones per istam patriam Delphinalem, magnam cladem facientes, et de mense Julii fuerunt in Gratianopoli. » De his Britonibus habet vir clarus Chorerius, sed occupatæ ab eis Gratianopolis non meminit.

Histor. Delphin. Lib. II. sect. 14.

Præter bella, sterilitatis quoque flagellum Nostris commune fuisse eadem Charta nos edocet, cum ibidem ordinatur quod « pro exonerandis debitis Capituli generalis, quæ magna sunt propter sterilitatem et alias plures causas quas gratia brevitatis reticemus, quælibet Domus mittat* ad sequens Capitulum ; et quia propter annum bissextilem omnes Priores ad sequens Capitulum venire sunt astricti, veniant ut tenentur vel mittant expensas quas facerent, convertendas in utilitatem dicti Capituli generalis et taxandas per Visitatores ; qui possint et valeant Domibus pauperibus aliquam partem remittere expensarum prædictarum. »

Bella et sterilitates undique.

* deest aliquid.

Jam sub initium Chartæ Priores admoniti fuerant ut ad Comitia se conferrent ; sic enim hoc anno Charta incipit : « Anno Domini 1376, IV Idus Februarii erit Septuagesima, id est decima die prædicti mensis Februarii ; et erit annus bissextilis, in quo omnes Priores Ordinis et Vicarii Monialium ad Capitulum venire ex debito sunt astricti. »

VIII. Aliæ ordinationes hujus anni sunt :

ORDINATIONES.

1. « Hospites de quibus nihil est ordinatum, remaneant in Domibus in quibus sunt ad Ordinis voluntatem ; de quibus Visitatores nihilominus habeant ordinare eos, et ad alias

ANNUS 1375

Domos intra vel extra Provinciam transmittent prout saluti animarum et paci Domorum viderint expedire : super quo conscientiam ipsorum oneramus, et durabit hæc potestas usque ad sequens Capitulum generale.

2. « Ad serenandas conscientias illorum qui impugnant provisiones Domorum quas Capitulum generale facere consuevit, et privilegia de præmissis facientia mentionem ; notum facimus universis quod Dominus noster Papa modernus ad supplicationem et requestam Domni Cartusiæ, ex certa scientia, autoritate apostolica confirmavit omnes collationes et provisiones olim factas per dictum Capitulum generale et quæ fient in posterum, cum non obstantibus quibuscumque et aliis clausulis opportunis.

Contra inordinatas alienationes bonorum immobilium.

3. « Statuto perpetuo et irrefragabili duximus ordinandum ut nullus unquam Conventus nec persona Ordinis nostri, vacante Domo vel non vacante, in sui Prioris absentia aliquid de bonis immobilibus alienet quocumque titulo vel colore. Qui contra fecerint vel contra facientibus consenserint, si obedientias habuerint, ipso facto eisdem sint privati ; et ipsi et alii in talibus consentientes perpetuo sint infames et inhabiles ad quæcumque officia Ordinis obtinenda ; et nihilominus Priores tales contractus, quos nullos esse decernimus, quantum commode poterint faciant revocari.

Professionis anticipatio damnatur.

4. « Nullus supplicet amodo Capitulo generali pro anticipatione professionum Novitiorum quorumcumque, nam de istis anticipationibus multa scandala Ordini devenerunt.

5. « Ad parcendum laboribus et expensis, ad exonerationem debitorum Capituli et vexationis Domni Cartusiæ, volumus et ordinamus quod nullus Prior vel Monachus veniat ad Cartusiam super annum pro negotiis quæ per nuntium et literas poterunt commode expediri.

6. « Item ordinamus quod de venturis ad sequens Capitulum (ad quod propter annum bissextilem omnes Priores et Vicarii monialium ex debito sunt adstricti) nullus intret pontem Cartusiæ absque licentia speciali ante feriam quintam dictum Capitulum præcedentem.

ANNUS 1375

7. « Cum alias fuerit ordinatum quod mulieres non habitarent in Domibus vel grangiis in quibus personæ de habitu Ordinis morarentur, et non fuerit emendatio subsecuta; districte injungimus omnibus Prioribus et Procuratoribus Ordinis, ne amodo permittant hujusmodi mulieres in Domibus vel grangiis supradictis habitare. Qui contrarium fecerit aut permiserit de habentibus obedientias Ordinis, ipsas obedientias vel officia amittat, et deinceps sit inhabilis ad officia Ordinis universa.

8. « D. Aymoni monacho Domus Apponiaci qui se fecit incidi, remittimus disciplinam, et de gratia speciali reddimus vocem.

9. « Priori Florentiæ conceditur quod possit facere promoveri ad sacerdotium Clericum Redditum pro quo supplicavit. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1376.

Gregorii PP. XI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 293.	Ann. 10.

I. ANNUS quem intramus, millesimus trecentesimus, septuagesimus sextus cum Indictione quarta decima, Ecclesiæ fuit lugubris. Nec enim in Italia tantum in sedem apostolicam rebelliones fiebant (de quibus anno elapso egimus), sed et Principes per alias orbis christiani regiones libertati Ecclesiæ infestos fuisse discimus ex Charta Capituli generalis hujus anni, quæ preces ad hujusmodi mala deprecanda sic injungit :

PRECES PRO SUMMO PONTIFICE INDICUNTUR A GENERALI CAPITULO,

« Pro Sanctissimo in Christo Patre, Domino nostro summo Pontifice, qui magnas eleemosynas contulit et confert assidue pro reparatione Domus Cartusiæ, et est Ordini liberalis in privilegiis et gratiis concedendis, fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium *de Spiritu Sancto.* Et ut Deus illum nobis ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ salvum atque incolumem custodiat, statumque ipsius sub suo regimine proficere faciat et exaltet, et viam et actus illius dirigat, cum sit de proximo cum suo sacro Collegio Romam profecturus, dicatur quotidie per Ordinem nostrum universum, donec aliter fuerit ordinatum, in Missa conventuali quando erit pro vivis et numerum septenarium non excedit, alioquin in Missa privata B. Mariæ vel altera, Oratio : *Deus, omnium Fidelium Pastor...* cum suis Secreta et Completa : quam quidem Orationem, omnes qui in præsenti Capitulo interfuerunt, de Missalibus hujus Domus recipiant copiam et secum

ANNUS 1376

deferant, copiarique faciant in Domibus Ordinis universis. »

et pro pace inter Principes.

Calamitates plerumque ex discordiis Principum nascuntur, unde statim subjungit Charta : « Et pro domino Rege Franciæ et Regina et fratribus suis ac liberis, et pro dominis Regibus Angliæ, Aragoniæ et Hispaniæ et eorum liberis, et ut diebus nostris pax inter eos reddatur ac cæteros Principes Christianos, fiat per omnes Domos Ordinis tricenarium *de Spiritu Sancto.* » Causam hujus vexationis in ecclesiasticam libertatem exercitæ, fuisse nimiam in tuendis privilegiis Papalibus tenacitatem innuunt Patres Ordinis, cum in eadem Charta Nostros ad parce modesteque utendum hujusmodi gratiis sic cohortantur :

Monentur Priores ut parce privilegiis Ordinis utantur.

« Cum Ecclesiam Dei in multis partibus mundi per potentias seculares modernis temporibus opprimi videamus, monemus et exhortamur in Domino personas Ordinis universas ut cum superbia et rigore privilegiis Ordinis non utantur, vel potius abutantur. » O præclara ac religiosa Patrum simplicitas, quæ plus honesto quam utili studens, publicum bonum propriis præfert commodis ! Neque hic stetit tam moderata agendi ratio : cum enim novum a sede apostolica prodiisset mandatum, quo tam exempti quam non exempti ad solutionem decimarum aliorumque Papalium subsidiorum adstringebantur, decreverunt Patres ut Nostri, nihil prohibentibus antiquis privilegiis, petita subsidia mature penderent. « Intimamus (sunt verba Chartæ) universis personis Ordinis quatenus non confidant de privilegiis Ordinis, quando decimas Papales solvere teneantur. Et idcirco sint in solvendo prævisi, ne sententiam Papalem incurrant ; quia mandata moderna apostolica includunt tot nonobstantia quod infringant omnia privilegia antiqua. » Placuit summo Pontifici prompta ac candida Ordinis obedientia, quem propterea videbimus anno sequenti easdem immunitates nobis abundantius confirmantem. Sed quia multi ex Nostris, tum ad confirmationem eorumdem privilegiorum, tum ad protectionem apostolicam implorandam summum Pontificem frequentius adibant, monuit Gregorius Priorem Cartusiæ ut non sineret tot

monachos simul Avenionem convenire. Quapropter per eamdem Chartam, tres destinati sunt Procuratores qui nomine Ordinis res cujuscumque Domus apud Papam persequerentur. Sed audiamus Patres, qui mali umbram pro more suo tanquam scandalum habentes, aditum curiæ romanæ qualicumque personæ Ordinis propterea prohibent :

Ordinatio de rariore ad curiam romanam aditu.

« Quia Dominus noster Papa et domini Cardinales et Prælati scandalizantur et male ædificantur valde de Ordine propter personas Ordinis curiam romanam frequentantes, volumus et ordinamus ut nullus Prior, Monachus, Clericus vel Conversus, prætextu cujuscumque licentiæ olim impetratæ a Domno Cartusiæ vel in futuro impetrandæ, pro quocumque negotio curiam possint ingredi supradictam sine licentia expressa Diffinitorum Capituli generalis; sed mittant per nuntium sua qui indiguerint negotia ad Procuratores Ordinis quos creavimus in præsenti Capitulo, qui dicta negotia habebunt promovere et etiam expedire ad expensas Domorum quorum negotia prosequentur. Procuratores autem per nos ordinati sunt : Prior Vallis benedictionis, et Domni Joannes de Tegula et Beringarius Bruni, monachi Domus Vallis benedictionis, et quilibet eorum in solidum. »

Eadem constitutio, duobus annis sequentibus, iisdem ferme verbis confirmatur; nisi quod alii Procuratores designantur, Priores videlicet Domorum Neapolis, Trisulti, Capri et Sanctæ Crucis in Urbe ad quam summus Pontifex sedem suam transtulerat sive potius restituerat; de quo nunc quantum ad nos spectat agendum est.

PERFECTA STEPHANI MACONI CONVERSIO,

II. Anno præcedente diximus Florentinos, post barbaram nostri Nicolai necem, Catharinam Senensem virginem seraphicam, procurandæ sibi a summo Pontifice paci internunciam Avenionem misisse; eamque huc accessisse Stephano Macono comitatam, quem hoc anno ad meliorem frugem beata virgo suis exhortationibus, hac data occasione, revocaverat. Jam vidimus anno hujus seculi quadragesimo septimo nono Stephanum, post pueritiam summa cum innocentia et pietate transactam, sensim mundi laqueis irretitum,

ANNUS 1376

in grave animæ corporisque periculum se intulisse. Rei seriem ipse postea, factus Prior cartusiæ Papiensis, sic enarrat in epistola ad fratrem Thomam Antonii de Senis, religiosum Ordinis Prædicatorum insignem : « Verum, inquit, ut aperte fatear, facies ipsius virginis (Catharinæ) cum omni genere suo, mihi et omni genere meo penitus ignota fuit, licet in eadem civitate Senarum oriundi fuerimus, usque ad annum Domini 1376 vel circa. Nec etiam illo tempore, velut immersus in fluctibus vitæ præsentis, ejus notitiam habere exoptabam ; nisi quod æterna Bonitas, quæ neminem vult perire, per hanc virginem animam meam de faucibus inferni liberare disposuit. Accidit igitur illo tempore, sine culpa nostra, incurrere nos in quamdam guerram cum valde potentioribus nobis; in qua tamen plurimi magni cives cum aliquamdiu fuissent occupati atque fatigati, nullam omnino spem alicujus bonæ voluntatis vel pacis ab illis adversariis nostris habere potuerunt. »

Ex ms. Rubeæ vallis, ap. Bollandistas in Vita S. Catharinæ Senensis.

operante S. Catharina Senensi,

Unde vero hujusmodi dissidium cum suis civibus Stephanus noster contraxerit, scribitur in ejus Vita his verbis : « Factum est ut Stephano ludis convivalibus celebrandis die quodam intento, apud Nobiles quosdam viros sibi affinitate conjunctos altercari de jure honoris inter eos cœptum est. Cujus rei causa eo Stephanus devenit, ingenio enimvero præfervidus, ut suum jus quo cum suæ etiam conjuncta erat existimatio gentis, armis tuendum ratus, acerbas repente contraxerit inimicitias. Quæ eo graviores, quod sævius in dies cum viris e Tholomea atque Renaldina gente, primariis ab antiquitate et potentia in urbe patria familiis, exercebantur. Quas tamen ne multorum scilicet sibi conflaret invidiam, uti etiam viribus impar declinare avebat ; eoque magis quod re accurate perpensa, sciebat se culpæ quodammodo non exortem. » Per biennium his in angustiis versatus cum pacem ab adversariis obtinere non posset, de consilio Petri Bellansi viri nobilis sibi amici, sanctam adiit Catharinam, cujus interpositu et Deo et hominibus reconciliatum se confitetur in citata epistola :

occasione cujusdam dissidii,

Lib. I, cap. 4.

« Tunc, inquit, virgo præfata florebat quasi per universam Tusciam, et magnis virtutum præconiis a quamplurimis extollebatur, et opera valde miranda referebant; unde mihi suggestum destitit, quia si rogarem illam de tali negotio, sine dubio pacem haberemus, quia multa similia fecerat. Quare consilium habui cum quodam viro Nobili, qui longo tempore portaverat odium et postea pacem fecerat, ejusque sacræ virginis conversationem habebat; qui sicut motivum meum audivit, illico respondit : Indubitatum habeas quia nullam in ista civitate personam invenies quæ sit ipsa aptior pro tali pace; subjungens : ultra non differas, ego te sociabo. Visitavimus igitur eam quæ me recepit, non ut verecunda virgo sicut existimabam, sed affectuosissima caritate, veluti si germanum a remotis partibus redeuntem gratiose suscepisset ; de quo fui miratus, et attendebam efficaciam sanctorum verborum quibus me non tantum induxit, verum etiam compulit ad confessionem et ad virtuose vivendum. Dixi : Digitus Dei est hic. Et audita causa meæ visitationis, absolute respondit : Vade, fili carissime, confidens in Domino, quia libentissime laborabo donec habebis optimam pacem, et hujusmodi pondus omnino super caput istud habere me sinas; et ita rei postea probavit eventus : quia miraculose postmodum, ipsa mediante, pacem habuimus etiam contra voluntatem adversariorum nostrorum, et hoc omitto causa brevitatis. »

ANNUS 1376

Ex ms. Rubeæ vallis, ut supra.

Sed quæ Stephanus omisit, hic libet ex ejus Vita ad lectorum consolationem subjicere. « Dixerat virgo seraphica diem qua in divi Christophori ad Tholomeam plateam convenire adversarii dicebantur. Sed cum paulo interjecto tempore inter se fremerent, ut gens a nobilitate et potentia superba admodum et insolens, magisque illorum animus in priori sententia obfirmatus perstaret in dies, neque de ea ulla ratione dejici posse prorsus abnuerent, virginis cæterorumque de Macona domo de industria vitabant congressum. Quod ubi virgo animadvertit : Me, inquit, audire nolunt; Dei, velint nolint, dicto audientes erunt; iisque prolatis,

quod mirum in modum componit Sancta.

Lib. I cap. 6 et 7.

ANNUS 1376

recta ad divi Christophori contendit [ecclesiam], quo ex condicto Stephanus una cum Conrado patre cæterisque sibi cognatione proximis jam convenerant. Ea in æde seraphica virgo ante aram maximam in preces effusa procubuit; rem dictu miram! ea orante atque extra se vi precum rapta, adversarii quique, alio aliorum adventum ignorante sed eos cogente quem ardentibus precibus Deum urgebat Catharina, in templo brevi adesse conspiciuntur. Qui ut primum oculos in virginem orantem conjiciunt contemplanturque, ut postea fassi sunt, ex ejus vultu quosdam divinæ lucis emicare radios, religione maxime perurgente, iras deponere apud se statuunt: sic ut virgini ad se reversæ obviam processerint, et ante eam acclinantes, in ejus potestatem omnem de pace ineunda controversiam cum altera partium, optima inter se inita conspiratione traderint, omnibus qui aderant rem oppido mirantibus. Quibus virgo beata renidenti vultu mox annuens, de rebus divinis more suo sermonem instituit; quo de pacis bono deque concordiæ nexu ac fructibus tam apposite tamque scite ad rem propositam disseruit, ut ea in hæc verba perorasse dicatur: Quo firmiora, filii, hæc pacis fœdera inter vos sanciantur ac certiora reconciliatæ gratiæ præbeantur argumenta, venia vicissim postulata dataque atque etiam ultro junctis dextris, mutuos in amplexus vos venire volo; cum dedecus omne in me recipiam, quod apud Deum et homines vobis parere unquam possit hæc pacis charitatisque connexio. Quibus dictis, extemplo lacrymis præ gaudio utrinque ad solum usque fluentibus, caros sibi dederunt amplexus; virgine immortales Deo gratias agente de victo prostratoque dæmone, virulenta discordiarum fomenta mortalibus quotidie suggerente. »

Ex hoc Stephanus fit comes individuus Sanctæ.

Ab eo tempore Stephanus comitem se individuum præbuit seraphicæ virgini, cui et ad illius petitionem ab epistolis operam navare magno in honore habuit, nec ab hujusmodi officio avelli potuit, licet per plateas et compita ad ludibrium se *Catherinatum* vocitari audiret. Quantum vero interius se mutatum ex illius sancto consortio senserit, sic ipse commemorat:

ANNUS 1376

Epistola ad Thomam Antonii, ut supra.

« Interim ego sollicitare desiderans hujusmodi pacem, visitavi pluries eam ; et quotidie, propter efficacissima verba sua et exempla perfectissima, sentiebam interiorem hominem in melius, conscientia compellente reformari. Me rogavit interim ut aliquas epistolas, quas ore virgineo mirabili modo dictabat, ego scriberem. Et utique valde libenter acceptavi, quotidie sentiens in me per novum fervorem ad cœlestia cor accendi, vilipendendo seculum et omnia sua cum tanta displicentia vitæ pristinæ ut vix me tolerare valerem ; et talem et tantam persensi in me mutationem, ut etiam ab extra temperare non possem : ita ut fere tota civitas illa miraretur. Et quanto plus attendebam vitam, exempla, mores et verba præfatæ sanctæ virginis, tanto magis augmentum in me percipiebam divini amoris atque seculi contemptus : adeo ut non solum despicato (ait autor Vitæ illius) abjectoque corporis cultu, verum etiam dictis factisque cujusdam exploratæ summissionis, ad veterem luxum fastumque expiandum se dejiceret.

Cum illa Avenionem se confert Stephanus.

« Post modicum vero temporis (iterum loquitur noster Stephanus), prædicta sanctissima virgo mihi dixit in secreto : Noveris, dilectissime fili, quo cito implebitur majus desiderium quod habes. Quo percepto, fui stupefactus aliqualiter, quia nesciebam invenire quid in mundo vellem habere, imo potius omnia sua recusabam. Ideo dixi : O carissima mater, obsecro, quod est majus desiderium quod habeam ? Et ipsa : Quæras, inquit, in corde tuo. Ad quam ego : Vere, mater amantissima, nescio in me majus desiderium invenire quam esse jugiter juxta vos. Et illa subito respondit : Et hoc erit. Ego vero nesciebam intelligere modum qualiter honeste sive commode posset ita fieri propter difficiles conditiones et utriusque statum. Ille vero cui nihil est impossibile, per modum admirabilem ordinavit ipsam ad Avenionem, videlicet ad Dominum Gregorium Papam undecimum, dirigere gressus : et ita licet indignus, acceptatus fui comes tam sanctæ societatis ; parvipendens atque derelinquens utrumque parentem, germanos, sororem et alios consanguineos ; me beatum esse reputans pro virginea præsentia. »

ANNUS
1376

Apud Bollandistas, xxx April. p. 972.

Et post plura narrat quomodo Avenione egressi, Genuam appulissent, et ipse seraphica virgine divinitus imperante, difficili exemptus sit morbo. « Sed hoc unum, inquit, quod in me percepi, tacere non potero. Cum de Avenione rediremus, fuimus in civitate Januæ, per mensem et ultra, in domo cujusdam nobilis et venerandæ Dominæ, quæ vocabatur domina Orietta Scotta, ubi fere tota societas nostra fuit infirmata. Sed illa Domina sollicitam de omnibus curam agebat, adducendo quotidie duos medicos valentes viros, cum quibus habui laborem valde magnum, volendo satisfacere singulis infirmis; donec ab omnibus de domo quasi mihi prædiceretur quod etiam infirmarer, et infra paucos dies ita subsecutum est. In lectum quoque decidi multum acutissima febri correptus, cum excessivo dolore capitis et laborioso vomitu. Cumque sacra virgo percepisset, ad me personaliter accessit, una cum confessoribus atque sociabus ejus, et a me petivit in quo eram ita gravatus. Ego vero lætatus ex ejus gratissima præsentia, solatiose respondi : Aliqui dicunt mihi quod ego patior nescio quid. Tunc ipsa caritate materna mota, mihi frontem virginea manu tetigit, et caput suum aliqualiter agitans, ait : Audiatis istum filium qui dicit, aliqui mihi dicunt quod ego patior ignoro quid ; cum ipse patiatur acutissimam febrem. Et adjecit : Ego non permittam te agere, prout faciunt infirmi cæteri, sed in virtute sanctæ obedientiæ tibi præcipio ut ulterius hanc ægritudinem non patiaris; nam omnino volo te esse sanum ac ut alios adjuves uti solebas : et his dictis, juxta morem suum, incepit loqui de Deo. Mirabile dictu, sed valde mirabilius in facto ! Ipse, tunc adhuc ea loquente, fui plenissime liberatus; et interrumpendo verba sua, me liberatum esse clamavi, cunctis qui aderant admirantibus; et annis multis postea cum perfecta sanitate perseveravi. »

Miraculose sanatur a febri Stephanus, jubente Catharina.

Ubi vero Senas redierunt, quibusdam et primoribus Florentinorum sanctam virginem rogantibus ut Florentiam iterum concederet, noluit illa acquiescere, sed nomine suo Stephanum misit; qui legationis ejus exitum renuntians parum abfuit quin a plebe furente, sicut noster Nicolaus, occidere-

tur. « Verum apud Primores (ut in ejus Vita legimus) res aliter atque apud vulgus expendebatur. Quoniam in eam mentem Primates ipsos impulerunt quæ Stephanus licet juvenis, necdum trigesimum ætatis annum explens, graviter retulit in Senatu, ut tumultuario licet consensu ad summum Pontificem, qui mense Septembri Avenione recedens Italiam repetierat, supplices literas dederint, rogantes eumdem ac deprecantes, ut pro potestate juberet Catharinam virginem Senensem iterum Florentiam ad eos concedere, pacis componendæ studio. Quo virgo Pontificis jam Romæ agentis amplexata jussa, ineunte anno 1377, apostolicis honestata Literis, se contulit. Ubi quæ subierit pericula, quæ damna fecerit, quæque probra pertulerit, dum immanem populorum seditionem dissolvere contendit, testis locupletissimus fuit Stephanus noster, qui ejus comes individuus, sanguinem vitamque profundere sese paratum ostendit, cum plebs insana, impressione facta virginem et illum assectantes trucidatum accurrerint. Sed occulto perterrente Numine, sicarii truculenti a tam execrando sceleris crimine vel inviti abstinuere. »

ANNUS 1376

Lib. I, cap. 8.

TORNACENSIS CARTUSIA FUNDATUR.

III. Propagari cœpit hoc anno Ordo Cartusiensis in Anglia, Belgio et Bohemia ; tres namque in hisce regionibus inchoatas Domos reperio.

Ex mss. D. Limonii ibidem quondam Vicarii.

Prima prope Tornacum Nerviorum, in vico *Chierk* dicto, clivo eminentiori qui recentiori quidem nomine (quo etiamnum eadem cartusia gaudet) « Mons sancti Andreæ », ab ecclesia parœciali eidem Apostolo dicata cui imminet, nominatus est. Nec enim alia hujus tituli ratio suppetit, cum prius veteri nuncupatione Mons Martyrum vocaretur, quod in hoc colle Christiani olim ab Infidelibus pro fidei professione ac defensione morte plecterentur. Noster Henricus Kalkar initia hujus Domus nescio quid miraculi tribuit, cum de ea sic meminit : « Prope Tornacum Galliæ in Picardia (id est sub Provincia Ordinis dicta Picardia) pro Domo facienda, multis rejectis, tandem inventus est locus aptus ; ubi cum cœpissent pro fundamento fodere, lapidis fodinam invenerunt inopinatissimam de qua totam Domum consummare potuerunt.

ANNUS 1376

Super quo mirantes, in libro antiquo invenerunt scriptum quod a ducentis annis Episcopus quidam Tornacensis illic spatians suis sæpe dixerit : Sciatis, filii, quia hoc in loco est thesaurus Dei absconditus. Ibidem etiam de alto ceciderunt multis vicibus pauperes laborantes, qui statim surgentes abierunt, nihil læsionis sentientes. » Hæc Kalkar paulo obscure ; cujus verborum sensum optime assecutus videtur noster Sutor cum rem sic enarrat : « Cum locus prope Tornacum ad Cartusianam Domum extruendam aptus vestigaretur, tandem aliis multis neglectis, idoneus volente Numine repertus est. Ubi cum cœpissent pro fundamentis jaciendis terram egerere, inopinatam lapidicinam repererunt quæ toti operi consummando satis esse posset. Tradunt et quemdam sanctum Præsulem Tornacensis Ecclesiæ ibi deambulantem suis hoc modo sæpe dixisse : Sciatis, filii, divinum thesaurum hic esse absconditum. » Per hunc thesaurum putat Dorlandus intelligi cartusiam ibi quandoque construendam ; sed servata illius in omnibus autoritate, mihi verosimilius videtur Episcopum his verbis potius denotasse Reliquias Martyrum quos ibidem occisos superius diximus. Unde recte Sutor loco citato subdit, « non injuria creditum fuisse aliquid ibi supernæ virtutis latitasse, quæ et pauperibus colonis in eum locum sæpe decidentibus tanto erat adjumento ut nullam inde abeuntes læsionem sentirent. » Hujus Domus fundator nobilissimus Joannes de Werchin, Hannoniæ senescallus, pro sua, conjugis, prædecessorum ac successorum salute, jam ab anno 1368 decreverat quatuor sacerdotes sive capellanos, ut vulgo dicimus, in suo castello *Le Biez* dicto, fundare; sed mutato consilio, bona quæ capellanis hujusmodi erigendis destinaverat, novæ cartusiæ construendæ addixit. Mentem suam aperuit pius fundator Franconi de Bosco, Majoris Cartusiæ professo et Brugensis tunc temporis Priori, quem bis anno præcedente ad matrem Cartusiam hujus negotii promovendi gratia accessisse noscimus ex Literis Werchini, quas ipse ad nostrum Generalem pertulit. Ad hæc plenius respondere distulit Prior Cartusiæ usque ad comitia

De Vita Cartusiana, Lib. VI. cap. 27.

Chronicon Cartus. Lib. VI, cap. 27.

hujus anni, ubi ipse et Diffinitores tale Franconi mandatum dederunt quo tot conditiones et cautiones ab ipso Fundatore, magna tamen cum humilitate et modestia requirunt, ut satis ostendant Ordinem nulla Domorum multiplicandarum aviditate agitari.

ANNUS 1376

Juxta mandati formam, inchoatum est opus. At vix surgentibus ædificiis, corruit summus ac primarius lapis, ipsum intelligo fundatorem qui, anno 1377, die 8 Maii, fato concessit; cujus obitus non potuit denuntiari in comitiis ejusdem anni jam ante Majum celebratis; sed Patres Domus Parisiensis audita ejus morte, ad calcem suæ Chartæ quam e Cartusia Majori receptam ad alias provinciæ Franciæ Domos miserunt, nomen illius sic adjecerunt : « Item obiit dominus Joannes, senescallus Hannoniæ, fundator novæ Domus prope Tornacum ; qui habet fraternitatem et tricenarium per totum Ordinem. » Anno vero subsequente per omnes Chartas cum die obitus sui designatus est his verbis : « Obiit 6 Idus Maii dominus Joannes senescallus Hannoniæ, principalis fundator novæ Domus prope Tornacum, qui habet tricenarium per totum Ordinem, et ultra monachatum sine psalteriis. » Nec tamen cum eo cecidit spes absolvendæ fundationis ; nam præter locum et quosdam reditus annuos, summamque octo millium francorum (quæ certe his temporibus maxima erat) partim jam expositorum, partim ad prosecutionem operis legatorum, alios mille francos ad idem opus Petro de Brailly canonico Tornacensi concredidit. Cumque nondum sufficientem dotem assignasset, nec ad eam destinationem quam ipse disposuerat ; filium suum unicum, Jacobum nomine, cæterosque suos hæredes pro tempore futuros, maximis verborum astrinxit sacramentis ac testamento cavit, ut residuum supplerent ac se de fide super ea re Ordini data absolverent. Sepultus in hac Domo cum suis posteris a Nostris traditur. Hanc pii parentis voluntatem cum filius exequi festinat, maturiori præventus casu decessit ; prius tamen confirmatis patris donationibus, relictisque ad dotem augendam mille francis. Ac præterea patris exemplo, suos ad eam perficien-

Obitus J. de Werchin fundatoris.

In opere incœpto perseverant : fundatoris filius,

ANNUS 1376

dam obligari voluit, unde et meruit notari in Charta anni 1381 sub his verbis : « Obiit dominus Jacobus, dominus de Werchinio, senescallus Hannoniæ, filius fundatoris Domus Tornacensis, habens tricenarium, etc. »

et ejus progenies.

Joannes, Jacobi filius et hæres, decreverat antecessorum suorum voluntati facere satis. Verum ista meditantem mors inopina rapit occisum anno 1415 in prælio Azincurtio; relictis tamen suo testamento octingentis coronatis. Idem tricenarii beneficium habuit per Chartam anni sequentis, ubi tacito proprio nomine, sua sic designatur dignitate : « Obiit magnificus et potens dominus senescallus Hannoniæ. » Hunc vocatum fuisse Joannem constanter asserunt nostri Tornacenses, licet Meyerus et Joannes Cousin Bertrandum nominent. Nec certe sine fundamento, nam in Charta Capituli generalis, in Domo Seizensi anno 1394 propter schisma celebrati, inter Principes pro quorum prosperitate preces funduntur, annumeratur « Dominus Bert. fundator Domus prope Tornacum. » Quidam pro « Bert. » legerunt Bartholomæum, sed quis non videat restituendum esse Bertrandum. Unde conjicerem autores Bertrandum cum Joanne confudisse, huncque fuisse alterius filium; illum vero patrem habuisse Jacobum : ni forsan ambo fuerint fratres. Ut ut sit, obiit Joannes sine liberis, cujus magnas opes excepere duæ illius sorores, quarum major natu (Joanna) innupta perseveravit ad obitum usque. Hanc divina Providentia (ut loquuntur Domus documenta) permovit majorum suorum gloriam et pietatem sua postrema beneficentia coronare. Prædecessorum ergo fundationem copiose auxit, eorumque promissa cumulate complevit, collatis pascuis uberrimis agrisque optimis. Quamobrem ut majores suos munificentia superavit, ita ab Ordine amplioribus donata est beneficiis spiritualibus per Chartam anni 1445, ubi his verbis mortua anno superiori declaratur : « Excellentissima domina Senescalla Hannoniæ, fundatrix Domus Montis S. Andreæ prope Tornacum, habens per totum Ordinem plenum cum psalteriis monachatum et Anniversarium, etc., sub tertio Idus Novembris quo obiit. »

Meyerus in Annal. J. Cousin, Hist. Tornacensis.

Altera Joannis soror nupsit cuidam nobili ex familia de Barbaron, ad quem nomen et castrum de Werchins cum dignitate Senescalli Hannoniæ transtulit; cujus posteri erga Nostros benefici quoque fuerunt, ex quibus hos in Chartis reperio : « Illustrem dominam Jaquelinam de Moy, senescallam Hannoniæ, » quæ habuit per Chartam annorum 1571 et sequentis tricenarium et Anniversarium sub die 22 Septembris; magnificum dominum Antonium de Werchins, Hanconiæ senescallum, fautorem Ordinis, et magnum hujus Domus benefactorem, testante Charta anni 1530.

ANNUS 1376

Denique iisdem fautoris ac benefactoris titulis insignitur in Charta anni 1557, illustrissimus ac magnificus dominus Petrus de Werchins, miles aurei Velleris, et ipse senescallus Hanconiæ, qui habuit plenum monachatum in Provinciis Picardiæ et Teutoniæ sub die obitus sui qui fuerat 14 Junii anni præcedentis. Hic, impellente præsertim Helena de Vergy sua conjuge, mille florenos ad constructionem unius cellæ contulit.

Episcopi Tornacenses hujus Domus fautores.

Alterum fundatorem sub suis initiis nacta est Domus Tornacensis, scilicet Philippum de Arbosio, episcopum proprium, qui suis sumptibus nostram construi fecit ecclesiam, pro cujus consummatione exposuit circiter, ut fertur, septem millia francorum; cujus Anniversarium agimus die 25 mensis Julii.

Non etiam omittendi sunt alii quidam Reverendissimi domini Episcopi Ecclesiæ Tornacensis, qui multum hanc Domum suis beneficiis et eleemosynis promoverunt, in quorum numero merito recensendi videntur : R. Pater, Dominus Petrus de Auxero, qui anno Domini 1384, mense Augusto in vigilia S. Laurentii consecravit cœmiterium nostrum; et die prima mensis Septembris illico subsequentis magnum claustrum cum ambitu utriusque claustri, ecclesiam quoque, Capitulum et Vestiarium, necnon altaria quinque inibi consistentia; omnia gratis et cum bono cordis affectu, ad honorem in primis et gloriam Dei et B. Andreæ apostoli, omniumque Sanctorum, quorum patrociniis hic

ANNUS 1376

Dominus se commendat. Alia præterea bona plurima pro pitantiis crebro impertiit, et quia de Domo, dum viveret, multis collatis beneficiis bene mereri non cessavit, ideo post mortem, in ea Anniversario gaudet perpetuo.

Insuper Reverendissimus Dominus D. Joannes de Haricouria, primo episcopus Ambianensis, deinde episcopus Tornacensis et postremo archiepiscopus Narbonensis, pro fundatione unius cellæ dedit terras in territorio de Gouy et reditus in territorio d'Acrene et Viane.

Pro quibus beneficiis ipsi in cœlis æterna fruantur requie.

Benefactores præcipui.

Illustriores illius cartusiæ benefactores sunt hi :

Christianus de Gistella, sacerdos Tornacensis, qui anno 1369 cartusiæ Valencenarum quemdam locum in suburbiis Tornacensibus ea largitus est conditione, ut si infra 20 annos aliquod monasterium Cartusiense juxta eamdem urbem fundaretur, ejusdem loci possessio cum illius pertinentiis ad illud transferretur; quod et consentientibus Patribus Valencianis, factum est anno 1377. Aliquando Christianus preces obtinuit vivens*, et post mortem tricenarium ei per Chartam anni 1402 concessum fuit.

* Ex Charta 1371.

Nobilis Hugo de Launoy, adjutor fundatoris dicitur in dypticis Domus. Ex eadem familia fuisse videntur Robertus miles, signatus inter mortuos anni 1406, quem facile crederem eum esse quem Pontus Heuterus in *Genealogia Launæorum* dicit sine liberis decessisse; Illustris Balduinus de Lanoy (an idem cum Launoy non audeo asserere) et domina Michela uxor ejus, obierunt ex Charta 1512.

Petrus de Brailly, canonicus Tornacensis, adjutor fundatoris in ejus diplomate dicitur; obiit diaconus ex Charta 1398. Alii quoque Canonici ejusdem ecclesiæ tanquam benefactores recensentur in eisdem Chartis : videlicet Guillelmus Bie, anno 1408; Nicolaus de Unguest, 1427; Paulus de Geys decanus, 1538.

Martinus de Mortaigne civis Tornacensis, 1499. Theodoricus de la Hamede, fundator unius cellæ, 1525. Nicolaus de Mota 1541. Catharina du Maire habuit missam de B. M. an. 1553.

Philippus de Croy, comes Solranus ac Tornacensis gubernator, unam cellam instauravit ; vivebat anno 1615.

ANNUS 1376

Multa patitur ab Hæreticis.

« Cumque (ut legitur in quodam Domus codice ms.) pacifice et in bono statu spirituali ac temporali, per ducentos fere annos hæc Domus stetisset ; tandem, grassante per totum Belgium Hæreticorum rabie, anno 1566 circa festum S. Bartholomæi, destructis sacris altaribus ac imaginibus, effossis violatisque sepulchris et direptis omnibus bonis, ipsis etiam servis Dei hac illacque dispersis, non quievit nefandorum hominum nequitia, donec præfatam Domum in favillas ipso die Natalis Domini redigerent. Quamvis hoc damnum sit pro tenuitate Domus ac temporis nequitia propemodum irreparabile, speramus tamen de bonitate Dei piisque devotarum personarum erga hanc Religionem bene affectarum eleemosynis, quod paulatim hæc Domus reparabitur, ut possit in ea continuari cultus et servitium Sanctissimæ Trinitatis....

« Ad cujus sancti Nominis laudem, Patris et Filii et Spiritus Sancti, totiusque curiæ cœlestis, anno 1591, mensis Martii die 13, tempore Gregorii XIV romani pontificis, Tornacensem episcopatum regente R. Domino, D. Joanne de Vandeville, reconciliata fuit nostra ecclesia per Reverendum Dominum, D. Guillelmum Facon, decanum Tornaci ac canonicum Beatæ Mariæ, autoritate Reverendissimi Domini Episcopi prædicti, qui liberali animo benedixit altaria ecclesiæ nostræ ; assistentibus Reverendis Patribus ac Dominis abbatibus : Domino Jacobo de Marquais, Sancti Martini ; domino Joanne Carton, Sancti Amandi, cum suo Priore Domino Judoco de la Chapelle ; Domino Nicolao Ferin, Sancti Nicolai in Tornaco ; multisque aliis honorabilibus personis ecclesiasticis ac sæcularibus, feria tertia Paschæ, 16 Aprilis, anni 1591. »

DOMUS RUBI B. MARIÆ IN BOHEMIA INCHOATUR.

IV. Altera, cujus hoc anno jaciuntur fundamenta, cartusia vocata est suo fundatore Domus Rubi B. Mariæ : situs ejus fuit juxta castrum Tinzka dictum, in Bohemia prope Litomerium sive Litomissliam, vel ut veteres Chartæ

ANNUS 1376

In Historica Narration. cartusiæ Pragensis.

habent Luthomissliam, urbem ejusdem regni episcopalem. Ejus initia doctissimus Balbinus, Soc. Jesu, strictim sic perstringit : « Paulo ante ea tempora (videlicet anno 1376) non procul Litomislio in Bohemia, ab Alberto de Sternberg episcopo Litomislensi, ad castrum Trzek cartusia Rubus Mariæ dicta fundatur. Accersiti sunt Praga Religiosi non pauci, et in pervigilio Natalis Domini 1378, in novam solitudinem introducti. Quibus Prior Joannes de Lampach, in cartusia S. Michaelis prope Moguntiam olim vitam hanc professus, præficitur. » Hæc ille, quæ pro majori parte certissima dignoscuntur ex Literis fundationis quas Albertus fundator confici voluit die qua Nostris, numero tantum quinque, loci possessionem cessit. Harum Literarum talis est tenor :

Literæ dotales.

« Nos Albertus, Dei gratia Luthomislensis episcopus ac dominus in Sternberg, ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus universis, quod divina nobis inspirante gratia, justo et recto examine comperimus quanta hujus seculi sit vanitas, qua in hujus vitæ labilis stadio sub incertis momentis naufragium præstolantes occupamur ; in tantum etiam, ut nulla spes sit salutis, nisi Miserator ille clementissimus de multitudine suæ miserationis ad portum per grata virtutum opera nos reducat salutarem. Sed quia, proh dolor! fragilitas nostra illecebrosis corrupta contagiis, non sufficit veniam Omnipotentis consequi pro delictis perpetratis, vel de hujus mundi labentis naufragio liberari, nisi virorum cooperatorum quos totis viribus desideramus habere, et præsertim virorum Religiosorum sacri Ordinis Cartusiensis, qui præ ceteris omnino a terrenis voluptatibus exuti, solam vitam ducunt contemplativam in simplicitate cordis Altissimo famulantes, suffragio mediante; devotionis itaque zelo salubrique conceptu et animo deliberato, pro nostræ necnon parentum nostrorum et omnium amicorum animarum salute, dicto sacro Ordini Cartusiensi pro divini cultus augmento perpetuo, monasterium seu Domum ad modum ipsius Ordinis, quam *Rubum Beatæ Mariæ* ex speciali devotione censuimus appellari, pro integro Conventu, videlicet : Priore, XII Mona-

Causa fundationis,

ANNUS 1376

chis ac Conversis et aliis personis ipsius Ordinis Domino ibidem perpetuo famulaturis, in honorem Omnipotentis, Beatissimæ suæ Genitricis intemeratæ Mariæ et specialiter sub vocabulo felicissimæ Annuntiationis Dominicæ, sanctique Joannis Baptistæ omniumque Sanctorum, in fundo bonorum et possessionum ad nostram episcopalem mensam spectantium prope civitatem nostram Luthomisl, et juxta fortalitium et curiam in Tirzka nuncupatam, ut puta : in spatio quod a septis in horto ferarum ex transverso positis usque retro ad stratam publicam, et pro hortis olerum ultra viam communem usque ad ripam fluvii a molendino discurrentis protenditur, monasterio et Domui prædictis pro termino areæ deputato, competentibus reditibus, proventibus ac bonis aliis de nostris patrimonialibus bonis autore Domino comparandis dotandum; fundavimus, ereximus ac ipsum Ordinem Cartusiensem in persona religiosi viri F. Joannis dicti de Luepach*, monachi Domus S. Michaelis prope Moguntiam ejusdem Ordinis, pro Rectore ipsius nostræ fundationis novæ, autoritate Prioris et Capituli generalis Cartusiæ ad nostram magnæ petitionis instantiam nobis ad hoc directi, de loco, fundo et area prædictis corporaliter, præsentialiter, investivimus; subjicientes ipsum locum, Domum, fundum et aream memoratis omnibus libertatibus, privilegiis ipsius Ordinis Cartusiensis liberaliori donatione qua valuimus et potuimus, nihil penitus juris, proprietatis aut dominii Nobis aut successoribus nostris R R. P P. Luthomislensibus Episcopis in talibus monasterio, Domo, loco, fundo et area quomodolibet reservantes. Et ex nunc in virtute Altissimi dictam Domum seu monasterium erigimus et fundamus in monasterium Cartusiense supradictum, ac fundum, locum seu aream prænominatam donamus, tradimus et assignamus, dictumque F. Joannem Rectorem de præmissis omnibus et ipsum Ordinem Cartusiensem investimus; ac ipsum locum, fundum, aream, monasterium sive Domum ab omni jurisdictione nostra et omnium successorum nostrorum totaliter eximentes, prænominati Ordinis Cartusiensis privilegiis et

et ejus dotatio.

* *al.* Lampach.

Fundus traditur.

ANNUS 1376

libertatibus singulis et universis subjicimus : et ad omnem dotationem præmissam faciendam, ac structuram omnium ædificiorum monasterii sive Domus præfatæ, tam in ecclesia quam in capella, cellis et quibuslibet aliis officinis et commodis necessariis, et secundum modum ipsius Ordinis Cartusiensis opportunis perficiendam ; et ipsis Fratribus et suis, debitam et convenientem pro utensilibus, victu et vestitu, libris et ornamentis sacris, et singulis aliis necessariis provisionem, usque ad perceptionem et adeptionem possessionis supradictorum bonorum liberaliter faciendam ; Nos et, Nobis deficientibus, nostræ ultimæ voluntatis executores deputatos vel in futurum deputandos, modo, via et forma quibus melius fieri poterit, firmiter obligamus et astringimus per præsentes. In quorum testimonium has nostræ fundationis et erectionis, investituræ et donationis Literas Ordini prædicto Cartusiensi et ad manus F. Joannis prænominati damus, sigillis nostris communitas. Actum et datum in dicto fortalitio nostro Tirzka, præsentibus R. P. D. Joanne episcopo Nazaretensi ; D. Winceslao archidiacono Boleslairensi ; et honorabilibus viris, D. D. Jaroslao, Wyticotio et Harclebo canonicis Olmucensibus ; et præsentibus D. D. strenuis militibus, Marquardo de Dobromeliez nostro magistro curiæ et Vito de Kraliez, ac aliis quampluribus fide dignis. Anno Domini 1378, in vigilia Nativitatis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi. »

Libri et ornamenta sacra suppeditantur.

Cum præfato Rectore duo tantum Monachi ac totidem Conversi ad novam plantationem missi fuerant, quibus præter ecclesiam et tres cellas jam constructas, promisit fundator se claustrum quindecim cellis circumdatum, cunctaque alia nostro usui necessaria ædificia, suis sumptibus absoluturum, eaque omnia sufficientibus dotaturum reditibus ; ad quæ quantocius explenda fidem suam adstrinxit, scriptis etiam tabulis in quibus inter cætera sic loquitur :

Dotem auget fundator.

« Cum ad instar sanctissimorum Romanorum Pontificum ac serenissimorum Principum secularium, qui novissimis temporibus Ordinem sacrum Cartusiensem diversis in locis,

specialibus gratiis et favoribus ampliando prosecuti fuerunt; ad eosdem Cartusienses, utpote tales quorum merita plus redolere credimus apud Deum, ad erectionem et fundationem unius Domus dicti sacri Ordinis, conceptu (sicut indubitanter speramus) salubri, deliberato animo et de certa scientia direxerimus mentem, etc. Speciali quoque devotione Domum ipsam erigendam Rubum B. Mariæ communiter appellari cupientes, in eodem fundo ecclesiam cum sacristia pro majori parte, tresque cellas jam actu fecimus. Quia venerabilis Pater Domnus Prior Cartusiæ, oblatam sibi nomine et loco totius Ordinis per nos præmissam fundationem, tanquam gratam suscipiens ipsi de Rectore cum duobus monachis et duobus Conversis fecit provideri, donec sibi per Capitulum generale de ulteriori numero Conventus melius valeat provideri; proviso igitur per nos dictis personis de libris ad divina Officia spectantibus ac oratoriis, cellis et aliis commodis pro ipsis sufficientibus, ac aliis ad victum et vestitum eorumdem, necnon cæteris necessariis et oneribus ipsis personis et fundationi quomodolibet incumbentibus usque ad perceptionem redituum sufficientium ipsis assignandorum opportunis competenter; ut tam concessæ quam ad dictam fundationem concedendæ personæ successoresque eorum, eo quietius cultui divino vacare valeant atque laudes divinas liberiori animo depromant, quo melius et sufficientius tam in ædificiis quam in temporalibus aliis suffragiis fuerint præmuniti: Nos, et nostros manufideles ad hoc jam actu deputatos, ad consummationem 15 cellarum lapidearum cum galilea tota bene tectarum, necnon ecclesiæ, sacristiæ, Capitularis loci, refectorii, parvi claustri ac cellarii bene testudinati, puteorum, coquinæ et aliarum officinarum et habitationis Conversorum et hospitum ac aliorum familiarium, cum septis muratis per gyrum dictorum terminorum ipsis per nos assignatorum, juxta Ordinis ipsius decentiam, nostris sumptibus et expensis, continuatis laboribus, nulla mora notabili vel irrationabili quomodolibet interposita, gloriosæ Dei Genitricis interveniente præsidio, devotoque charitatis

ANNUS 1376

Domus sub vocabulo Rubi B. Mariæ.

Vult ædificia solidius construi.

ANNUS 1376

studio, de bonis nostris patrimonialibus libere continuandam; necnon ad dotationem ipsius fundationis nostræ usque ad centum sexagenas grossorum Pragensium et legalis monetæ perpetuorum et liberorum annuorum redituum, necnon quatuor araturarum et sufficientium nemorum seu silvarum, ac etiam omnium privilegiorum, gratiarum et libertatum Nobis possibilium, absque omni notabili mora de dictis bonis nostris faciendam : Nos omni via et modo, quibus melius valere potest, firmiter obligamus per præsentes. In quorum testimonium venerabilibus viris et D. D. Joanni Domus Horti B. Mariæ prope Pragam dicti Ordinis Priori tanquam Commissario ad hoc deputato, necnon Joanni dictæ nostræ novæ fundationis Rectori, Literas has nostro majori sigillo appenso sigillatas tradidimus super eo. Datum Pragæ anno Domini 1379, in Cœna Domini, quæ est septima dies mensis Aprilis. »

Nova beneficia superaddit.

In sequentibus Ordinis comitiis, Joannes Lampach ex Rectore confirmatus est in Priorem. Fundator vero pagos, census et alia bona, quæ interim a nonnullis Moraviæ Nobilibus coemerat, in dotem Nostris eodem anno assignavit, scripto ea de re Instrumento, in quo inter cætera sic loquitur :

« .... Sane igitur prædicti sacri Ordinis Cartusiensis monasterium ex devotione speciali Rubum B. Mariæ appellari censuimus, in quo 13 Monachi cum certis Conversis ejusdem Ordinis perpetuis degere temporibus debebunt, ad frequentandum laudes divinas juxta præfati Ordinis Cartusiensis sancta Instituta. Ne unquam ex rerum temporalium defectibus jam dicti nostri co-oratores in divinis obsequiis deficiant, ipsis rerum temporalium pro sustentatione tot personarum (ut præfertur) ibidem degentium, in bonis nostris per nos pecuniis et laboribus nostris conquisitis, fecimus et facimus provisionem in hunc modum, videlicet : quod bona et villas *Dolan* et *Thowitz* prope Olmutz, necnon *Morawitzan* et *Palonin* in Moravia per nos empta seu emptas, cum hominibus, censibus, curiis, agris, pratis, pascuis, cum pleno jure dominii, et generaliter cum omnibus libertatibus et pertinentiis

suis (jure Patronatus et una curticula dumtaxat exclusis), cum aliis ipsorum omnibus juribus et utilitatibus prout dicta bona emimus, nihil amplius nobis reservantes in eisdem, dedimus et donavimus, ac præsentibus Priori, Fratribus ac Conventui Ordin. Cartusiens. monasterii Rubi Beatæ Mariæ per nos (ut præmittitur) fundati et erecti, damus et donamus ad habendum perpetuo et cum pleno jure dominii hæreditarie possidendum, ac de ipsis sicut de propriis libere disponendum. Eorumque omnium bonorum cum eorum universis et singulis pertinentiis, in manus ipsorum Prioris, Fratrum et Conventus Ordinis et monasterii prædictorum damus et tradimus realem possessionem, solum jure patronatus ecclesiæ in Morawitzan et Palonin excluso, sæpe fatis Priori et Fratribus, ac in quantum nobis possibile fuerit intabulari procurabimus. Et easdem villas honorabilibus viris et dominis Petro de Rosemberg regiæ capellæ ad OO. SS. in castro Pragensi et Sazone de Nok Tynensi præpositis, fratribus nostris charissimis et nostræ ultimæ voluntatis executoribus, quibus dictæ villæ sunt etiam adscriptæ, commisimus; ut in casu quo nos prius decedere, quod absit, contigerit, supradictas villas cum earum pertinentiis, Priori, Fratribus et Conventui intabulari fideliter procurent; prout super eo prænominati fratres nostri et ultimæ voluntatis nostræ executores, securitatem Literis suis patentibus, ipsis Priori, Fratribus et Conventui jam fecerunt : sic ut omnia et singula præmissa, aut per nos fovente Altissimo, aut per nostros ultimæ voluntatis executores prædictos efficaciter debeant adimpleri; et votum nostrum, quod erga prædictum sacrum Ordinem Cartusiensem gerere incepimus ad laudem perpetuam Omnipotentis Dei et ejus intemeratæ matris Virginis Mariæ, feliciter consummari. Ut etiam hujusmodi dotatio per nos, ut prædicitur, facta perpetuum robur obtineat firmitatis, præsentes Literas dedimus nostris sigillis communitas. Actum et datum Pragæ, A. D. 1379, Indictione II, die 1 Novembris, quæ fuit dies Omnium Sanctorum. »

ANNUS 1376

Tres villæ donationi adjiciuntur.

Fundatoris obitus.

Hæc dum agebat Albertus, suæ teneriori plantationi citius

ANNUS 1376 eripitur ; exeunte quippe præfato anno vel saltem ineunte altero moritur, cujus obitus ab Ortolpho Priore Gemnicensi et provinciæ Visitatore ad Majorem Cartusiam allatus, in Charta his paucis pro more verbis denunciatur : « Obiit Rev. in Christo P. D. Albertus episcopus Luthomislensis, fundator Domus Rubi B. Mariæ, qui habet tricenarium. »

Ejus præconium. Hic Albertus, sive Adalbertus, ex clara cumprimis illustrique Sternbergeorum apud Moravos regulorum familia sanguinem duxit. In prima juventute ad philosophiam, inde ad S. Canones, tum denique ad sublimia theologiæ studia animum advertit, et annos fere decem in nominatissimis Europæ gymnasiis Parisiensi et Bononiensi, ad tertiam usque lauream præ reliquis exterarum gentium condiscipulis primas consecutus, summa cum laude versatus est. Domum reversus, canonicatum moxque decanatum in ecclesia Olomucensi adeptus est. Deinde electus Archiepiscopus Magdeburgensis, cum decennio hanc rexisset Ecclesiam, Magdeburgensium animis, leviori satis de causa in se concitatis, patriam repetiit ; vacantique ex translatione Joannis de Novoforo ad Olomucensem, Litomislensi sede donatus, in ea perseveravit usque ad mortem. Ejus exuviæ in ecclesia cœnobii Canonicorum Regularium, quod sub anno 1371 apud Sternbergam a fundamentis erexerat, in primo chori aditu depositæ posteros per annos 219 latuere. Anno demum 1599 Præpositus loci cum pavimentum ecclesiæ innovaret, in has reliquias feliciter incidit, cujusque essent e textu stannei loculi intelligens, in novam cryptam, ad aram principem honorifice 6 Novembris intulit. Marmor ei per id tempus locatum, necnon vetusta ejusdem monasterii monumenta Principem eum loquuntur non modo illustrissimum, quod multis commune est, sed et piissimum sanctumque. Anniversarium ejus apud nostros Olomucenses celebratur circa 26 Januarii, unde videtur eodem tempore mortuus.

De hac Domo dimittenda agitur. Statim post discessum fundatoris, tot mala cœpit nova Domus experiri, ut referente Ortolpho præfato Visitatore et in eisdem Ordinis comitiis Diffinitore, de ea relinquenda

ANNUS 1376

Ex Charta 1380.

agitatum est, « Priori Domus Rubi non fit misericordia, sed committitur Visitatoribus, ipsi videlicet Ortolpho et socio per eum assumendo, ut statim sine mora, habita opportunitate, ad eamdem Domum vadant et diligenter examinent utrum Domus illa Ordini conveniat, vel sit dimittenda. De Priore vero et personis ibidem morantibus, secundum quod ipsis videbitur ordinent et disponant. »

Binam tantæ mutationis causam invenimus in documentis hujus Domus ex Olomucensi ad nos missis. Prior est quod de fundo ipso ubi erecta erat cartusia, controverteretur, negante Capitulo Litosmilensi se unquam donationi consensum præbuisse; sed hunc defectum facile supplevit Alberti successor, videlicet Joannes a Lucemburgo, fundatoris cartusiæ Brunensis filius, qui prius accepto ab eodem Capitulo necessario assensu, fundationem paulo post confirmavit, datisque sequentibus tabulis roboravit :

J. de Lucemburgo fundationem confirmat, et corroborat,

« Joannes, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Luthomislensis, ad perpetuam rei gestæ notitiam præsentibus cupimus pervenire, quod olim Reverendus in Christo Pater et Dominus Albertus ejusdem Luthomislensis Ecclesiæ et immediatus prædecessor noster, suo dumtaxat nomine et licet pro magna animæ suæ salute, tamen (quod reprehensibile videtur) propria autoritate et penitus sine consensu suæ Luthomislensis ecclesiæ Capituli, fundavit et erexit ad laudem Dei et B. Mariæ et S. Joannis Baptistæ monasterium de titulo Rubi beatæ Mariæ sacri Cartusiensis Ordinis, in fundo sui episcopatus, imo ad mensam episcopalem spectante; comparatis et emptis per eumdem D. Albertum episcopum certis et competentibus bonis extra nostram diœcesim, in terra Moraviæ Olomucensis diœcesis, videlicet : Morawitzan, Palonyn et Dolan, de propriis suis laboribus et impensis per omnia sine nostri Episcopatus et quorumcumque aliorum præjudicio, ad sustentationem personarum dictæ Domus, sicut super hoc originales et speciales Literæ sunt confectæ. Itaque defuncto jam prædicto D. Alberto episcopo prædictæ Domus fundatore, ad humiles preces Prioris et totius

ANNUS 1376

Conventus jam dictæ novæ fundationis Cartusiensis, ad cavendum illorum futurum periculum volentes instaurare prædictam negligentiam, habito totius prius fratrum nostrorum jam dictæ Ecclesiæ nostræ Capituli consilio et consensu, pariter approbantes ejusdem fundatoris pium opus, et eosdem Fratres Cartusienses, nostræ salutis cooperatores, in nostra diœcesi libenter habentes, cedimus eisdem et ad honorem Dei et B. Virginis liberaliter damus fundum, ut prædicitur, nostri episcopatus (in quo monasterium fundatur in distinctis limitibus et certis septis prope fortalitium nostrum dictum Trizka) per eosdem Fratres Cartusienses et eorum successores perpetuo possidendum. Damus nihilominus eisdem Fratribus Cartusiensibus ligna silvæ eidem monasterio contiguæ (in qua jam dictus D. Albertus hortum sibi ferarum fecerat) in usum eorumdem Fratrum, pro ista dumtaxat vice per omnia succidenda. Hoc etiam publice profitemur, quod in collationibus ecclesiarum in prædictis villis Morawitzan, Palonyn et Dolan (cujus patronatus jus sæpe dictus D. Albertus episcopus in suam dumtaxat personam reservaverat), nullum nobis et nostræ Ecclesiæ jus convenit ; quæ Ecclesiæ ut verius dicam, ad collationem dictorum Cartusiensium per mortem D. Alberti dicti episcopi cum eorumdem bonorum universitate sunt devolutæ. Volumus præterea dictam novam fundationem cum suis personis, divino adjutorio, sub tuitione nostræ Ecclesiæ semper gratiose et fovere et respicere ; et eorumdem profectum et pacem omni, qua poterimus, diligentia, tam libenter quam fideliter promovere. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum majus cum subimpresso secreto nostro ac etiam sigillum dicti nostri Capituli præsentibus est subappensum. Datum in Trizka, anno Domini 1381, die 8 mensis Januarii. »

approbante suæ Ecclesiæ Capitulo.

In summa egestate vivunt hujus Domus incolæ.

Altera hujus tentatæ derelictionis causa in præfatis documentis subjicitur, quod Domus illa urbi arcique nimium vicina, in solitudinis, silentii aliarumque Cartusiensium observantiarum studio, frequentiori sæcularium hominum accessu non parvum dispendium pateretur. Unde agi a Patribus cœ-

ptum de translatione loci ad commodiorem. At tertiam, et ut mihi videtur principaliorem causam, sive omnium aliarum caput, fuisse paupertatem qua Nostri ex impari dote laborabant, detegimus ex Chartis capitularibus quæ de Monachis hujus Domus tanquam in summis difficultatibus rei domesticæ degentibus loquuntur, ita ut anno 1386, duo ex eis ad alias Domus emissi sint : « Priori Domus Rubi prope Lutomisle, non fit misericordia. Et ordinamus quod D. Stanislaus, propter magnam dictæ Domus Rubi inopiam, vadat ad Domum Throni in Gemnico, in qua ipse primo professus est. Et D. Petrus, olim de Ordine Cisterciensium vadat ad Domum quæ sibi per Priorem Pragæ (D. N. de Calleria alterum provinciæ Visitatorem) fuerit assignata, et ibi faciat professionem infra duos menses, postquam ad Domum devenerit sibi deputatam. » His igitur de causis, Capitulum generale apud Maurbacum anno sequenti celebratum serio de mutatione loci egit his verbis : « Committimus curam Domus Rubi Priori Pragensis, de commutatione loci, de ædificiis construendis et aliis negotiis tam spiritualibus quam temporalibus : super quæ plenam sibi concedimus potestatem usque ad sequens Capitulum generale. » Quomodo vero translatio ejus ad novam plantationem Olomucensem decreta fuerit, fusius dicemus anno 1388.

Ex Charta 1387.

CARTUSIÆ PROPE HULL INITIA.

V. Incepit hoc anno, inquit Lucas Wadingus, nobilis vir Guillelmus de la Pole, miles, construere in Eboracensi diœcesi pulchrum Clarissarum monasterium et hospitale pauperum virorum ac mulierum debilium dicto monasterio contiguum, sed ante completum opus decessit. Filius et hæres Michael, volens a patre inchoatam fabricam absolvere, facultates multas assignavit, sed patris intentionem circa incolas mutare decrevit. Cartusiensibus etenim deditus, iis præparari et dari sufficienter reditibus provisum se velle Pontifici explicavit. Pontificis Literæ non extant, sed statim post mortem patris, præfatus Michael hoc vel sequenti anno licentiam mutandæ paternæ voluntatis ab Eduardo rege obtinuit, scripto diplomate rei seriem enarrante ut sequitur : « Rex omni-

Privilegium Regis Angliæ.

ANNUS 1376

Fundator autem W. de la Pole,

bus ad quos.... etc. Sciatis quod cum nuper, de gratia nostra speciali, concessissemus et licentiam dedissemus, pro nobis et hæredibus nostris, Willielmo de la Pole seniori jam defuncto, quod ipse quoddam hospitale Capellanorum et pauperum apud Kingston super Hull fundare ; et Magistro et Fratribus ibidem statuendis, viginti acras terræ et viginti libratas annui reditus, cum pertinentiis, in dicta villa de Kingston et villa de Miten quæ de nobis tenentur in capite, ut in socagio et burgagio dare posset et assignare. Et etiam quod idem Willielmus, hæredes vel executores sui, teneant temporalia et beneficia spiritualia ad valentiam ducentarum marcarum per annum, quæ de nobis non tenentur, juxta rationabilem extentam inde faciendam, acquirere possent, et ea dare et assignare præfatis Magistro et Fratribus; habenda et tenenda sibi et successoribus suis in perpetuum. Insuper concessissemus et licentiam dedissemus, pro nobis et hæredibus nostris, dilecto et fideli nostro Ricardo le Scrope quod ipse advocationem ecclesiæ de Medburne (quæ de nobis in socagio tenetur) dare posset et concedere præfato Willielmo, habendam et tenendam sibi et hæredibus suis ; et quod idem Willielmus eamdem advocationem præfatis Magistro et Fratribus sibi appropriandam dare et assignare posset, habendam et tenendam sibi et successoribus suis in perpetuum ; statu de terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obstante.

primum Hospitale intenderat ædificare,

dein, mutato consilio, conventum Clarissarum.

« Ac postmodum, præfatus Willielmus, mutando, pro majore devotione propositum suum, dictum hospitale in domum religiosam Monialium seu sororum Minorissarum, de quibus una foret Abbatissa ; ac certum numerum pauperum constituere et ordinare ; necnon terras, tenementa et reditus ac omnia alia prædicta, præter advocationem dictæ ecclesiæ de Medburne quam versus prædictum Ricardum postmodum recuperavimus, et quæ quidem ecclesia ad xx libras texatur ; et loco ejusdem advocationis, terras, tenementa et advocationes beneficiorum spiritualium ad valorem xx L. per annum eidem domui ac præfatis Abbatissæ, monialibus vel

sororibus, et pauperibus dare, assignare et concedere imperpetuum possidenda proposuerit; et super hoc licentiam nostram regiam petierit et obtinuerit gratiose. Et nos subsequenter volentes concessionem nostram prædictam effectui debito mancipare, concesserimus et licentiam dederimus, pro nobis et hæredibus nostris quantum in nobis fuit, præfato Willielmo, quod ipse manerium de Frisby cum pertinentiis in Kingston super Hull, et advocationes ecclesiarum de Frisby, North-Cave et Fostone juxta Holdernesse (quæ quidem messuagia de nobis ut in burgagio, et prædicta manerium et advocationes de aliis quam de nobis tenentur, et valent prædicta manerium et messuagia XVIII L. et XVI L., et dictæ ecclesiæ XLII marcas per annum, sicut per diversas inquisitiones inde, de mandato nostro per Willielmum de Reygate in comitatu Eboracensi et Walterum de Kelby in comitatu Lincolniensi nuper exactores nostros, captas et in cancellaria nostra retornatas, extitit compertum), dare posset et assignare præfatis Abbatissæ, monialibus sive sororibus suis imperpetuum, in valorem cxl marcarum per annum, in partem satisfactionis viginti acrarum terræ, viginti libratarum reditus et tenementorum temporalium et beneficiorum spiritualium, ad valorem cc marcarum annualium prædictarum imperpetuum; et eisdem Abbatissæ, monialibus sive sororibus, et pauperibus, quod ipsi, dicta manerium ac messuagia, cum pertinentiis et advocationes prædictas, a præfato Willielmo recipere, et ecclesias illas appropriare, et eas sic appropriatas in proprios usus tenere possent sibi et successoribus suis prædictis imperpetuum, sicut prædictum est, similiter licentiam dederimus specialem prout in diversis Literis nostris patentibus inde confectis plenius continetur.

ANNUS 1376

« Cumque dilectus et fidelis noster Michael de la Pole, filius et hæres præfati Willielmi, nobis supplicaverit ut cum dictæ Literæ nostræ in nullo sortitæ sint effectum, idemque Michael cupiens intime voluntatem et devotionem dicti patris sui effectualiter adimplere; et pro securiori regimine et meliori tuitione dictæ domus, cum perfecta fuerit, providere :

Demum ejus filius cartusiam fundavit,

ANNUS 1376

loco dictarum Abbatissæ et monialium vel sororum, quæ inibi nondum sunt constitutæ, tredecim monachos de Ordine Cartusiensi, quorum unus sit Prior, et juxta Ordinis illius Regulam, regimen habeat aliorum, per quos tutius, vigilantius et devotius quam per mulieres, Deo ibidem verisimiliter creditum deserviri; necnon sicut prius provisum erat, tredecim viros pauperes et tredecim pauperes mulieres, quorum unus cæteris similiter præsit et Magister nuncupetur, in dicta Domo religiosa ponere, constituere, et ordinare proponat : qui quidem Prior et monachi, ac Magister et pauperes, simul vel separatim, scilicet dicti Prior et monachi, per se, et prædicti Magister et pauperes per se vivant, regantur et permaneant, juxta ordinationem ipsius Michaelis, hæredum vel executorum suorum in hac parte faciendam imperpetuum : velimus in ea parte licentiam regiam impertiri, et alterius concedere eidem Michaeli, quod ipse, hæredes vel executores sui terras, tenamenta, reditus, et omnia alia prædicta, quæ dictis Abbatissæ, monialibus vel sororibus, et pauperibus, virtute dictarum Literarum nostrarum dari, assignari, et concedi deberent, si ibidem constitutæ fuissent et absque amotione pro perpetuo remansissent, dare possent, concedere et assignare præfato Priori et monachis, ac Magistro et pauperibus conjunctim et divisim possidenda, juxta dictam ordinationem præfati Michaelis, hæredum vel executorum suorum prædictorum imperpetuum.

Pro XIII Monachis.

« Nos ad piam et devotam intentionem prædicti Michaelis in hac parte nostræ considerationis intuitum dirigentes, et ut cum eo in tantæ tamque salubris et perfectæ devotionis retributionibus et præmiis participes effici valeamus, etc... concessimus et licentiam dedimus pro nobis et hæredibus nostris quantum in nobis est, eidem Michaeli, quod intervenientibus autoritate et assensu loci Diœcesani et aliorum quorum interest, loco dictarum Abbatissæ et monialium vel sororum Minorissarum, tredecim monachos Ordinis Cartusiensis, quorum unus sit Prior et regimen habeat aliorum ; ac XIII viros pauperes et XIII pauperes mulieres, quorum unus cæte-

Approbante Eduardo rege.

ANNUS 1376

ris præsit et Magister nominetur, ut prædictum est, in Domo prædicta, per ipsum Michaelem, hæredes vel executores suos de licentia nostra de novo fundanda, ponere, constituere et stabilire possit; ita quod iidem Prior et monachi, ac Magister et pauperes, simul vel separatim, ut præmittitur, vivant, regantur et permaneant imperpetuum, juxta prædictam ordinationem ipsius Michaelis, hæredum vel executorum suorum prædictorum. Et quod idem Michael, hæredes vel executores sui, xx acras terræ et xx L. ann. cum reditus pertinentiis in prædictis villis de Kingston et Miten, quæ de nobis tenentur in capite ut in socagio et burgagio, ac tenementa temporalia cum pertinentiis, et advocationes beneficiorum spiritualium ad valorem cc marcarum per annum, quæ de nobis non tenentur; et loco prædictæ advocationis ecclesiæ de Medburne, terras, tenementa et advocationes beneficiorum spiritualium ad valorem xx L. per annum, quæ de nobis tenentur in socagio juxta rationabilem extentam inde faciendam, in feodo acquirere, et ea cum acquisita fuerint dare possent et assignare præfatis Priori et Monachis, ac Magistro et pauperibus, habenda et tenenda sibi et successoribus suis, conjunctim vel divisim, juxta ordinationem prædictam in perpetuum, etc. E. rex. Apud Westmonaster. 20 Maii. »

Reditus designantur.

Hujus mutationis consensum ab ipso patre suo, antequam moreretur Michael obtinuerat, ut in suis Literis dotalibus anno 1378 exscribendis profitetur. « Idem pater noster, inquit, ante obitum suum oretenus nobis injunxit, ut secundum voluntatem et discretionem nostram de dicta Domo, pro majori devotione nostra disponeremus. » Nec incredibile est eum patri suum revelasse consilium de construenda cartusia, sicque nihil contra patris mentem filium in hac egisse fundatione, imo post mortem matris Michaelis, obitus illius et mariti licet jam ante novennium demortui, in Charta anni 1384, cum fundatorum titulo et prærogativa denuntiatus fuit his verbis : « Obierunt dominus Guillelmus de la Pole, et domina Catharina consors ejus, fundatores Domus sancti Michaelis juxta Hull, habentes tricenarium, etc. »

ANNUS
1376

Sita erat hæc nostra Domus in agro et diœcesi Eboracensi prope Kingston super Hull urbem. Quæ, licet suum exordium ad Eduardum I (qui obiit anno 1307) referat tantumque Principem merito agnoscat fundatorem, suum tamen splendorem et augmentum nostræ cartusiæ conditoribus potissimum debere asserit Camdenus; qui et primum illius urbis Majorem facit præfatum Guillelmum de la Pole, idque probat ex libro monasterii de Melsa, cujus libri verba de Nostrorum fundatione etiam commemorantia lubet hic adjicere.

In topogr. Comitat. Eboracensis.

Familia de la Pole nobilissima.

« Guillelmus de la Pole, miles, prius mercator fuit apud Ravensrod, mercandizandi versatissimus nec ullo in Anglia mercatore inferior; deinceps Kingston super Hull habitavit, Majorque urbis suffectus est, et primus omnium hujus dignitatis quos posterum supradicta civitas habuerit. Incepit et dotavit, juxta Kingston, sancti Michaelis monasterium, quod nunc Cartusianorum, vel (ut aiunt) Cartusiæ monachorum Domus est. Guillelmus filium primogenitum habuit dominum Michaelem de la Pole, comitem de Suffolk, cujus opera prædictum monasterium Cartusiani occuparunt. Certum est Guillelmum de la Pole plura millia aureorum dedisse regi Eduardo, dum Antwerpiæ in Brabantia maneret; eapropter Rex, in testimonium gratitudinis, Guillelmum instituit Dominum, primum baronem saccharii, addens insuper totum dominium de Holderness, simul cum aliis terris ad coronam pertinentibus; demum, intercedente Instrumento vel carta, Rex voluit Guillelmum unum e Baneretis teneri. Si quis vero hæc in dubium duceret, spero eum pene persuasurum fore, dum legeret Instrumentum in quo Guillelmus de la Pole aperte vocatur « dilectus Valectus et mercator noster », atqui verbum *Valect* semel dico, his temporibus sive in Francia sive in Anglia, nobilitatis titulum reputabatur; quod nunc, fateor, solis servientibus et domesticis tribuitur. Cum usus tituli hujus inter Nobiles in desuetudinem abierit, qui prius *Valect* vocabantur, nobiles a cubiculo dici cœperunt. »

Ibid. in Comitatu Suffolciæ.

Hactenus ex Camdeno; qui alibi fatetur nostrum Willelmum nobili genere fuisse ortum, nec mercaturam nobilitati

ejus quidquam derogasse, cum Nobilium filios mercaturæ operam dedisse constet. Polarum genus (si tamen idem sit cum nostri fundatoris familia) antiquissimum nobilissimumque fuisse ac jam floruisse tempore Guillelmi conquæstoris reperio ; et anno 1095 Nicolaus de la Pole multa bona contulit abbatiæ Glocestrensi. Alii passim ejusdem nominis occurrunt apud scriptores Anglos, tum pietate tum bello conspicui. Noster vero Guillelmus ab eodem Camdeno dicitur propter opes Banereti dignitate ab Eduardo III ornatus, et merito quidem cum suis opibus ita regi subvenit, ut etiam seipsum obsidem pro illius debitis tradere non dubitarit, sicut apud Henricum de Knyghton legimus. Porro, Michael filius ejus obtentis ad novum opus necessariis licentiis, rem ita serio ac diligenter aggressus est ac promovit, ut anno 1378 monachi Cartusienses locum incolere cœperint, ut fusius ibidem dicemus.

ANNUS 1376

Monastic. Anglic. in Abbat. Glocestr.

Brompton, in Chronic.

De Eventibus, Lib. IV, ad ann. 1339.

VI. Hoc anno, Avenione, obiit Simon Langham, cardinalis Prænestinus, archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, unde ut in nostris Chartis semper Cardinalis Cantuariensis dictus est, licet a sua promotione inter purpuratos Patres hanc sedem sponte dimisisset. Hic secundi fundatoris Domus Bonipassus nomen et gloriam merito adeptus est, quod novam ecclesiam, refectorium, culinam et alia ædificia a fundamentis erexerit ac utrumque claustrum absolverit. Reparatoris titulus ei a Capitulo generali concessus est per Chartam 1376, ubi, « pro domino Cardinali Cantuariensi, reparatore Domus Bonipassus, tricenarium de Spiritu Sancto » in cunctis Domibus decantandum injungitur. Omnes scriptores Angli eum absolute fundatorem appellant, eumque multis laudibus evehunt, præsertim quod in tota vita sua omnibus quæ gessit muneribus, non minus providus atque sagax quam beneficus et liberalis fuerit. Fuit autem monachus et abbas Westmonasteriensis, regni thesaurarius et cancellarius, episcopus primum Londinensis, deinde Eliensis, archiepiscopus Cantuariensis ac tandem cardinalis. Semel mortuus, sepultus est bis : primum in templo præfatæ cartusiæ, quod

ALTER FUNDATOR BONIPASSUS MORITUR.

Walsingham ad ann. 1349.

Harspfeld. Histor. Angl. Ecclesiæ, pag. 534.

ANNUS 1376

Ibi primum sepultus,

sicut diximus, ipse construxerat. Tumulo sequens appositum fuit epitaphium : « Hic jacet dominus Simon de Langhan de Anglia, quondam archiepiscopus Cantuariensis, S. R. E. Prænestinus episcopus cardinalis, qui istam ecclesiam de novo construxit, et obiit die 22 Julii anno M. CCC. LXXVI. Orate pro eo. » Sepulchrum marmoreum est in sinistra parte majoris altaris, ubi etiam ad parietem leguntur triginta carmina elegiaca cum disticho numerali annum illius obitus designante, compte composita sed a quodam recentiore qui nesciens corpus in Angliam translatum fuisse, illud adhuc ibidem reconditum fuisse arbitratus est.

deinde ad Westmonasteriense cœnobium relatus.

Ossa igitur illius triennio post primam sepulturam exhumata, ad Westmonasteriensem ecclesiam (sicut vivens ordinaverat) quam maxime tanquam filius matrem adamaverat, relata fuerunt ; et tumulo alabastrino ab australi parte chori ibidem condita, in capella sancti Benedicti cum inscriptione quæ apud plerosque Scriptores reperitur. Ejus obitus denunciatus fuit in Charta anni sequentis cum beneficio pleni monachatus sub die 24 Julii ; sed potius et epitaphio et calendario Domus Bonipassus credendum est, ubi dies 22 notatur. In eum Angli scriptores hæretici debacchantur, quod ejus opera et autoritate Joannes Wicleffus (impius, postea hæresiarcha) a præfectura collegii Cantuariensis Oxonii, monacho tantum debita, quam præter jus et fas invaserat, ejectus fuerat. Eum tamen Matthæus Parkerus et ipse hetherodoxus, velit nolit, tamquam virum egregium laudat. Sed legendus est Richardus Smitheus catholicus, qui in sua *Historia Ecclesiastica Angliæ* probat quantus ille fuerit, quamque omni laude dignus.

J. Daius, Antiq. Britan. p. 248.

Godwin. in Archiepiscop. Cantuar.

In ejus Vita n. 56.

Lib. VII, c. 24.

OBITUS JOANNIS BOCCACII.

VII. Hoc pariter anno decessit Joannes Boccacius, ex operibus quæ vernacula lingua Italica scripsit, jocis et vanitatibus plena, eoque nocentiora quod mellifluo verborum et sententiarum succo referta, plus notus quam ex pietate quæ nescio utrum ei in ejus panegyricis laudi detur. Eum tamen, quod multi non norunt, beati nostri Petri Petroni, cartusiæ Maggianæ quondam monachi, monitis castigatum, emendare

se ac quamdam cogitasse ineundi meliorem vitæ rationem, consilium aliquando cepisse legimus in ejusdem sancti viri Vita. Moriens enim Petronus, amico suo Joachimo (de quo plura alibi diximus) dederat in mandatis, ut inter plures alios ad quos eum Dei nomine legabat, Boccacium quantocius conveniens, pie moneret quantum de salute æterna periclitaretur, ne serio laudabiliorem vivendi disciplinam amplecteretur. Mortuo igitur sancto Dei famulo, Joachimus Florentiam Boccacium adit. Indicat primum quomodo beatus Petrus in extasim raptus Christum viderit hominibus ob perniciosam vitam iratum, et deinde ipsum Joachimum accersiverit, dans in mandatis ut quosdam homines, et inter eos ipsum Boccacium, Dei et ejus nomine ad emendationem hortaretur. « Quocirca, inquit Joachimus Boccacium appellans, ejus beati Viri verbis rogo, hortor, denuntio, ut vitam quam nunc agis offensionum plenam deponas ; ut poetica studia abjicias, et exitialem poeticen illam detestatus, quæ tibi hactenus fuit impedimento quominus (ut abs te officii ratio pietasque Christiana exigebat) veræ virtutis cultorem te cunctis exhiberes, honestiorem vel tandem aliquando tuorum studiorum morumve disciplinam ineas. Quæ omnia si persequi detrectaveris, exploratissimum habeas, ex ejusdem beati Viri prædicto, non longe abfore quin tuæ proterviæ pœnas persolvas ; et propinquiori quam animo conceperis interitu, profana studia tua simul et animam finies. Hæc et alia similia persecutus est : quæ sane poterant per se hominem ingenuarum artium præsidiis apprime instructum permovere. Sed nihil æque Boccacii animum perculsum reddidit quam quæ ab ipso Joachimo sibi audivit clam fuisse detecta : sibi videlicet omnia sui pectoris arcana mentisque latebras reseratas, quorum neminem mortalium, præter Deum, conscium esse Boccacius ipse assereret. Hæc enim erant quæ Joachimo quamlibet ex mandato Petri adeunti, fidem continuo et autoritatem conciliabant. Ergo cum primum Boccacius, sui animi sensa nudata animadvertit, obstupuit vehementer, et ingenti pavore metuque concussus, religione maxime perurgente,

ANNUS 1376

Bolland. Annot. ad ultimum cap. Vitæ Petronii, XXIX Maii.

Quem Petronus noster moriens serio de vita mutanda admonuerat,

Lib. III, c. 1 et 9.

per Joachimum ejus amicum,

a quo audit arcana cordis sui detecta.

ANNUS 1376

prioris vitæ peccata gemebundus agnoscere est visus. Et cum apud se statueret e peccatorum cœno emergere, et ad sanitatem officiumque redire ; tum etiam omnia poeticæ studia deserere omnemque librorum supellectilem divendere animum induxit. »

Inde turbatus Fratr. Petrarcham consulit.

In quam deliberationem ingressus, Franciscum Petrarcham tota de re per litteras certiorem facere voluit : ut discimus ex ipsius Petrarchæ ad eumdem Boccacium epistola : ex qua præterea habemus non solum Boccacium sed et ipsum Petrarcham a Joachimo beati Petri nomine, de quibusdam commonefaciendum fore. Joachimi objurgatione vehementer commotus Boccacius, de vita mutanda, de poesi abjicienda et de libris divendendis, juxta sui monitoris consilium, serio cogitabat. At videtur Petrarcha suum amicum de inani metu arguere, dum velut contemptim, ni fallor, eum sic affatur :

Ab eo ad ponendum metum incitatur.

« Magnis me monstris implevit, frater, epistola tua ; quam dum legerem, stupor ingens cum ingenti mœrore certabat. Uterque abiit, dum legissem. » Et paulo post, repetens quæ Boccacius in sua ad eum epistola de beati Petri sanctitate et oraculis a Joachimo audierat, ad hæc judicium suum sapienter suspendit : « de quo, inquit, in præsens non pronuntio, cum ad me defuncti nuncius (Joachimus) illuc nondum pervenerit : quem ad te primum quod esses forte vicinior, expositisque mandatis, mox Neapolim inde mari in Gallias atque in Britanniam perrexisse significas ; novissime me visurum et mihi utilem mandatorum partem ex ordine prolaturum : tum demum quantum apud me sit fidei reperturum videro. Ætas hominis, frons, oculi, mores, habitus, motus, incessus, sessio, vox ipsa et oratio, et super omnia conclusionis effectus ac loquentis intentio, ad consilium vocabuntur. » Hæc in homine divina oracula nuntiante, observanda esse optime Petrarcha declarat, additque : « Nunc quantum ex tibi dictis elicio, nos duos aliosque nonnullos ex hac vita decedens ille vir sanctus vidit, ad quos quædam secretiora committeret huic suæ hujusmodi ultimæ voluntatis executori industrio, ut tu existimas ac fideli...... Tu quod ad statum

Lib. I. Epistol. senil. ep. 4.

tuum pertinet, duo hæc (nam cætera supprimes) audisti, vitæ tuæ terminum instare, hoc primum : tibi præterea poeticæ studium interdici, hoc secundum, ultimumque. Hinc illa consternatio mœrorque ille tuus, quem legendo meum feci, meditandoque deposui. Et tu, si mihi aurem, immo si tibi, si rationi insitæ animum præstas, abjicies ; et videbis inde te doluisse, unde potius sit gaudendum. » Deinde ut sapiens ac christianus philosophus, recte probat nihil esse quod usque adeo Boccacius ex mortis vicinæ nuntio permoveretur. « An tu, quæso, inquit, modicum vitæ esse quod superest, si iste tibi non diceret, ignorabas ?..... non mors itaque metuenda quæ frustra metuitur, sed corrigenda vita est, quæ res una, ne mors sit formidolosa præstabit. » Nihilominus ei dissuadet poeticæ fugam ne solatio careat. Denique de illius bibliothecæ venditione, quam ei Boccacius proposuerat, sic loquitur : « Libris autem pretia statuere, quod tua mihi præbet indulgentia non possum, quorum nec nomina certe, nec numerum noverim nec valorem. » Propositum tenuisse Boccacium (ut annotant eruditissimi Bollandiani) credere suadet dilata mors ad hunc annum. Vero etiam simile est eum ab illa vana mollique scribendi ratione deductum, operam posthac dedisse stylo graviori quo multa digna philosopho christiano prosecutus fuisse scribitur.

ANNUS 1376

Ne bibliothecam suam vendat suadet.

IX. In Charta hujus anni legitur obitus R. P. Joannis episcopi Brixinensis, cum beneficio tricenarii, quem Bucelinus cognominat a Platzhaim, dicitque obiisse anno 1374.

ACTA CAPITULI.

« Item obiit dominus Ernoldus de Faya socius quondam domini Cardinalis Petragoricensis. »

Preces præterea pro Henrico rege Castellæ et ejus liberis indicuntur, qui moriturus filio successori Paularitanam cartusiam condendam reliquit, ut suo dicemus loco.

In eisdem comitiis associatio spiritualis inter monachos Athanacensis abbatiæ et Cartusienses innovata est. Nostrorum literæ non extant, sed Benedictinorum responsio archetypa etiamnum apud Cartusiam asservatur.

Præter Decreta superius sub initium hujus anni descripta,

ANNUS 1376

alia quoque ad regularis disciplinæ conservationem prudenter edita sunt et promulgata ut sequuntur :

1. « Licentias, olim datas per Capitulum generale vel per Domnum Cartusiæ Procuratoribus (qui vulgariter Correrii nominantur), equitandi revocamus in his scriptis, ne gratia in abusum convertatur, sicut jam factum didicimus apud multos ; et ne Domnus Cartusiæ pro talibus gratiis concedendis de cætero molestiam patiatur a quocumque, statuimus ut Procuratores prædicti qui amodo per se vel per alium quemcumque talem licentiam postulaverint aut fecerint postulari, ipso facto obedientia prædicta sive officio sint privati, taliter quod pro illa vice non valeant iterum præfici ad easdem.

2. « Declaramus quod gratiæ quæcumque sive licentiæ per generale Capitulum vel Domnum Cartusiæ denegatæ, non poterunt a Visitatoribus obtineri ; nisi de hoc fiat mentio in potestate eis danda, et sint prius de hujusmodi denegatione informati.

De subditorum appellatione a suis Prioribus.

3. « Cum secundum jura Canonica non liceat a disciplina vel correctione appellare, et nonnulli perversi contra Papalia privilegia, nostrasque constitutiones et Statuta non vereantur facile de causis indebitis a suis Prioribus vel Rectoribus appellare, cum sint aliæ viæ convenientes secundum nostram Regulam perveniendi ad justitiæ veritatem : ideo ordinamus quod quæcumque persona Ordinis a suo Præsidente appellaverit, ipso facto cellam pro reclusione et Ordinem in victualibus sine misericordia teneat, donec hujusmodi appellatio a generali Capitulo fuerit approbata. »

Apud Bohic, ad ann. 1268.

Quanta autem decentia et æquitate superior ordinatio nitatur, pulchre deducit Emmanuel Rodericus quærens : Utrum deceat Religiosos appellare ? Et respondet certum esse ipsos Religiosos posse appellare ; sed distinguit idem autor inter justum, et id quod decens est. Ac præcedente quidem articulo quærit : « Utrum licitum sit Regularibus appellare a gravaminibus illatis ? » Et respondet affirmando. At ne aliunde hujus quæstionis resolutionem quæramus, ex indulto Clementis III

et Celestini III summorum Pontificum datur potestas Prioribus et Fratribus Ordinis nostri Cartusiensis appellandi a correctione, vel ab alio quocumque prætenso gravamine aut sententia sui Præsidentis, aut Visitatorum vel Commissariorum, cum licentia tamen Capituli suæ Domus vel majoris partis ejusdem. Navarrus quoque pluribus rationibus probat appellationem Religioso esse licitam, quia appellatio est defensio; et defensio, quæ jure naturæ debetur, nemini est deneganda.

Appellatio in se licita,

« Sanctissime tamen, ait Rodericus, Religionibus hoc nomen appellationis est exclusum ad alia tribunalia. Nam etiamsi possit evenire et contingere casus in quo Religiosi indigeant hoc unico remedio, damnum tamen quod ex negatione ipsius resultat, cum pace et tranquillitate et honore suæ Religionis (quæ eorum est mater) compensatur; cum fortitudo et decor illius consistat in eo quod Religiosi inter se cum silentio et quiete omnia negotia et controversias ita componant, ut ad notitiam aliorum tribunalium ecclesiasticorum aut secularium neque per somnium (ut dicitur) perveniant. Experientia enim compertum est, Religiosis e suis claustris egressis et suas controversias ventilantibus, Religionis decorem et honorificentiam delustrari. Unde sicut lex naturalis dictat quod manus recipiant ictum et vulnus desuper ab aliquo illatum ad servandum caput, a quo vita et salus totius corporis pendet; ita etiam lex eadem naturalis dictat et intime prædicat quod Religiosus permittat se ictibus gravaminum opprimi et feriri, ne ea gravamina et alia eadem super suam Religionem, quæ est ejus caput, et ipsis gravaminibus succumbat et ejus honor deturpetur. Quod considerantes summi Pontifices, cognoscentes et considerantes inconsiderationes aliquorum Religiosorum, ipsis sub pœna excommunicationis injungunt, ne a mandatis et ordinationibus Prælatorum appellare valeant. Et licet concedatur ipsis ut possint ad Dominum Protectorem recurrere, et ad sacram Cardinalium Congregationem, et ad Papam et ad ejus Legatos habentes potestatem super Regulares, hoc tamen debet fieri in negotiis

servatis tamen quibusdam conditionibus,

ne redundet in damnum totius Ordinis.

ANNUS
1376

gravibus, et hoc debita cum consideratione ; in negotiis autem minimis ad eos accedere, redundat in maximum Religionis nocumentum, cujus augmentum debemus omnes pro viribus procurare. » Ista Rodericus.

Ea est mens SS. Pontificum,

Vide porro si non eadem mens fuit Clementis III, cum statuit ne quispiam Nostrorum sine licentia Capituli Domus suæ, a prætenso gravamine appellare audeat : ait enim in suis Literis se, ut eas scriberet, solo pacis et tranquillitatis nostræ amore incitatum fuisse : « paci (inquiens) et tranquillitati vestræ providere volentes. » Patres quoque nostri, qui decretum suprascriptum fecerunt, non aliud intendebant quam corriperent inquietos, qui hac via Ordinis tentabant eludere disciplinam. Cum tamen remedium appellationum non sit inventum ut alicui a Religionis et Ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere, ut rescribit Alexander Papa III ; nec subjecti debeant contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpere, alioquin ipsa disciplinæ censura imminueretur et monachi contra suos Prælatos insolescerent : hac ducti mente Patres nostri sequentem, in Charta Capituli generalis anni 1428, ordinationem fecerunt. « Quia anno millesimo quadringentesimo vigesimo sexto fuit ordinatum in Capitulo generali quod circa appellationem a correctione servetur ordinatio Capituli generalis anni millesimi trecentesimi septuagesimi sexti, et in multis Domibus Ordinis nostri non habetur illa ordinatio ; volumus ut qui non habent illam, scribant de verbo ad verbum. »

et nostri Capituli generalis.

4. « Declaramus quod personæ Ordinis quæ sunt tanto senio vel alia impotentia præpeditæ quod nequeunt in Conventu celebrare, non habeant vocem in communibus tractatibus Domorum suarum ; nec de aliis negotiis se intromittant, nisi in quantum et quatenus eorum Prioribus et conventibus placuerit, et ab eis fuerint requisitæ. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1377.

Gregorii PP. XI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 294.	Ann. 11.

I. ANNO a Virgineo partu septuagesimo septimo supra millesimum trecentesimum, Indictione quintadecima, Gregorius Papa post restitutam Urbi sedem apostolicam, Roma Anagniam æstivi caloris vitandi gratia concessit, ubi adhuc constitutus mense Octobris, Literas in favorem Majoris Cartusiæ scribi jussit, quibus libertati illius et exemptioni, quam anno præterito a collectoribus decimarum appetitam vidimus, benigne ac plene sic providit :

GREGORIUS XI ITERUM CARTUSIÆ BENEFACIT.

« Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Conventui Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Quanto studiosius divinæ contemplationi vacatis, devota mente ac humili sub regulari observantia Domino famulando, tanto libentius vobis benigno favore concedimus quod vobis et Domui vestræ conspicimus opportunum. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod licet vos et Domus vestra a præsentatione seu solutione decimarum, subsidiorum et exactionum quarumlibet, quocumque nomine nuncupentur, quibuscumque personis facienda, per sedem apostolicam pro camera apostolica, seu aliis quomodocumque personis ecclesiasticis impositarum vel in posterum imponendarum, per privilegia Sede prædicta vobis et Domui vestræ concessa, sitis excepti peni-

Extat inter Privileg. n.96.

ANNUS
1377

Eam eximendo a solutione decimarum papalium,

tus et immunes: tamen propter diversas clausulas et obstantias quæ in Literis apostolicis (quæ super impositionibus seu concessionibus decimarum, subsidiorum, seu impositionum hujusmodi conficiuntur) inseruntur, privilegia prædicta vobis (ut præfertur) concessa, in nullo vobis proficiunt nec consequuntur effectum. Quare pro parte vestra nobis humiliter exstitit supplicatum, ut providere vobis et Domui vestræ super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, vos et Domum ipsam gerentes in visceribus charitatis, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut vos et Domus ipsa ad præstationem seu solutionem decimarum, subsidiorum seu impositionum hujusmodi pro camera prædicta seu aliis personis ecclesiasticis, jam impositarum vel in antea qualitercumque imponendarum, seu ad contribuendum cum aliis in eisdem minime teneamini, nec ad id a quoque compelli possitis inviti autoritate quarumlibet Literarum apostolicarum sub quavis forma vel expressione verborum confectarum seu conficiendarum in posterum, etiam si de vobis ac Domo, Ordine, exemptione et immunitate ac privilegiis vestris hujusmodi expressam faciant mentionem, et si in eis caveatur expresse quod omnes personæ ecclesiasticæ, seculares et regulares, exceptæ et exemptæ, ad præstationem seu solutionem decimarum seu impositionum hujusmodi seu ad contribuendum in eis compelli valeant. Non obstante si vobis et Domui seu Ordini vestro vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prædicta sit Sede indultum, quod ad solutionem seu præstationem decimarum, subsidiorum seu impositionum hujusmodi minime teneamini ; aut quod interdici, suspendi seu excommunicari non possitis per Literas apostolicas quæ de Indulto hujusmodi et tenore ipsius plenam et expressam, ac de verbo ad verbum non facerent mentionem; sive quibusve privilegiis vel indulgentiis vobis seu quibuscumque personis, locis, Ordinibus a præfata Sede concessis, de quibus oporteret in dictis Literis specialem fieri mentionem, et per quas effectus Literarum ipsarum quomodolibet impedire valeret vel etiam retardari, vel aliæ quæcumque et

per derogatoriam derogatoriarum.

qualescumque clausulæ prædictis similes vel etiam dissimiles, et sub quocumque tenore seu expressione verborum apponeretur, qui Indulto hujusmodi possent in aliquo derogare; devotioni vestræ autoritate Apostolica, de speciali gratia et ex certa scientia, tenore præsentium indulgemus. Et insuper minas suspensionis, interdicti et excommunicationis et alias pœnas si quis contra vos seu aliquem vestrum, ac Domum et loca vestra præmissorum occasione ferri contigerit, seu etiam promulgari, decernimus irritas et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Datum Anagniæ, XVI Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno septimo. »

MACONUM A GRAVI PERICULO LIBERAT S. CATHARINA.

Bolland. Annotata ad cap. III, elog. S. Cath. Sen.

II. Circa initium hujus anni, vel sub finem præcedentis accidere debuit quod Frigerius apud celeberrimos Bollandianos a sancta Catharina Senensi erga nostrum Stephanum Maconi gestum his narrat verbis : « Frequentabat Stephanus, exemplum patris sui sequens, nobilem confraternitatem sanctissimæ Virginis quæ in cryptis quibusdam Hospitalis Senensis assueverat convenire, ibique exercebatur in operibus pietatis. Quadam nihilominus vice ab aliquibus suscitatus, in eodem loco cum ipsis conspiravit contra Magistratum ; quod cognoscens in spiritu Catharina, in hæc verba proru- pit : Ah ! fili mi Stephane, quid machinaris in corde tuo ? Quid agis ? Siccine domum Dei vertis in conventiculum proditionis ? Audiebant hæc et mirabantur sociæ, neque dubitabant quin aliquod grande secretum continerent eæ voces. Post paucos dies deinde adfuit Stephanus, Catharinam ut solebat visitaturus ; sed priusquam verbum proloqueretur, occupavit eum virgo et dixit : Itane, Stephane, teipsum præcipitas in perniciem corporis animæque ? Quam stulta sunt illa quæ agitasti consilia ! Revertere, obsecro, revertere ad cor, ab eoque ejice conspirationis venenum. Erras, si existimas domum Dei impune fieri receptaculum conjuratorum adversus Rempublicam. Ut igitur culpam commissam eluas, vade et ipso in loco, extunde tot guttas sanguinis teipsum flagellando, quot ibi verba perversa protulisti. Ita detectum se videns

ANNUS
1377

Stephanus abiit, et quod jussus erat humiliter implevit. »

Eadem ac prorsus similia, licet prolixiora, habentur in Vita ejusdem Stephani ; additque autor sanctam illam virginem de eodem templo hæc prædixisse : « Me miseram ! quæ jam videre videor hoc cœli Reginæ domicilium, propter insanam civium ambitionem recti studiosis occlusum, nec aperiendum nisi cum multorum fremitu atque tumultu. Nec vana, pergit autor, cecinit tunc virgo seraphica, quando ejus seculi anno 1390, jussu Principis civitatis, Magistratus edicto, cautum fuit ne quis ullus hominum per causam pietatis exercendæ, aliamque alicujus rei speciem illud iniret, conventum in eo facturus. »

Noster vero Stephanus ad suum amicum Thomam Antonii Ordinis Prædicatorum scribens, narrat quomodo sæpissime sui ac suorum sodalium arcana cordium ab eadem beatissima virgine detegebantur. « Noverunt omnes, inquit, quod ista sacratissima virgo quasi cognoscebat animorum dispositionem, velut nos agnoscimus dispositionem facierum, prout experientia multoties apertissime demonstravit : unde non poteramus eam quoquo modo latere, sed nobis nostra secreta pandebat. Quare sibi quandoque dixi : Vere, mater, majus periculum est esse juxta vos quam ambulare per mare, pro eo quod videtis omnia nostra. Et illa mihi subintulit in secreto : Noveris, carissime fili, quod in mentibus eorum præcipue super quos amplius invigilare studeo, nulla macula sive nubes alicujus defectus ita subito cadit, quin illam subito videam, Domino demonstrante. »

Apud Bolland. de gestis S. Cath. c. III.

H. HUBERTINUS ORDINEM NOSTRUM INGREDI MOLITUR.

III. Ex his nostri Stephani sodalibus seraphicæ virgini addictis, unus fuit Hippolytus Hubertinus, civis Florentinus, vir nobilis et magnarum opum, qui mortua uxore et filiolæ superstitis educatione oneratus, vitæ Cartusiensis desiderio accensus, Ordinem nostrum ingredi moliebatur ; sed quum moras interponeret ei S. Catharina talem dedit epistolam : « In nomine Jesu Christi crucifixi et dulcis Mariæ. Carissime frater in Christo dulci Jesu, ego Catharina, ancilla et mancipium servorum Jesu Christi, tibi scribo in suo pretioso

Epistol. CCLXXXIX.

Quem adhortatur S. Catharina.

sanguine, cupiens te habere generosum cor, passionibus immune et sine teneriore affectu ; hic mollis affectus qui ex amore sui nascitur, sancta desideria reprimit et parit omnia mala. Qui seipsum diligit, semper tepidus erit. Eum vocat Dominus, et vitæ celeritatem, mundi fragilitatem atque molestias, inconstantiam ac brevitatem ostendit : omne etiam gaudium, quo extra divinam voluntatem fruimur, sine clementia puniri nos edocet Deus, et mundi despectum odiumque injicit. Libenter ergo mundum deserere vellet homo ; etenim is mundo dominatur qui, dum ab eo recedit, ejus honores, divitias et delicias pedibus calcat : videt insuper Deum centuplicato remunerantem, unde omnia linquere parat ; ast vivit adhuc proprius amor et, frigescente voluntate, moras interponit.

Vinculum quo mundo ligatur, non lente, sed abrupte, solvendum.

« Noli sic agere, sed potius amorem proprium macta, sciens tempus haud firmiter stare. Si vero tempus tibi relinqueretur, tunc dicere valeres : quibus mundo vincior vincula solvam, et fune rupto, Christo crucifixo ligabor, jugumque obedientiæ libenter accipiam. O carissime ! dum potes, amorem proprium et teneriorem erga te affectionem extermina : nodum ne resolvas sed reseca ; manus liberi arbitrii capiat ancipitem gladium, gladium amoris et odii, quo virtutem amamus, vitiumque, mundum et sensualitatem execramur : sic, non tepidum, non negligentem, sed virum te præbebis. Deo, qui te sanctis incitationibus vocat, respondeas, quæso, respondeas. Habes ubi conquiesces, locum benedictionis a seculo segregatum ; habes et patrem, cartusiæ S. Gorgonii dico Priorem, non hominem sed Angelum et totius virtutis veluti speculum : ne ergo gratiæ contradicas Dei qui peramanter instat ut tuum cor inhabitare possit.

« Sicut ex tua didici ad me epistola, recte sancteque cogitas ; sed quum duos tibi postulas annos, præter modum exposcis. Tuam felicem ægre patitur sortem diabolus ; itaque difficultates aperit ut tuam pacem et quietem contaminet. Mea sententia est ut quam primum filiam tuam colloces, tunc expeditus cætera ad exitum facile perduces ; res tuas

ANNUS 1377

cuidam idoneo pro amore Dei et tui tractandas committe : ast de tua filia fiat per temetipsum. In nomine Jesu crucifixi rogo te ut confestim agas ; ne differas, nemo enim tibi præstolabitur. Cartusiæ Gorgoniensis Priorem conveni ; te totum illi patefacies, et propositum firmum atque stabile capies. Sive autem statuas vivere in hac eremo quæ vitam tuæ animæ largietur, sive alio quolibet modo tua bona in egenos distribuere decreveris : huic cartusiæ subveni, nam subsidiis indiget ut Cartusianorum regulam servare queat. Macte virtute ! spero te, sanguine Christi crucifixi madidum, hæc omnia brevi impleturum. Ultra non loquar. In sancta et dulci dilectione Dei maneas. Dulcis Jesus, Jesus amor ! »

Epistol. CV.

Variæ ejusdem virginis ad Cartusienses epistolæ.

Inter filios spirituales tam sanctæ Matris, annumerari merito possunt Joannes de Sabbathini, Bononiensis, monachus vero cartusiæ Belriguardi, vir simplex et humilis ad quem extat piæ matris epistola egregia de cognitione suiipsius.

Epistol. CVI.

Thaddæus de Malevolti Senensis, ejusdem Domus Belriguardi, ut quidam Nostrum autumant, alumnus, cum beatæ virgini Catharinæ quamdam tentationem qua importune agitabatur, detexisset, ab ea consolatoriam accepit epistolam qua mirum in modum ad patientiam et ad perfectam exemplo Christi obedientiam exhortatur.

AD REV. PATREM GENERALEM SCRIBIT.

IV. Circa idem tempus scripsit etiam copiosissimam epistolam ad Reverendum Patrem Cartusiæ, cujus talis est inscriptio : « Venerabili et religioso Patri Domno Guillelmo, Priori generali Ordinis Cartusiensis. In nomine Jesu

Epist. XCIX.

Christi crucifixi suavisque Mariæ. » Sicque primum eum alloquitur : « Carissime ac Reverende Pater in Christo dulci Jesu. Ego, Catharina, serva servorumque Jesu Christi mancipium, scribo ad te in pretioso ejus sanguine cum desiderio videndi te in eodem Filii Dei sanguine immergi et submergi. Ecce cum sanguine crucifixi Jesu repletur memoria, statim intentione magna inspiciens intellectus pretiosum sanguinem in illa reperit ; divinæ charitatis ignem atque ineffabilem amorem mixtum et quasi subactum sanguine, qui idcirco tam amanter datus est et effusus pro nobis, cernit. Intellectum

subsequens voluntas quæcumque vidit intellectus amat et desiderat; cujus charitas charitati crucifixi Jesu in pretioso sanguine statim unitur. Tunc immergitur anima in sanguine: nempe immergitur et perimitur mala carnalisque voluntas jugum Creatoris dejiciens, proprium amorem perfecte deponit, æternamque Dei induit voluntatem inventam in sanguine ipsi demonstrante divinum beneplacitum non aliud esse nisi sanctificationem ejus; quod si aliud voluisset Deus, Verbum æternum Filium suum unigenitum nobis certe non dedisset. Haud minus percipit anima nihil ex his quæ accidunt in hominis vita, nisi ad hunc sanctificationis finem a divina Bonitate permitti; propter quod tribulationibus, tentationibus, contumeliis, injuriis, omnibus denique malis non conturbatur, sciens a Deo esse quæcumque sunt: imo vero in his lætatur sanctamque Dei colit voluntatem, qui maxime benevolus ad nostram utilitatem cuncta, amore certe, minime odio, nobis impertitur. Conqueri non potest nec debet, ideo quia bonum suum deploraret; nec animæ est suavissima Dei voluntate imbutæ super his quæ fiunt queri, nisi super peccato cui ingemiscit et ingemiscere debet, probe intelligens talem offensionem beneplacito adversari divino. Per se odio dignum est peccatum, eo quod a Deo non oriatur; quæ vera sunt a Deo procedunt, sancteque diliguntur a quavis anima Christi amantissima. Ipsa se videt non propter seipsam, sed propter Deum; Deum autem propter se, quoniam æterna summaque Bonitas est omni prorsus amore digna; proximum vero propter Deum, non propriæ respectu utilitatis. Nec tempus opportunum, nec locum placitum, neque desolationem neque consolationem eligens, cuncta cum amore a Bonitate divina recipit, semper et in omnibus beata, cum nullæ sint ærumnæ, nulli labores animam amore sauciam constristare valentes, in tribulationibus gaudens, in persecutionibus exultans. Quod si obediat vir ille, cum patientia et jubilatione obedientiæ jugo se subjicit; si vero imperet, subditorum pravitates, ingratorum insectationes mitis et humilis tolerat, mori paratus ad evellendas, optimi instar

Adversa ad nostram utilitatem permittit divina Bonitas.

ANNUS 1377

hortulani, vitiorum spinas, virtutesque per justitiam misericordiæ semper conjunctissimam in ipsorum mentibus alendas : laborem non fastidiens, operæ non parcens, cum gaudio lassitudinem suscipiens, tempus quod habet pro eo quod non habet frustra non conterens. Non raro in medullis animæ diversis cogitationibus moleste agitatus contra se disceptat : si de officio tuo sollicitudinum aculeis cruciatus ita non esses, Deo tuo in pace vacare, voluptate ejus in quiete frui haud dubie valeres. Cujus certe consilii autor diabolus est, speciem pacis oculis animæ ejus prætendens ut odiosi belli sine intermissione illi molestiam exhibeat. Quicumque suam voluntatem in eo statu quem paravit ei Deus subdere non vult, semper anxius semperque sibi gravis bis tempus in vanum laborando perdit, nimirum officii sui dies, otiique horas minime concessas male traducens, atque tali pacto præsens simul et futurum nil curans. Igitur suasionibus noxiis spiritus nequam aures non præbet, sed rerum temporumque adjuncta in suam utilitatem singulari studio convertit anima voluntate Dei perfusa : quoniam omni tempore, sive in angustia, sive in consolatione progreditur ; cum penitus amorem proprium, affectiones, sensuumque cupiditates ex quibus omne malum et omnis dolor gignuntur, deposuerit. Amarum continet mœstitiæ fontem habere quod non placet : si quis autem velle suum perfecte abnegans ad beneplacitum divinum plene se convertat, Deo suo jungitur et omnia ex amore juxta voluntatem æternam pensat, quoniam liquido perspicit non aliud nisi sanctificationem nostram Deum optimum exoptare : quippe qui ad imaginem et similitudinem suam nos creavit, ut in ipso sanctificati, sempiterna ejus visione, postquam illum in sanguine crucifixi Jesu per quem Patris veritas nobis manifestata est intellectus oculo intuentes noverimus, frui possemus. O gloriosissime Sanguis dans vitam, invisibilemque visibilem demonstrans, misericordiam nobis declarasti divinam, inobedientiæ delictum obedientia Verbi, ex quo ubertim effusus es, abstergendo. »

Semper anxius qui Dei voluntatem non facit.

Ex his B. Catharinæ verbis, conjicimus Priorem Cartusiæ

ad eam prius scripsisse, et forsan de sua abdicatione, propter quosdam quos patiebatur angores, egisse. Nam ab annis aliquot, in Chartis capitularibus, his commendabatur verbis: « Pro Domno Cartusiæ, patre nostro, ut Deus ipsum dirigat in factis suis, et in adversitatibus consoletur. » Deinde subjungit sancta Catharina :

ANNUS 1377

« Itaque propter amorem Christi Jesu vehementer te rogo, dilectissime Pater, in illo salutis balneo immergere, in vigiliis et orationibus permane, intellectusque oculum constanter in hoc sanguine hærentem detine. Tum vero excitabunt te zelus divini honoris famesque salutis commissarum tibi animarum; in oratione, videlicet in desiderio sancto, indefessus perseverabis : hoc enim necessarium est ut salutem in eo statu in quo positus es consequi tibi detur. Et quandoquidem autoritatem donavit tibi Deus, nec sis negligens nec timidus, neque ignorans neque cæcutiens ; imo contra animo strenuus zeloque flagrans, Agnum æmulans immolatum pro te consumptum, atque præ magnitudine amoris summique et inexplebilis desiderii quo gloriam Patris et nostram salutem sitiebat, mortem crucis turpissimam anhelantem. Hoc exemplar ostendit tibi Deus, Verbum dico Filium ejus unigenitum cujus sanguis omnem pavorem sedare, omnem negligentiam removere, omnem mentis caliginem depellere debet. Fortasse dicis : Equidem sum imperitus, meipsum non cognosco, quomodo me geram cum fratribus quibus me præposuerunt? revera nescio. Ego autem respondeo tibi : Si honorem Dei esurias, ipse Deus in te quod ex te non vales operabitur, ad tuam subditorumque tuorum salutem. Utinam igitur fame urgearis et desiderio. Hac vero fame non mihi videtur te premi posse nisi per sanguinem ; propterea omnibus votis peto, sicut jam dixi tibi, te in sanguine Jesu crucifixi lavari et immergi, quoniam in eo funditus tollitur vitæ propriæ pravus amor, quo quis a justitia revocatur ne forte statum suum emittat, vel turpiter optat hominibus placere magis quam Deo. Amor iste Prælatos non sinit juxta Dei beneplacitum rectamque conscientiam agere, at vero secundum ho-

Sanguis Christi, fons omnium bonorum.

Christi sanguis omnem pavorem sedat

ANNUS 1377

minum arbitrium vanamque opinionem ; et per hoc fœde ruit ordo. Sic, verbi gratia, delicta non corripiendo, officia improbis et imprudentibus committendo, inferiores a virtute detorquet non bonus superior, dum e contra meliores efficit quibus præponitur egregius Prælatus. Horum malorum fons amor proprius est, qui discutitur in sanguine Christi, dum amore ineffabili incenditur anima considerans Dei Filium sic dilexisse filium suum adoptivum genus humanum, ut retrahere illum a perditione gestiens minime dubitaverit animam suam in cruce ponere. Quo comperto, amorem gignit amor ; expetit cor amare quod Deus amat, odisse quod odit ; intelligensque homo Deum suam rationalem creaturam in infinitum diligere, tanto animarum desiderio ardet quod admodum inexplebile videatur, abominaturque vitia eo quod non sint in Deo, et virtutibus quas in fratribus videt, ad honorem Dei delectatur. Ita fit ut exuat omnem negligentiam magnumque zelum induat Prælatus, corpus non ultra delicatum habeat, millies se offerat morti si fuerit necesse, caliginem pellat perditumque recipiat lumen, evanescente proprio amore, divinæque dilectionis et ardentissimæ charitatis, qua tota tollitur ignorantia, jubare ante oculos mentis coruscante. Hi sunt sanguinis fructus. O pretiosum, o gloriosum humilis Agni immaculati sanguinem ! Quis ergo tam excæcatus, quis adeo demens qui vasculum cordis sui lateri crucifixi Jesu unde copiosus defluit, amantissime non admoveat ? Hic invenitur Deus, nempe natura divina humanæ conjunctissime unita ; hic invenitur ignitus amor qui per lateris foramen cordis arcana manifestavit, non obscure significans omnes Passionis cruciatus magnitudinem dilectionis exhibere non potuisse, quos revera superabant patientis desiderium et voluntas, cum inter dolores finitos et amorem infinitum non detur comparatio quæ ullo modo fieri possit. Eia, dilectissime Pater, ad opus bonum accingere ; in his diebus quos fecit tibi Deus, congregato Capitulo per quod innotescit quidquid vitiosum est, strenuus esto zeloque fervidus. Delinquentes corripe, ne forte sana membra depravatum membrum

Proprius amor nocivus,

Dei amor proficuus.

Ad recte gubernandum regulas tradit sapientissimas.

ANNUS 1377

corrumpat; justitiæ misericordia semper jungatur; sine causa ne movearis, sed adjutores ad assequendam veritatem doctos et probos assume, insuper ipse diligenter studeas verum invenire; in eo quod facis utere consilio Dei per orationem, et consilio hominum quod et ipsum oritur a Deo per ejus bonos amatosque famulos. Id age sedulo ut monachos unde religionis et disciplinæ exempla petantur, tecum permanentes habeas; sed ante omnia homines virtute præditos et aliis dirigendis idoneos Priores institue; siquidem in occulto pectoris multi sunt boni qui gubernandæ domui minime reperiuntur habiles: his rationibus perit Ordo, contrariis floret. Quod si egregios Prælatos inveneris, serva eos fortique animo esto, obsecro te propter amorem Jesu crucifixi; in cujus sanguine si studiose intingaris, voluntatem propriam immergens et in æterna Dei voluntate, quæ in effuso Christi sanguine reperitur, consumens, hoc sine dubio præstabis, et omnia tibi et aliis necessaria sane perficies. Sed dixi satis. Ignoranti indulge. In sancta et suavi Dei dilectione permane. Jesu dulcis! Amor Jesu! »

JOANNEM CARTUSIENSEM SOLATUR.

V. Vivebat tunc Romæ in cartusia Sanctæ Crucis quidam monachus, Joannes nomine, qui cum graviter anxiaretur occasione cujusdam tentationis cujus impulsu ad purgatorium sancti Patritii in Hiberniam pergere volebat ut ab omni tentatione liberaretur, nec licentiam proficiscendi a Superioribus obtinere poterat, sanctæ Catharinæ auxilium et autoritatem interpellavit. Sed illa, ut erat virgo prudentissima, prolixam ad Joannem scripsit epistolam, qua eum consolatur, et postquam multa egit de lumine tam naturali quam supernaturali, eum animat ad perfectam obedientiam Superioribus exhibendam, quæ sola veram animi et conscientiæ tranquillitatem et securitatem potest impertire. Non videtur Joannes tam salubribus consiliis acquievisse, quem forsan suam peregrinationem clam obire attentantem Superior carceri mancipavit. Unde crederem ad eum spectare aliam ejusdem Sanctæ epistolam, qua eum hortatur ad patientiam per meditationem suavium consolationum Christi in

Epist. CVII.

Epistol. CX.

ANNUS 1377

ACTA CAPITULI.

Variorum, tum Monachorum,

cruce pendentis, eumque cognitionem suiipsius edocet.

VI. Inter mortuos hoc anno legitur « D. Joannes Columbi Prior Ligeti, qui habet monachatum cum psalteriis sub quarto Calendas Martii quo obiit ; et ultra, quia multum laboravit pro Ordine, habet tricenarium, etc... » Per annos fere triginta et amplius, præfatæ Domui præfuerat, ad ejus regimen circa annum 1346, vel etiam ante assumptus e Domo Vallis Dei, cujus moderamen circa annum 1334 acceperat. Provinciam Gebennensem (quæ modo *Cartusiæ* nomen habet), anno 1346 visitavit. De cæteris laboribus illius nihil reperimus.

« D. Gerardus de Sanctis, monachus et sacerdos Domus Leodii, obiit, habens tricenarium, etc. » Hic, juxta horum temporum tritam in Ordine consuetudinem, secundam ut vocabant professionem in dicta Domo Leodiensi emiserat, primam vero in cartusia Capellæ, in cujus Chronico dicitur notabilis clericus, idque apparere ex diversis illius scriptis. Trium quoque linguarum peritus fuit. « Receptus ad Ordinem, inquit autor Chronici, anno 1338, omnes suas possessiones et hæreditates huic Domui legavit. Factus postea Procurator anno 1343, scripsit originales libros de reditibus quos hæc Domus tunc temporis possidebat. » Factus postea solitarius, residuum post exercitia cellæ spiritualia tempus, pro laudabili Patrum more, in librorum scriptione ponebat. Unde et idem autor eum laudat, « quod Bibliam correxerit ac multos libros maxime pro usu cantus scripserit. » Sicque per annos fere quadraginta (si paucos excipias quos in sollicitudine Procuratoris exegit) vitam absconditam cum Christo in Deo ducens, perfectus Cartusiensis monachus effectus est. Dies obitus illius in citato Chronico ad Idus Martii signatur.

tum Benefactorum obitus.

Ex Principibus obierunt « Dominus Eduardus, princeps Walliæ qui habet fraternitatem Ordinis cum tricenario. » Ipse est filius regis Eduardi III, bellicis laudibus a scriptoribus cumulatus, qui anno præcedenti decesserat.

« Dominus Comes de Arondel qui habet idem » ut Princeps Walliæ. Videtur esse Robertus comes Arundeliæ et Wa-

rennæ, cujus filius Thomas obiit archiepiscopus Cantuariensis ut dicemus anno 1415.

« Dominus Ludovicus de Navarra, dux Duratii, qui habet tricenarium » ; filius Philippi Ebroicensis, Navarræ regis, Joannæ Duracensis maritus, quem Sammarthani dicunt sepultum in cartusia Neapolitana et jam obiisse anno 1373.

« Pro domina Regina Siciliæ quæ ordinavit centum florenos Capitulo generali anno præsenti, licet nondum sint recuperati, fiat unum tricenarium *de Spiritu Sancto* et dicatur una missa *de B. Maria.* » Præterea aliquot pecunias miserat ad restaurationem Domus Cartusiæ cujus ædificia post incendium satis lente in pristinum statum restituebantur.

Cæteræ Ordinationes sunt hujusmodi :

Ordinationes.

1. « Quicumque amodo præterquam personis Ordinis secreta Ordinis quoquomodo revelaverint, sint inhabiles perpetuo ad quæcumque officia Ordinis, nec ad ea promoveri valeant sine dispensatione Capituli generalis.

2. « Licentias olim datas de Præbendariis recipiendis revocamus, et amodo nullatenus concedantur, nisi toto Conventu supplicante, nemine discrepante, et nisi in casu evidentissimæ utilitatis.

3. « Volumus et ordinamus quod nulla persona Ordinis proprio motu suo Priorem suum infestet aut molestet ut ad aliam Domum Ordinis se transferat seu transportet, alioquin si commonitus resipiscere noluerit, incurrat ad sui Prioris arbitrium generalem Ordinis disciplinam.

4. « Item volumus et ordinamus, ac etiam districte injungimus, ut pro solvendis præteritis debitis Capituli generalis et futuris oneribus supportandis, unaquæque Domus Ordinis de cætero, annis singulis dicto Capitulo et tempore Capituli, duos florenos absque remissione vel gratia solvere teneatur. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1378.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 295.	Ann. 12.

GREGORIUS XI MORITUR.

I. ANNUS Christi septuagesimus octavus post mille trecentos, Indictione prima, infaustis plane oritur auspiciis, ob ingentia quæ in eo ex tetro schismate nata sunt mala et per annos quinquaginta increvere. Causa eorum innocens fuit mors Gregorii Papæ, qui dum Avenionem repetere cogitat, felici, si eum solum spectes, sed funestissimo toti Ecclesiæ Catholicæ fato fungitur, die 27 Martii, ut habet gestorum illius scriptor apud Raynaldum, licet obitus a Platina pridie ejus diei referatur; sed præfato autori potius credendum est, cum et Charta Capituli generalis ei consentiat his verbis : « Obiit sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster, Dominus Papa Gregorius undecimus, die 27 Martii, qui habet per totum Ordinem plenum cum psalteriis monachatum. Et quia multas gratias fecit Ordini, maxime in reparatione Domus Cartusiæ matris nostræ, ultra prædictum monachatum, concedimus sibi unum tricenarium Defunctorum per Ordinem universum. »

Ad hunc annum, n. 3.

« Fuit Gregorius, inquit præcitatus vitæ illius Scriptor, multum virtuosus, Deo et B. Mariæ Virgini singulariter devotus, quibus preces assiduas omni die cum magnis fervore et intentione effundebat. Fuit insuper pauperum et afflictorum pius sustentator, consolator et largiflue benefactor, etc. »

SUPREMA EJUS IN NOS BENEFICIA.

II. Porro quanta fuerunt illius erga nos beneficia, tum

temporalia, tum spiritualia, suis locis jam recensuimus. Sed quæ moriens Majori Cartusiæ legavit illa longe superant. Nam suo testamento quod quatuor ante suum obitum annis condiderat, dena florenorum millia ad perficienda majoris Cartusiæ beneficia largitus est : « Item, ait, donamus et legamus decem millia florenorum semel pro complendo ædificia, per nos incœpta in Prioratu et Domo principali Ordinis Cartusiensis dudum per ignem casualiter consumpta, ultra alias pecunias per nos concessas et expensas ibidem ; hortantes Priorem majorem, et alios inferiores ac totum Ordinem, ut pro nobis quamdiu vixerimus, et bono statu Ecclesiæ Romanæ, etiam post transitum nostrum pro animæ nostræ salute preces devotissimas effundere habeant omnium Creatori. Cæterum, in casu quo supradicta... decem millia per nos legata Domui Cartusiensi a Ludovico archiepiscopo Moguntino, et ab Ordine Cisterciensi de Alemania haberi non possent : in eo casu obligamus et afficimus eis subsidia de tempore nostro imposita clero Angliæ, Castellæ et Portugaliæ, ac pecunias debitas in insula Siciliæ nobis et dictæ Cameræ ; quæ ad ducenta millia florenorum et ultra creduntur ascendere. » Tot beneficiorum memoria post tria secula jam elapsa etiamnum viget apud Cartusiam, ubi singulis diebus dominicis in Capitulo anima Gregorii nominatim precibus monachorum commendatur.

ANNUS 1378

Spicileg. Dacherii, p. 682.

III. Eo igitur mortuo, tumultuante populo Romano et Papam creari suum gentilem cum minis petente, eligitur Urbanus VI, et die 18 Aprilis qua Resurrectio dominica celebrabatur, præsentibus Cardinalibus electoribus, Romæ solemniter coronatur, moxque in sequentibus nostri Ordinis Comitiis, die sexta decima Maii celebratis, ut verus Papa habitus, preces pro more per totum Ordinem his obtinet verbis :

URBANUS SEXTUS ELIGITUR.

« Pro sanctissimo in Christo Patre Domino nostro, Domino Urbano Papa VI, noviter creato. Et ut Deus sub suo regimine statum sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ dignetur reparare, fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium de Spiritu Sancto. Et concedimus sibi per totum Ordinem

ANNUS
1378

plenum cum psalteriis monachatum (nempe post illius obitum persolvendum) ». Statimque Patres Diffinitores quasi prophetico spiritu, imminens schisma divinassent aut timuissent, addunt : « et pro pace et pro statu Ecclesiæ dicatur oratio : *Ecclesiæ tuæ,* etc., et pro eodem Domino Papa, dicatur oratio : *Deus, omnium fidelium Pastor etc.* » Nec immerito tantum malum Nostri reformidabant, quod per 30 annos quibus Ordo Cartusiensis corpore, ut ita dicam, sive consuetudine, non tamen corde, non fide, non in observantiis divisus est, experti sunt ; coacti etiam aliquando suos pati utriusque partis rebus se immiscere, ut suis locis videbimus.

Schisma oritur in Ecclesia.

Itaque Cardinales Urbani electores, cum per aliquot menses eum verbis factisque (fictis an rectis ? solus cum eis novit scrutans corda et renes Deus) ut verum ac legitimum Papam coluissent, et apud omnes Principes ut talem prædicassent, Anagniam se recipiunt ; ibique quantumvis sero constantes suam de eo electionem irritam esse, ob illatam a populo sibi vim, ipsi Urbano denuntiant ut adsit coram sacro Collegio Pontificatum abdicaturus tanquam qui per violentiam in eum fuisset intrusus. Inter eos qui hujusmodi interpellationem nomine Cardinalium Urbano significarunt, annumeratur Joannes Grillus, Salernitanus, professus cartusiæ Padulæ, tunc Prior Neapolitanus ac principalis Domorum Lombardiæ remotæ Visitator, apud curiam romanam generalis Ordinis nostri Procurator, quem autor Vitæ Stephani Maconi scribit postea « gradu deturbatum, quod transfugis Cardinalibus adhæsisset ; iisdemque autoribus, primus Urbanum summum Pontificem adiverit ei intrepide persuasum ut Pontificatu abiret, utpote qui male adeptus illum fuerat. » Simile quid habetur in Historia hujus schismatis ante paucos annos gallice edita*. Quomodo vero Clementi VII adhæserit et postea resipuerit, postea dicemus. Urbanus sciens Cartusiensium exemplum apud omnes plurimum valere, plures e Nostris uni Grillo opponendos esse censuit, ita suadente sancta Catharina Senensi. Accersitum igitur ad se e cartusia Belriguardi Nicolaum de Francia, ejusdem seraphicæ

Lib. II, cap. 3.

* Autore Lud. Maimbourg.

virginis amicum, ad Regem Franciæ legatum mittit. Deinde ad Bartholomæum Seraphini Ravennatem, Genuensis cartusiæ alumnum, tunc vero Gorgonensem Priorem, data bulla, jussit quantocius Romam accedere, assumptis secum Joanne Berti Pisanæ cartusiæ præfecto, Joanne a Cellis Vallis umbrosæ monacho, Luca ex Humiliatorum Ordine, Thadeo Urbevetano religioso Dominicano, cunctis seraphicæ virgini optime notis. Extat hæc Bulla in Vita Stephani Maconi in hanc sententiam :

ANNUS 1378

Lib. IV, cap. 5.

« Urbanus Papa sextus, dilecto in Christo filio Bartholomæo de Ravenna, cartusiæ Gorgonæ Priori salutem, et apostolicam benedictionem. Cum Petri navis, quæ in hoc mare magnum et spatiosum manibus, turbulentissimis procellis ac tempestatibus maligni dæmonis furore excitatis agitatur, valentissimorum remigum egeat, qui morum sanctitate possint nobis ad ejus gubernationem administrandam esse adjumentum, ut eam ad tranquilliorem portum perducere valeamus, facit ut talium virorum copiam præsto nobis esse in hac alma Urbe cupiamus. Te igitur, de cujus virtute bonum testimonium, ipso bonorum operum tuorum odore late manante habemus, huc duximus evocandum simul cum dilectis in Christo filiis Joanne a Cellis Vallis umbrosæ, Joanne cartusiæ vallis Calcis Priore, Luca ex Humiliatorum Ordine, Thadeo Urbevetano ex Ordine Prædicatorum, Leonardo a Montepolitiano ex Ordine Minorum, et Gulielmo anglo ex Ordine Heremitanorum. Quos omnes in Domino hortamur ut ad Apostolica limina, fortiora non expectantes mandata, primo quoque tempore veniatis ; ut per præsentiam intelligatis carum et gratum nobis vestrum adventum fuisse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VIII Idus Septembris, Pontificatus nostri anno primo. »

Ad se vocat Urbanus, ut adjutores, quosdam Cartusianos.

Inter quos erat Bartholom. Ravennas.

Has Pontificis Literas ipsamet sancta Catharina ad nostrum Bartholomæum mittendas curavit, quibus et addidit hanc epistolam qua eum hortatur ut quamprimum curet summi Pontificis exhaurire mandata :

cui scribit S. Catharina,

« In nomine Jesu crucifixi et dulcis Mariæ. Dilectissime

Epistola c.

ANNUS 1378

fili in Christo dulci Jesu, ego Catharina servorum Jesu Christi servula, in pretiosissimo ejus sanguine ad te scribo, desiderans te magno fervere zelo ad famulandum dulci Sponsæ Christi tantis in rerum angustiis constitutæ. Ecce jam venit dies in quo quis amet veritatem, quis detrectet eam, ex facili videbitur. Nunc ergo, elapsis dormitandi horis, somnum discutias, sanguinemque Christi Jesu, quo stimuleris ad pugnam, consideres necesse est. Sanctissimus Pater, mitis Urbanus Papa VI, solus et verus Pontifex summus, viam ingressus, ut res declarat, sanctæ Ecclesiæ reformandæ, servos Dei quorum consiliis ipse Christique pariter Ecclesia fructum percipiant, optat arcessere; qua de causa bullam tibi mittit ut operam navare et apud denuntiatas in ea personas intervenire velis; quod omni festinatione maximoque studio, ne forte patiatur inde Ecclesia Dei, satagas adimplere, postposito quovis negotio ut Pontificis exequaris mandata. Inde electos hortare Fratres ut veniant, urge ut properent; noli tardare, propter amorem Dei, jam noli tardare; ingredere in hunc hortum opera Domini operaturus. Alio, scilicet ad Regem Galliæ, missus est a Pontifice frater N. pro quo roges Dominum decet, ut bonus sit semper operarius, vitam suam dans pro Ecclesia Christi, si res ita ferat. Animo magno est sanctissimus Pater, forti pectore præstabilis, justus honoremque Dei zelans nimis. Satis jam verborum est. Semper in piissima et suavissima Dei dilectione maneas, atque in sanguine Jesu crucifixi demergaris. Jesu dulcis! Amor Jesu! »

ut quam primum veniat.

Nicolaum cartusiensem ad Regem Franciæ legatum mittit Urbanus.

Epistol. XCII.

Hunc Fratrem fuisse Nicolaum de Francia conjicimus ex littera N. (si tamen non sit legendum R. ut in quibusdam codicibus), tum ex ejus cognomine quod ei ex patria tributum fuisse verisimile est. Quid apud Regem Nicolaus egerit, vel etiam utrum ad ipsum usque pervenerit, hactenus nos latuit. Ipsum vero fuisse monachum piissimum, ac spiritualibus rebus addictissimum ex alia sanctæ Catharinæ ad eum epistola colligimus, in qua agit de fortitudine et magnanimitate quam suis divina charitas infundit ad resistendum quibuscumque tentationibus.

ANNUS 1378

Posthac præfuit Nicolaus Domui Lucæ anno 1380. Sed caræ solitudinis quietem perplexis munerum impedimentis præferens, obtenta abdicandi licentia, solus cum Deo in cella absconditus, residuum vitæ transegit. Cum in quibus codicibus prior littera monachi ab Urbano in Franciam legati scribatur R., posset fieri hunc fuisse Robertum professum Domus Neapolitanæ, quem videbimus anno 1380 in Priorem Romanum institutum.

Alter Pontifex eligitur, Clemens VII dictus.

Inter hæc, Cardinales, relicta Anagnia Fundos, Campaniæ urbem, pergunt, ac paulo post, favente Joanna Apuliæ regina, Robertum e comitibus Gebennensibus, episcopum Cameracensem et S. R. E. cardinalem, novum Papam, mense Septembri deligunt; qui paulo post solemniter ante fores ecclesiæ majoris Fundanæ coronatus, nomen Clementis VII assumpsit, annoque sequenti, circa Junium Avenionem repetens, ibidem ad obitum usque summum Pontificem egit. Funesto itaque schismate divisus est orbis Christianus. Pars maxima, scilicet Italia, Germania, Pannonia, Anglia et plures aliæ Provinciæ Urbanum jam prius ab omnibus verum Papam habitum secutæ sunt. Clementi vero minor pars adhæsit, nam præter Galliam, Hispaniam et Scotiam, pauci factioni illius faverunt. Neutri pars quædam studere professa est; hancque plerique Nostrum per quatuor annos complexi sunt, cum alterum ex electis tuta conscientia, propter ignorantiam invincibilem, agnoscere potuissent. « Nam etsi necessarium esset credere unicum Vicarium Christi, sicut unicam Ecclesiam; tamen si contigit plures per schisma creari summos Pontifices; uno et eodem tempore, non videtur de necessitate salutis credere istum esse vel illum, sed alterum eorum, qui scilicet fuerit canonice assumptus. Quis autem fuerit canonice electus non tenetur quis scire, sicut nec Jus canonicum, sed in hoc populi sequi possunt Majores suos seu Prælatos. Quamobrem multæ disputationes exortæ sunt, utraque obedientia habuit religiosissimos, et quod majus est etiam miraculis fulgentes. Nec unquam potuit quæstio hæc decidi, quin manserit apud multos dubia, » licet modo Ur-

S. Antoninus. Histor. III P. tit. XXII. c. 2.

ANNUS
1378

Hanc novam electionem

Historici nostri hujus temporis,

alii approbarunt,

improbarunt alii.

bani electionem legitimiorem fuisse multi censeant. Unde accidit ut Autores originem hujus schismatis diverso modo descripserint, unusquisque juxta affectum quo erga partem cui favebat, propensus erat. Nec rerum nostrarum Scriptores hujusmodi vitii expertes reperio. Continuator Chronici Priorum Cartusiæ qui sub finem schismatis floruit, et videtur natione Gallus, Clementem verum Pontificem fuisse existimavit et scripsit. « Anno, inquit, Prioratus ejusdem R. P. Guillelmi Raynaldi, Prioris Cartusiæ decimo (melius undecimo) qui fuit annus trecentesimus septuagesimus septimus (more gallico) post obitum Domini Gregorii papæ undecimi, ortum fuit schisma satis durum in Ecclesia Dei. Nam ex violentia Romanorum, quidam Bartholomæus Ravennensis intrusus est in Papatu. Contra hunc de communi consensu Cardinalium, electus est Dominus Clemens Papa VII. » Hæc ille. Autor vero *Speculi Cartusiensis* quod sub Nicolao V composuit, rem sic enarrat : « Tempore præfati Domni Guillelmi Prioris, scilicet anno Domini 1378, Ordine Cartusianorum in quiete et summa reverentia, Dei providentia persistente, contigit in Ecclesia Dei sancta, permissu divino, inter triticum seminante Maligno zizania (ut assolet) et quasi irremediabiliter et damnabiliter pullulante, videlicet illud detestandum ac nimis flebile schisma, post obitum felicis recordationis Domini Gregorii Papæ XI. Celebrata denique Romæ per Dominos Cardinales pro novo Papa electione, creatus fuit in Pontificem Dominus Urbanus hujus nominis VI. Dehinc, nescitur quo Dei judicio sine cujus nutu nec ab arbore folium cadit, parvo spatio post hanc electionem celebratam, schisma contigit inter Cardinales ; nam una pars Romæ remansit cum electo suo, altera vero recessit novum creando Papam, et convenit in unum Clementem, curiam suam tenentes in Avenione. Accidit autem eodem secundæ electionis die, vel saltem eo tempore, duos Fratres de Ordine Prædicatorum ad Domum Cartusiæ casu devenire. Conferentibus eisdem cum Domno Cartusiæ forte de statu Ecclesiæ, unus eorum petiit sibi afferri Apocalypsis librum ; quo

allato revolvit per folia; cum autem venisset ad locum Scripturæ, quasi per prophetiam : Ecce, inquit, hæc prophetia hodie in Ecclesia Dei impleta est. Et sic Ecclesia claudicabat et nutabat ex utraque parte ; sicque Ordo permansit per biennium, nec uni nec alteri perfecte adhærendo. »

ANNUS 1378

Prior cartusiæ Neapolitanæ Clementis partes sequitur.

Electo igitur Clemente, noster Grillus de quo jam supra, approbante ac jubente Joanna regina, Fundis remansit, negotia Ordinis apud eum procuraturus. Deinde Neapolim reversus, indifferentem se exhibuit utrisque partibus, pro Principum voluntate se dedens. Anno enim 1381, accepto mandato a Priore Trisultano, quem Urbanus Visitatorem Ordinis generalem creaverat, Domum Novæ Lucis in Sicilia in manus Episcopi Catanensis reposuit; sed cum adhuc in obedientia Urbani titubare videretur, regimine Neapolitano, jubente eodem Pontifice, spoliatur. Repetita inde solitudine per aliquot menses privatus degit apud suos Padulanos, quibus et paulo post a pertinacia et inconstantia revocatus præficitur, tandemque Neapolitanis restitutus, in officio Prioris et Visitatoris Lombardiæ remotæ, pie decessit anno 1383, die 2 Novembris, et per Chartam Capituli generalis Bononiæ anno sequenti celebrati, habuit monachatum per Domos Urbano subjectas.

Vita Steph. Maconi, ubi supra.

Ex Mss. Domus Neapolit.

Petrus cartusiæ Mediolanensis monachus causæ Urbani favet.

Latebat tunc in quadam Domo Italiæ alter monachus Cartusiensis dictus Petrus de Mediolano, quod forsan cartusiæ Mediolanensis esset primo professus, nam invenimus eum alteram pro more temporis professionem emisisse in Majori Cartusia. Ut ut sit, vir erat sanctus, pietate, zelo, prudentia adeo instructus, ut viris præstantioribus qui unquam inter nos floruerunt merito sit comparandus. Hæc Vatis regii verba : zelus domus tuæ comedit me, sibi potuit vindicare. Cum enim Ecclesia Dei nascente schismate inciperet pati scissuram, divino concitatus spiritu, decrevit adire Reges Principesque ut vel fide titubantes legitimo Papæ debita confirmaret, vel jam ab officio distractos revocaret; paratus non curam solum et laborem sed vitam ipsam ponere pro tunica Christi integre conservanda. At ut erat vir prudens ne quidquam

Ephemerid. Cartusianæ, ad diem xxx Maii.

ANNUS 1378

inconsiderate adoriretur in tanto negotio, eo difficiliori quo ab homine solitario magis alienum videbatur, sanctam Catharinam Senensem magistram in spiritualibus olim suam, tanquam istius seculi oraculum, de totius rei serie prius consulendum censuit, scriptis ad eam literis, quarum tenor nondum ad nos pervenit. Laudavit beata virgo discipuli propositum et ad illud sollicite citoque citius perficiendum accendit, dato ad ejus epistolam sequenti responso : « Suscepi literas tuas, quas cum multa perlegi animi consolatione. Obtestor te ut desiderium tibi a Deo adspiratum sanctam ineundi peregrinationem, vitamque tuam exponendi pro nominis ejus gloria, nunquam in animo tuo defervescere sinas; imo potius in dies facias illud nova capere incrementa, hac ipsa hora incipiens inter Christianos tueri veritatem, Ecclesiæ honori consulere, hominibus reverentiam inspirare Urbano VI tanquam vero ac legitimo Pontifici maximo debitam. Hæc enim sunt pro quorum defensione vita jure profundenda est. Quantum ad priorem epistolæ tuæ partem qua me rogas, ut in me peccata tua suscipiam, libenter promitto in charitate Dei, qui sanguinem Filii sui nobis, dedit quod omnia illa recipiam in me; obsecrando Dei bonitatem quatenus illa in me vindicet, ut sic tua et maledicta in conflatorio divinæ charitatis consumantur. His addam et novam aliam obsecrationem, ut per suam infinitam bonitatem, gratiam et misericordiam, nobis favorem indulgeat ponendi animam pro Ejus honore et obsequio. Tu quoque consimili modo cures ut illo sanguine pascaris et naviculam mentis solidis virtutibus instruas. » Hæc illa. Apud quam cum idem Petrus de moris suo desiderio interpositis conquestus esset, aliam ab ea consolatoriam accepit epistolam in qua, postquam eum sancta ejus didascalissa ad meditationem sanguinis Filii Dei animavit, de præsenti negotio sic agit : « Spondeo tibi quia si tempus advenit ad quod tecum aspirant multi servi Dei, et si queam obtinere facultatem a Christi Jesu Vicario, hoc libenter exequar, ut vestra desideria impleantur. Ad hoc tuas orationes dirige, ut nulla nobis amplius remora fiat. Quan-

Eum adhortatur S. Catharina,

et suis sustentat literis.

Epistol. LX.

ANNUS 1378

tum ad me attinet, quotidie morior, et nec mori possum videns Salvatorem nostrum in corpore suo mystico sanctæ Ecclesiæ tam graviter offendi, cum ii qui pro sanctæ fidei decore illustrando laborare debuerant, primi sint qui eam deturpare non vereantur. Horum omnium malorum causam imputo peccatis meis. Quæramus igitur refugium ad Christi dulcissimum latus, in quo commorari si licuerit, pulsemus confidenter ad januam misericordiæ ejus. » An optatis tunc fruitus fuerit Petrus, non inveni. Constat solummodo quod post mortem S. Catharinæ, videns ille, ut in quodam codice legi, « Urbanum de suo imperio stabiliendo, quam de pace Ecclesiæ procuranda magis sollicitum, » in amicas Majoris Cartusiæ rupes se abdiderit, donec anno 1387 novæ plantationi Astensi præficeretur.

BULLA URBANI IN FAVOREM LONDON. CARTUSIÆ.

IV. Angli Cartusienses, regis sui ad exemplum Urbani partes primum secuti, ab eo sequentem Bullam in gratiam Patrum Londoniensium hoc anno obtinuerunt, qua licet eis quædam beneficia novæ cartusiæ in augmentum dotis illius adscribere.

« Urbanus, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et conventui novæ Domus Matris Dei, prope Londonias, Ordinis Cartusiensis, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte vestra petitio, continebat quod dudum felicis recordationis Clementi Papæ sexto prædecessori nostro, exposito quod quondam Walterus de Manny, miles, Cameracensis diœcesis, tempore quo mortalitas hominum vigebat in partibus Anglicanis, locum seu fundum quemdam prope Londonias acquisiverat, quem de licentia Ordinarii, in cimiterium pro sepultura pauperum dedicari, et capellam in eodem fundo ædificari fecerat opere sumptuoso ; in quo collegium duodecim capellanorum, et unus qui præesset eisdem, ordinare de bonis propriis et sufficienter dotare disposuerat ; ac eidem prædecessori supplicato, ut eidem Militi fundandi et dandi licentiam hujusmodi concedere dignaretur : idem prædecessor Archiepiscopo Cantuariensi et Episcopo Londoniensi, non expressis nomi-

ANNUS 1378

nibus, vel eorum alteri dando per suas Literas facultatem, collegium, juxta ordinationem utriusque vel alterius ipsorum, de perpetuis capellanis vel ministris usque ad dictum vel alium majorem numerum prout eidem Militi videretur, ac persona quæ eidem collegio præesset, faciendum in dicta capella fundandi, dote tamen sufficienti dictæ capellæ de bonis ipsius Militis primitus assignata, jure parochialis ecclesiæ et cujuslibet alterius semper salvo, ad instantiam ejusdem Militis duxerat concedendam. Ac insuper uniendi ea vice eidem collegio instituto prius et dotato, tria beneficia ecclesiastica in regno Angliæ consistentia, quorum fructus centum librarum sterlingorum summam (secundum taxationem decimæ) non excedant, ad cujuscumque patronatum spectantia, patronorum ad id consensu accedente, prout in eisdem Literis ejusdem prædecessoris plenius continetur : et demum, prout eadem petitio subjungebat, bonæ memoriæ Michael episcopus Londoniensis, et idem Miles, prædicto collegio nondum instituto, conventum duplicem monachorum Ordinis Cartusiensis in loco prædicto, mutato proposito dicti Militis, fundaverunt. Quare nobis humiliter supplicari fecistis quatenus eisdem Archiepiscopo et Episcopo similem uniendi Domui seu conventui vestro beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, ad summam ducentarum librarum sterlingorum (secundum taxationem decimæ) ascendentia, in dicto regno consistentia, ad quorumcumque etiam laicorum patronatum pertineant, dummodo patronorum ad id accedat assensus, et ipsa beneficia dictam summam non excedant, facultatem concedere dignaremur : Nos igitur vestris, in hac parte, supplicationibus inclinati, venerabili fratri Archiepiscopo Cantuariensi, uniendi, hac vice duntaxat, autoritate apostolica, ecclesias parochiales seu beneficia ecclesiastica.... plenam et liberam tenore præsentium potestatem concedimus. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem trans Tiberim, pridie Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo. »

FUNDATIO DOMUS DE HULL IN ANGLIA COMPLETUR.

V. Diximus Anglos Patres primum adhæsisse Urbano : nam videbimus eos posthac Priori Majoris Cartusiæ et Capitulo

generali ibidem celebrato obedientiam præstitisse usque ad annum 1381. Imo et hoc ipso quem decurrimus anno, post electionem utriusque Pontificis, Michael de la Pole, miles Anglus, absolutis ad novam plantationem Cartusiensem magis necessariis ædificiis, monasterium olim pro Clarissis inchoatum, Monachis nostris autoritate Guillelmi Cartusiæ Prioris ex aliis Domibus Angliæ ad se missis, sub finem hujus anni attribuit, confectaque sufficienti dote instruxit ; scriptis, ineunte anno sequenti, tabulis sub tali forma :

ANNUS 1378

Literæ dotales.

Monastic. Anglic. in cartus. de Kingston.

« Universis Christi fidelibus præsentes has Literas visuris vel audituris, Michael de la Pole, miles, dominus Mingfeild, salutem in Domino sempiternam. Dum in nostra jugiter mente revolvimus, quod dominus Willielmus de la Pole miles, jam defunctus, nuper dum vixit, divinitus instigatus, quoddam Hospitale pauperum primo, et postmodum mutato pro majori devotione proposito suo hujusmodi, quamdam Domum religiosam Monialium seu Sororum Minorissarum Regularium Ordinis sanctæ Claræ et Pauperum, ad dilatationem et decorem Ecclesiæ Anglicanæ et ut hæredem sibi Christum constitueret, apud Kingston super Hull fundare et stabilire proposuerit; et cum idem pater noster finem mundanis imponens, donationem suam prædictam non impleverit, et prout idem pater noster ante obitum suum oretenus nobis injunxerit, ut secundum voluntatem et discretionem nostram de dicta Domo pro majori devotione nostra disponeremus : cupimus corditer et sollicite desiderium et devotionem dicti patris nostri effectualiter adimplere, et pro securiore regimine et meliore tuitione dictæ Domus salubriter providere ; idcirco noveritis, quod ad honorem Dei, et gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus ac B. Michaelis archangeli, et omnium Archangelorum Angelorumque, omniumque SS. Spirituum, ac B. Thomæ martyris dudum archiepiscopi Cantuariensis, et aliorum Spirituum Dei, et ob specialem affectionem quam ad devotissimam Religionem Ordinis Cartusiensis gerimus et habemus, de licentia et autoritate metuendissimi Domini nostri Edwardi, nuper regis Angliæ III post conquestum, jam

ANNUS 1378

defuncti, et aliorum quorum assensus in isto casu requirendus existit; fundamus et facimus in quodam messuagio nostro, extra muros dictæ villæ de Kingston super Hull quamdam Domum religiosam, perpetuis temporibus duraturam : loco vero dictarum Monialium vel Sororum quæ inibi nondum sunt constitutæ, tredecim Monachos de prædicto Ordine Cartusiensi, quorum unus vocetur et sit Prior et juxta Ordinis illius Regulam regimen habeat in alios, per quos tutius, vigilantius et devotius quam per mulieres in dicta Domo verisimiliter credimus deserviri (quam ex nunc Domum S. Michaelis Ordinis Cartusiensis volumus nominari), ponimus, constituimus et ordinamus per præsentes, ac per assensum Prioris Cartusiensis Majoris in Sabaudia, quæ est principalis Domus Ordinis prædicti, ubi etiam dictus Ordo cœpit originem, facimus Domnum Walterum de Kele Priorem Monachorum Domus nostræ prædictæ. Donamus etiam et concedimus de licentia et autoritate nobilissimi Principis et Domini nostri Domini Richardi, nunc regis Angliæ illustris, ac aliorum quorum interest ; et per alias Literas nostras confirmamus præfatis Priori et Monachis dictum messuagium cum pertinentiis, continens septem acras terræ, quod nuper fuit pro cella manerii de Reton, et vocabatur olim *La Maison Dieu,* et quod nunc Domus S. Michaelis, Ordinis Cartusiensis de Kingston super Hull, ut primitus volumus vocitari, una cum quadam cappella in eodem messuagio constructa, et omnibus aliis beneficiis ibidem ædificatis et aliis pertinentiis suis quibuscumque, prout situatum inter quamdam foveam dominæ Katarinæ de la Pole, matris nostræ carissimæ, versus Occidentem, et quoddam hospitale nostrum nunc vocatum La Maison Dieu versus Orientem, et inter quoddam fossatum dictæ matris nostræ versus Austrum, et terram quamdam Rogerii Swerde versus Boream... Volumus itaque et ordinamus, quod dicti Prior et monachi et eorum successores, habeant specialiter in Missis, orationibus et aliis divinis servitiis recommendatum statum nobilissimi Domini nostri regis Richardi prædicti, et nostrum, ac nobilissimæ do-

Messuagium conceditur.

ANNUS 1378

Pro quibus orare tenebuntur hujus Domus Monachi.

minæ nostræ et matris meæ, dominæ Katarinæ, et Katarinæ consortis nostræ carissimæ, domini Edmundi fratris nostri, ac Michaelis filii et hæredis nostri, et aliorum liberorum et hæredum nostrorum; necnon venerabilis Patris Alexandri archiepiscopi Eboracensis, ac domini Joannis de Abbello domini de Raby ac domini Richardi de Scropo, dum vixerimus; et cum ab hac luce migraverimus, orent, celebrent, et celebrare faciant pro animabus nostris, ac specialiter et continue pro anima dicti Domini nostri regis Edwardi defuncti, et pro anima præclari patris nostri antedicti, et pro animabus Walteri et Thomæ fratrum nostrorum militum, ac Blanchiæ sororis nostræ, nuper uxoris dicti domini Richardi de Scropo, et animabus domini Radulphi de Mebil patris, et Alixiæ matris prædicti Joannis, et Mathildæ uxoris ejusdem Joannis, ac omnium benefactorum nostrorum, et ipsius patris nostri, et pro quibus orare tenemur, et omnium Fidelium defunctorum. Et nos prædictus Michael, et hæredes nostri, idem messuagium, cappella, et ædificia cum omnibus pertinentibus suis apud dictam villam de Kingston, ac advocationem prædictam, necnon prædicta manerium, messuagia, terram, pasturam et reditum cum pertinentiis, sibi ut primitus remansura cum acciderint prædictis Priori et Monachis et eorum successoribus, contra omnes gentes warantizabimus et defendemus in perpetuum. In cujus rei testimonium præsentibus sigillum nostrum apposuimus. His testibus : prædicto domino Richardo de Scropo, tunc cancellario Angliæ, ac dominis Thoma de Sutton, Gerardo de Uffete, Waltero Fauconberge et Roberto de Rilton, militibus; Richardo de Sterbie tunc Majore dictæ villæ de Kingston super Hull, Roberto de Selbe et Waltero de Strost de eadem villa, et aliis. Datum apud Kingston super Hull, decimo octavo die Februarii, anno Domini 1378 et regni prædicti Domini nostri Richardi secundo. »

In his Literis signatur annus præsens 1378, qui revera juxta morem hodiernum fuit septuagesimus nonus, ut ex anno secundo Richardi regis colligere est.

Walsingh. ad ann. 1385.

ANNUS 1378

Secundus fundator moritur in exilio.

Harpsfeld, sect. XIV. cap. 7 et 30.

Posthac Michael id unum præcipue studens ut regi Richardo placeret, adeo penitus se dedit in ejus gratiam et familiaritatem, ut factus regni cancellarius et Suffolciæ comes, non privatim solummodo sed et publice togatus, quod genus solis regibus ab antiquo debetur, cum Richardo convivaretur. Hinc Procerum invidia, populique odio contractis, tanquam patriæ proditor ex Parlamenti decreto, Rege licet invito damnatus, in Gallias fugere cogitur, ibidem Parisiis mortuus et sepultus anno 1389.

Plures ille liberos habuit. Ex quibus Michael II primogenitus, patre prudentior, fortuna usus moderatius, et paternam hæreditatem et gratiam Procerum adeptus, posteros suos divitiis et honoribus claros reliquit. Wittingus, frater ejus, ex multis huic cartusiæ concessis bonis, nomen fundatoris meruit in Charta Capituli generalis anno 1394 in Germania habiti, ubi mortuus notatur.

Guillelmus fundatoris nepos, ex comite fit marchio ac mox dux Suffolciæ ab Henrico VI, rege Angliæ. Joannes vero comes Lincolniæ, filius ejus, ex sorore Eduardi IV regis quam in uxorem duxit, plures liberos genuit, cujus primogenitus Joannes a Richardo III hæres Regni declaratus, cum ambitionem continere non posset, sumptis contra Henricum VII armis, statim cecidit, cum quo et hæc familia extincta est. Sed ad res hujus anni redeamus.

S. CATHARINÆ STEPHANUS FIT AMANUENSIS.

VI. Dum Romæ sancta Catharina Senensis res Urbani tuetur, Stephanus Maconus, quem Deus destinabat ad coadunanda quandoque Ordinis Cartusiensis membra schismate divisa, futurus et ipse totius Ordinis caput, ab eadem seraphica virgine virtutum studiis publice excolitur. « Qui, ne transversum quidem unguem (inquit autor Vitæ illius) a pia matre discedens, eo magis in dies singulos ardentissimo rerum cœlestium desiderio rapiebatur, quo miris ejusdem virginis sanctitatis exemplis ad puriorem sanctioremque vitam sectandam se sentiebat impelli, cœlesti illius doctrina quotidie pastus cum in epistolis conscribendis, uti supra demonstravimus, tum ex scriptione aurei propeque divini il-

lius voluminis, quod *Dialogi divæ Catharinæ Senensis* inscriptum manu typis excusum terimus. Cui conscribendo tunc vel maxime temporis operam dabat, cum beata virgo intima in Deum contemplatione absorpta, a terris sursum rapiebatur, atque e perenni divinæ Sapientiæ fonte hauriebat quidquid dictando ille calamo excipiebat. »

Epistol. ad Thomam Antonii de qua supra.

Hunc Dialogum non integrum sed tantum partem illius ex ore beatæ virginis se excepisse testatur ipsemet in quadam epistola, ubi ait : « Per supra scripta comprehendi potest, aliquibus annis habuisse me super quamplurimos etiam familiarissimam conversationem ejus (scilicet sanctæ Catharinæ), literas atque secreta sua et partem libri sui scribendo, et ab ore virgineo percipiendo : quia supra merita me nimis affectuose materna caritate dilexit, ita ut multi filiorum ejus ægre portarent et quamdam æmulationem haberent. Ego autem attente cum diligentia magna considerabam verba, mores et actus ejus in omnibus et per singula. » Quod igitur ab ea italice dictatum tunc ex parte opus exscribebat Stephanus, illud totum posthac jam senex effectus, verbum ex verbo in latinum transtulit, ut legi in quodam codice cujus initium tale est : « Incipit liber divinæ doctrinæ datæ per Personam æterni Patris intellectui loquentis almæ et admirabilis virginis Katerinæ de Senis, Jesu Christi sponsæ fidelissimæ, sibi sub habitu B. Dominici famulantis, conscriptus ipsa dictante licet vulgari sermone dum esset in extasi sive raptu, actualiter audiens quid in ea loqueretur ipse Dominus Deus, coram pluribus referendo. » Et ad calcem codicis ipse Stephanus se autorem versionis profitetur his verbis : « Iste liber latinizatus est a fratre Stephano de Senis, Priore licet indigno pariter et invito Domus sanctæ Mariæ de Gratia prope Papiam, Ordinis Cartusiensium, ad instantiam aliquorum Dei servorum ibidem (id est cartusiæ Papiensi) degentium, anno Domini 1419, 15 Aprilis. »

Librum Dialogorum S. Catharinæ transcripsit Stephanus, et latinum fecit,

quem Th. Loherius noster prælo dedit.

Hunc Dialogorum librum cum Vita illius noster Theodoricus Loher a Stratis, Prior Buxianus, testantibus eruditissimis Bollandianis, Coloniæ anno 1552 cudendum curavit;

ANNUS
1378

quem per Raymundum de Vinea, Ordinis Prædicatorum Magistrum generalem, Vitæ ejusdem beatæ virginis autorem, ex Italica lingua in latinam versum dicit. Utrum vero eadem sit versio quæ duobus attributa fuerit, decidere non valeo, cum editionem Loherii non viderim. Porro primum nostri codicis capitulum sic inscribitur : « Primum ergo capitulum in se continet quomodo per creationem unio fit in Deo ; et qualiter hæc anima de qua loquitur hic, in oratione sua quatuor petitiones Domino porrigebat. » Ita vero inchoatur idem capitulum : « Exurgens anima quædam versus honorem Dei, etc. » totumque opus continet 166 capitula, hisque desinit verbis : « Explicit liber divinæ doctrinæ datæ per personam Dei Patris intellectui loquentis almæ virginis Katerinæ de Senis, sub habitu beati Dominici Domino perfectissime famulantis, ore virgineo ipsa dictante, licet in vulgari sermone, dum in raptu erat suæ felicissimæ mortis. » Sed Acta Stephani prosequamur :

Stephanus Catharinam comitatur Romam euntem. Lib. I. cap. 10.

« Dum in hoc tranquillitatis portu securus, ut sibi videbatur, a præcipiti quocumque impetu conquiescit divinæ Virginis tutela egregie munitus, quæ instar gallinæ filios, quos Christo genuerat, sub suæ protectionis alis ab omni tentationis periculo incursuque dæmonum tueri curabat, latius in dies per læta Ecclesiæ arva dira serpebant schismatis contagia. Quibus supprimendis Urbanus pontifex multa ac varia per eos dies intenta animi cura meditatus, jussit super alia excogitata antidota parataque sibi præsidia, seraphicam virginem Romam acciri, quam summo Antistiti dicto audientem Stephanus magno cum sodalium comitatu sequutus est. Qui omnes ex evangelica paupertate victum sibi quæritantes, officio certabant inter se quis ex virginis mandato primus omnium tam honorificum munus ostiatim mendicandi avidior præriperet. Videres igitur, ut tradunt, Stephanum in eo mendicitatis munere exequendo, adeo alacrem et expeditum ut, cum ad præclaram natura inditam illi virtutum præstantiam ad Christianam moderationem et pietatem re et verbis explicandam, eximiam adjunxisset morum elegantiam, Urbe tamen Roma

ostiatim stipem corrogandi gratia incedenti altero sodali comitato, ac manticis e collo propendentibus onusto, nihil aliud sibi ob oculos propositum esse videretur, quam probra et contumelias lucrari. Nec eos fefellit interdum mentis cogitatus. Siquidem cum nonnulli ex infimæ plebis quisquiliis vim evangelicæ sapientiæ ignorantes, curiosius in eos conjicerent oculos adverterentque haud obscuris indiciis, atque vel præcipue ex corporis cultu, nulli religioso Cœtui Congregationive addictos, vagos confestim errantesque putabant ; ut qui laboribus manuum suarum victum sibi parare recusantes, desides marcescerent otio sordidæ mendicitati ultro assueti. Atque idcirco pretiosæ stipis loco, conviciis plerumque ludibriisque onusti delusique abirent, alacres tamen ac læti mandatum sibi munus curantes, quo explendo nunquam domum remigrare, quin certum ac locuples divinæ in se largitatis pignus referrent; tanta gestientes lætitia, ut inde pia Mater idoneam opportunitatem nacta eos ingrati animi erga divinam Bonitatem arguendi, doceret eos ut ex iis divinæ Benignitatis argumentis jam tandem perdiscerent ab omni cura vacui in cœlestis Patris providentia perpetuum conquiescere. Sane hoc loco Stephanus asseverare non dubitat, se identidem una cum tota domo in magnis rerum angustiis penuriaque constitutos, paternam divini Numinis adversum se curam expertos egregie. Sic ut sub idem tempus discumbendi necessaria ad vitam licet ægre tolerandam desiderantibus, pia nobilium quorumdam virorum beneficentia sibi ex imperato subsidio fuisset, quod uni secundum Deum acceptum ferebant seraphicæ Matri, cujus meritis Majestas illa divina nihil negare consueverat : adeo in ea sibi blandiebatur cœlestis Pater. Neque pia Mater his mortificationis studiis (ut vocant) contenta erat quibus publice filios suos exerceri gaudebat, sed etiam domi cum familiaria munia distribuisset in orbem, monstrabat magnum Dei munus esse humilitatis subire munera, quando in eis exercendis mens nostra in Christiana se animi submissione contineat. Cujus humilitatis odore illectus Stephanus, alacer præ cæteris sodalibus in sordida culinæ

ANNUS 1378

Ejus humilitas,

in proximum caritas,

ANNUS 1378

ministeria descendebat, et despicatissima quæque, libenti animo voluntateque tractabat ; opportunum interim tempus cæteris sociis relinquens ad pia incumbendi studia, quod idem, expletis domesticæ curæ officiis, sibi vacuum promittebat a munere. Quæ mutuæ charitatis obsequia tantam Stephano conciliabant benevolentiam, ut pariter sodalibus ac piæ Matri impense carus haberetur ac sedulus. Et post paulo Senas in patriam ad domestica quædam negotia transigenda redire coactus est, quo ut se conferret virgo beata vel invita eum adegit, parentibus ejus id enixe rogantibus. Roma igitur abeuntem Stephanum Senisque demorantem, pia Mater amantissimis prosequitur litteris et salutaribus monitis, studium ejus erga divinum obsequium fovet pariter et excitat, ne sui propter absentiam otio torpescat, neve exercitatio virtutum in eo domesticorum blandimentis forte delinito, aut mollioris vitæ commodis depravato elangueat. Is igitur blandientis sæculi fallacias veritus, ne scilicet ab officii religione paulum declinaret, publica sæpe nosocomia adibat, ubi linteatus vel cyanea indutus penula, ea in ægrotos charitatis munia obibat quorum magis eos indigere cernebat : tanta videlicet animi alacritate ac studio, ut ejus exemplo excitati quam plurimi ea ipsa faciendi arderent desiderio, amplexatus in idipsum Stephanus piæ Matris hortamenta sibi per id tempus scribentis, ut re et verbo cæteris esset exemplo ad virtutem capessendam. » Quomodo vero postea Romam reversus, præceptum ab eadem seraphica virgine acceperit Cartusiense institutum amplectendi, dicemus anno 1380.

et mundi despectus.

THEODATUS CARTUSIANUS MORITUR.

VII. Hoc etiam anno, in cartusia Pisarum, pie decessit Franciscus Theodatus, patria Florentinus, monachus sacerdos cartusiæ Pisarum, qui Bartholomæi Seraphini Gorgoniensis Domus Prioris et Fratrum illius cum fervore spiritus ibidem degentium bona fama attractus, volens et ipse sub tanto Patre strictiorem sectari observantiam, ad eamdem Domum se transferri petiit, et sanctæ virginis Catharinæ sibi intima autoritate obtinuit. Ubi dum moraretur meruit ab ipsa visitari et ejus cohonestari litteris, quarum duæ extant inter

ejus epistolas. In priori agit sancta præceptrix de perseverantia in itinere virtutis et in sancto vitæ proposito, de animi constantia et patientia dictam perseverantiam comitantibus. In altera epistola disserit de cognitione suiipsius et de modo ipsam adipiscendi, et de consequentibus utilitatibus. Deinde subjungit de variis speciebus orationis, tum vocalis tum mentalis. Cum per aliquot annos Franciscus solitudinem asperrimam apud Gorgonam servasset, a superioribus Pisas remissus, ibidem diem clausit extremum, habuitque per totum Ordinem tricenarium defunctorum.

ANNUS 1378

Ei duas S. Catharina direxerat epistolas. Epistol. LXIV et LXV.

Duo quoque alii qui sanctam virginem secum familiaritate conjunctam habuerant, eodem tempore obierunt, quorum prior vocatus Betinus de Monte-pergolo; Domos Bononiæ, Mediolani et Pontiniani ab anno 1350 ad præsentem in utroque statu sapienter rexerat. Alter vero vocatus Franciscus, cartusiæ Romanæ præfectus, consuetudinem cum virgine contraxerat, occasione ejusdem monachi suæ Domus tentati, de quo anno superiori diximus. Uterque, Betinus videlicet et Franciscus, de Ordine bene meriti, in Charta hujus anni ubi denunciantur mortui, beneficium tricenarii obtinuerunt.

VIII. Hoc pariter anno, die decima Aprilis, sanctissime decessit, sicut vixerat, venerandus Pater Ludolphus de Saxonia, qui Christi Jesu Salvatoris nostri Vitam aureo prosecutus opere, immortale sibi apud posteros nomen conciliavit. Hic Saxonia terra oriundus (unde et Saxo vel de Saxonia cognomen habuit) cum viginti et sex annos aut circiter inter PP. Ordinis Prædicatorum sancte vixisset, desiderio solitudinis ac cœlestium rerum contemplationis majoris incensus, Cartusiense institutum in Domo Argentinensi circa annum 1340 complectitur. At vix tanto tamque diu quæsito bono per triennium fruitus erat, cum a Conventualibus novæ Domus Confluentinæ Rectore per Chartam anni 1343 orbatis, quibus et concessum fuerat a Patribus, « quod loco Rectoris possent eligere idoneum Priorem (sunt verba chartæ Capituli generalis) secundum jura et Ordinis instituta », in Patrem et Pastorem eligitur. Obedivit ille, quamvis invitus, voci vocanti se,

LUDOLPHUS DE SAXONIA OBIIT.

Ex Chronico ms. hujus Domus.

ANNUS 1378

Ex Charta Capituli anni 1348.

sed tanto oneri se imparem ex humilitate ratus, adeo enixe per quinquennium egit apud Patres, ut tandem absolutionem suam a Prioratu obtinuerit his verbis : « Priori Domus Confluentiæ, ad sui instantiam et ad sedandum scrupulum conscientiæ suæ et aliorum, fit misericordia, etc. » Hæc autem Charta ad Ludolphum pertinere noster Garnefeltius optime censet; iste vero conscientiæ scrupulus eum maxime videtur cœpisse, quod per Statuta nostra prohibitum esset Religiosos hujusmodi ad nos transeuntes, « sine dispensatione summi Pontificis ad obedientias Ordinis evehi. » Non est tamen verisimile eum tanto tempore præfuisse sine hujusmodi dispensatione quam facile erat impetrare. Sed forsan vir humilis defectus in ea vidit vel innocenter adinvenit, ut gratiam tam vehementer petitam facilius extorqueret. Ut ut sit, omni exteriori munere solutus, Moguntinam cartusiam primum petiit, deinde ad Argentinensem suæ professionis Domum reversus, ibidem feliciter decessit ut constat ex Charta hujus anni quæ sic habet : « Obiit D. Ludolphus monachus et sacerdos Domus prope Argentinam, qui habet tricenarium, etc. » Dies vero emortualis in necrologiis Confluentinæ et Argentinæ Domorum signatur ad decimum Aprilis. Porro eum solitudinem ad obitum usque strictissime coluisse, tenemus contra Bostium scribentem « eum habuisse singulas bibliothecas visitandi gratiam ut librorum compositioni posset vacare liberius. » Nec enim ullo modo constat de hujusmodi gratia Statutis nostris prorsus contraria.

Not. ad Vit. B. Nic. Albergati. p. 182.

Stat. Nov. II, P., c. 2. n. 9.

Apud Scriptores celebris.

Celebris est Ludolphi memoria apud Scriptores. Eum laudat Trithemius quod fuerit ingenio mitis, eloquio dulcis atque compositus, vita quoque et conversatione insignis. Schedelius, in suo Chronico, eum dicit doctrina ac morum sanctitate conspicuum. Non minoribus laudibus cohonestatur a Possevino jam citato, Sixto Senensi, Bostio carmelitano, Philippo Bergomate, Bellarmino (qui eum vocat Landulphum), Jacobo Wimphelingo in catalogo Episcoporum Argentinensium, et aliis pluribus ; qui omnes eum Priorem Argentinæ faciunt, cum tamen constet nullibi præfuisse quam

De Viris illustr. et scriptoribus eccles.

Sixt. Sen. Bibliothec. sacr. lib. IV.

Sub Bertholdo II.

Confluentiæ. Nec eum prætermiserunt recentiores Dominicani Scriptores, ut videre est apud Alphonsum Fernandez in *Notitia Scriptorum Prædicatoriæ familiæ,* et Ambrosium de Altamura in sua *Bibliotheca Dominicana ;* qui omnes eum semper tum apud eos, tum apud nos sanctissime vixisse profitentur. Ejus porro opera a nostro Petreio recensita hæc sunt :

ANNUS 1378

Ad an. 1334.

1. Vita Domini Nostri Jesu Christi, quam ex quatuor Evangelistarum textu conflavit ; adjectis ad finem singulorum capitum precationibus quam pientissimis. Egregium sane opus et quodam cœlesti artificio (ut loquitur Schedelius) imo divina potius revelatione quam studio fabricatum. Unde non mirum si omnes suos lectores in admirationem rapiat, et tanquam sidus quoddam humanas illustret mentes. Hos in ejus lectione effectus senserat Bostius, dicens illum sibi velut thesaurum fuisse, quoties abditum quæreret. Non ita Hæretici qui, traditionem et Patrum autoritatem non admittentes, Ludolphum multa admiscuisse criminantur quæ apud Evangelistas non legantur. At viri sanæ mentis et doctrinæ, conveniunt eum in omnibus se ostendere æque veracem ac venerabilem, et omnium rerum tam divinarum quam humanarum et potissimum Jesu Christi vitæ (prout homini potuit esse possibile) plenissimam habuisse notitiam. Et quidem quam avide hoc divinum opus distrahatur, ostendit frequens illius impressio. In ipsa plane calcographiæ infantia typis mandatum fuit, sed locus aut annus non designantur*. Deinde Nurembergæ, apud Antoninum Koberger anno 1494, moxque Parisiis per Felicem Ballingant anno 1497. Quarto ibidem et eodem anno per Bertrandum Stephani. Quinto ibidem prodiit an. 1502 apud Bertholdum Rembolt, et iterum quinquies ibidem lucem vidit usque ad annum 1589. Venetiis quoque quinquies recusum fuit. Lugduni anno 1576. Antverpiæ 1618 et passim alibi. Idem opus gallicum fecit fr. Guillelmus Le Menand, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, ad instantiam illustrissimi Principis Joannis, ducis Borbonii et Arvernorum, Franciæ connestabilis, qui vixit sub Carolo VIII

Ejus opera :

Magna Vita Jesu Christi.

De Claris Viris Ordinis Cartus.

Vossius de Hist. latin. lib. II. c. 64.

Bohic. Annales Cartus. ms. ad ann. 1340.

* Argentorati, 1474.

Ant. Verderii Bibliothec. litt. G.

ANNUS 1378

rege, ut idem autor testatur in sua præfatione; prodiit Parisiis, apud Antonium Verard, sine anno. Idem opus in nostram linguam rursum vertit Joannes Langlois, dominus de Fresnay, in supremo Parisiorum Senatu advocatus, typisque mandavit Parisiis anno 1582 apud Nicolaum Chesneau. Itali quoque et Hispani in suam linguam transtulerunt ; sicque per orbem universum longe lateque multiplicatum, fidelium corda etiamnum ad pietatem accendit. Hujus operis autographum apud Patres Moguntinos quidam adservari scripserunt, quod apud eos mortuum licet falso crediderint. Sed potius fides habenda est Patribus Molshemiensibus, illud apud se velut thesaurum custodiri asserentibus.

In Psalm. expositio ; etc.

2. Collegit ex beatorum Hieronymi, Augustini, Cassiodori, et Petri Lombardi sententiis accuratam *in Psalmos* omnes Davidicos *expositionem* in qua typicos præcipue consectatur. Autographum cum veneratione asservant Patres Moguntini. Prodiit Parisiis anno 1506 et Venetiis anno 1521.

3. Scripsit *de Remediis contra tentationes spirituales novissimi temporis,* sed non extat modo hoc opus.

Theatr. Chronol. p. 75.

4. Libri sermonum aliquot perutilium meminit Possevinus ; denique Ludolphi Cartusiensis nomen aureo *De Imitatione Christi* opusculo nonnunquam præfixum, errori typographorum adscribimus cum doctissimo Carolo Morotio, quem de variis Tractatus de Vita Christi editionibus consulas.

ELIZABETH BRADERICKX PIE MORITUR,

IX. In Charta hujus anni inter mortuos legitur « Soror Elizabetha, monialis sanctæ Annæ prope Brugas, quæ habet tricenarium et associationem cum primo Anniversario sub die quo obiit, pridie videlicet Nonas Februarii. » Cognomen habuit Braderickx. Vota emiserat in parthenio Gosnayensi unde in Rectricem ac deinde Protopriorissam Brugensium assumpta, per duodecim annos novam hanc plantationem indefessa sollicitudine administravit, donec propter cæcitatem circa annum 1362 absolveretur. Inde altera in eadem Domo emissa professione ad obitum usque perseveravit. Laudatur maxime ex patientiæ virtute quam eximie coluit,

tum in magna paupertate dum præfuit, cum in cæcitate qua per annos sexdecim afflicta fuit.

ANNUS 1378

Vitam quoque die ultima hujus anni reliquit Joannes de Claravalle, clericus Redditus Majoris Cartusiæ, quem virum de toto Ordine bene meritum Charta anni sequentis prædicat his verbis : « Obiit die ultima Decembris frater Joannes de Claravalle, clericus Redditus et sacerdos Domus Cartusiæ, qui multum et longis temporibus pro Ordine laboravit, qui habet tricenarium per totum Ordinem et plenum cum psalteriis monachatum. Et recepta et audita Charta Capituli, quælibet persona Ordinis dicat ter *Ave Maria ;* et dies obitus illius in calendariis Domorum scribatur. » Ejus nomen sæpe reperitur in veteribus monumentis Majoris Cartusiæ cujus negotia ab anno 1342 procuravit.

et frater Joannes Redditus Cartusiæ.

X. Ex secularibus Principibus, quidam etiam tanquam fautores nostri Ordinis denunciantur mortui in Charta hujus anni cum beneficio tricenarii, suntque isti :

ACTA CAPITULI GENERALIS.

Plurimorum Principum obitus.

« Princeps excellentissimus, Dominus Eduardus rex Angliæ, etc. » Obierat anno præcedente, mense Junio. Cartusiarum sui regni fundationes confirmavit. Pro quo, ab anno 1349 ad obitum usque, preces per totum Ordinem fusæ sunt. Successit ei Richardus II nepos ejus, de quo multa suis locis occurrent dicenda.

« Obiit serenissima Domina Regina Franciæ. » Hæc est Joanna a Borbonio, uxor Caroli V regis, sæpius cum viro precibus Ordinis commendata. Post cujus mortem idem Rex videtur a Capitulo generali orationes petiisse; nam sic in eadem Charta de eo agitur : « Pro Domino Rege Franciæ et liberis ac fratribus suis, qui se et statum suum humiliter Ordini recommendaverunt, et ut Deus illos ab omni periculo custodiat et pacem conservet, fiat etc. »

Inter Ordinationes et Declarationes hujus anni, istæ leguntur :

Declarationes.

1. « Declarationem præteriti Capituli generalis quæ sic incipit: Ad serenandas conscientias et compescendas murmurationes eorum qui Domno et Domui Cartusiæ detrahere

ANNUS 1378

non verentur pro subsidiis et collectis, etc., non immerito juste reputamus fore factam. Verum quoniam admonitionem illam et exhortationem per quam hortabantur et requirebantur Priores et Conventus nostri de aliquo caritativo subsidio et auxilio matri nostræ Domui Cartusiæ fiendo, apud multos quasi inaniter videmus fore factam, et a plerisque pro nihilo reputatam; considerantes dictam Domum jam magnis debitis obligatam occasione reparationis ejusdem, quodque propter retardationem ipsius reparationis multas inordinationes, scandala, rixas et pericula per operarios dictæ Domus esse subortas, et quotidie crescere formidantes; insuper et propter hujusmodi impedimenta et turbationes Conventum Cartusiæ qui speculum et lucerna Ordinis esse consueverat multipliciter impediri, salubriterque Patrum nostrorum constitutiones non posse more solito aliquatenus observari : volumus et ordinamus quatenus ad celeriorem expeditionem prædictorum, Visitatores singularum Provinciarum Priores Domorum ad contribuendum præfatæ reparationi plus solito attrahant et inducant.

2. « Ordinamus et volumus quod Donati Ordinis portent extra Domos, sicut et intra, caputia Ordinis; alias si per Curiam secularem compellerentur et persequerentur et caperentur pro aliqua offensa, Priores et aliæ personæ Ordinis non teneantur eos petere vel facere revocari a Curia seculari.

3. « Declaratur quod Diaconus quando communicat, nec disciplinatur nec ad terram comedit ipsa die.

4. « Quicumque præterquam personis Ordinis, secreta Ordinis quoquomodo revelaverint, sint inhabiles perpetuo ad quæcumque officia Ordinis; nec ad ea promoveri valeant sine dispensatione Capituli generalis.

5. « Intimatur quod solus Papa potest dispensare cum minoribus annorum quod possint ad sacros Ordines promoveri. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1379.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 296.	Ann. 13.

INTER UTRUMQUE PONTIFICEM ORDO NOSTER NEUTRALITATEM SERVAT.

I. MILLESIMUS trecentesimus septuagesimus nonus Redemptoris surgit annus, Indictione secunda, quo divisa diro schismate matre Ecclesia multis in locis tum scriptis, tum armis de vero Pontifice disceptatum est. Nostri interea ex variis locis ad Majorem Cartusiam accedentes, videntur nulli adhæsisse sed neutralitatem a quibusdam propositam amplexi fuisse. Quamobrem, nullo, contra morem consuetum, nominato summo Pontifice, preces per totum Ordinem verbis generalibus indictæ sunt : « Pro statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et ut Deus misericorditer ipsam ad pacem et unitatem reducere dignetur. » Alii vero Principes tam Urbano quam Clementi adhærentes sic commendantur : « Pro Domino Imperatore (Caroli filio) et statu Romani Imperii. Pro Domino Rege Franciæ, Angliæ, cæterisque Dominis et Principibus ipsorum regnorum : ut Deus ipsos ad pacem et concordiam deducat. Pro Domina Regina Siciliæ quæ ordinavit centum florenos dari Capitulo generali. Pro Domino Dalphino et Comite Sabaudiæ et ejus consorte, cæterisque benefactoribus Ordinis, etc. »

GALLIA CLEMENTI ADHÆRET.

II. Solutis comitiis, cum rex Galliæ Carolus V, habito apud Vincennas concilio, Clementem verum agnovisset Pontificem, ipsaque Parisiensis Universitas, in quam omnium fere gentium Christianarum oculi erant conversi ut quo ipsa

ANNUS 1379

tenderet et illæ propenderent, suam declarationem in favorem ejusdem Clementis promulgasset : plures cartusiæ in regno et in quibusdam provinciis proximis sitæ, ex publico consensu impulsæ, aperte Urbanum aversatæ sunt. Mater vero Cartusia, Clementis paulo post Avenionem pervenientis et ut sibi obedientia præstaretur jubentis, mandata adeo solerter defugit, ut medium tenuerit usque et post Capitulum generale anni sequentis, ut ex Actis illius probabimus contra nostrum Bartholomæum Scalam, qui in Vita Stephani Maconi scribit magnam Cartusiam, « generali habito Conventu, sui Pontificis maxime autoritate, decreta criminosis firmata codicillis toto promulganda Ordine fecisse, in eos præsertim qui ex Ordine nostro aliter sentirent de summo Pontifice Clemente atque sentiebat magna mater Cartusia. » Sed hæc post comitia anni sequentis, quibus et aderunt Patres Itali, rejicienda sunt. Non igitur propter tale decretum quod nondum latum erat, sed propter alias causas non multum dissimiles, Urbanus Joannem de Baro (quem etiam Jannotum dictum in pluribus monumentis legimus) Trisultanæ cartusiæ Priorem et in comitiis Ordinis cum tribus aliis Procuratorem generalem nominatum ad se accersivit, atque idoneis instructum præceptis generalem totius Ordinis Cartusiensis Visitatorem apostolica autoritate constituit, amplis in eamdem rem ad illum Literis datis quas præfatus Bartholomæus, rerum nostrarum sagacissimus indagator ac de toto Ordine benemeritus, e situ ac pulvere antiquitatis erutas, publicas fecit ; suntque hujusmodi :

Lib. I. c. 9.

Urbanus VI Joannem de Baro Visitatorem totius Ordinis constituit.

loc. citato p. 38.

Ejus Bulla.

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio Joanni Priori monasterii sancti Bartholomæi de Trisulto per Priorem soliti gubernari, Cartusiensis Ordinis, Alatrinæ diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Intenti Pastoris sollicitudo requirit, ut gregis sibi crediti sollicitam curam gerat, et illum a quibuscumque noxiis et adversis vigili diligentia studeat præservare. Cum itaque nuper ad nostrum, non sine mentis amaritudine, auditum pervenerit quod in quibusdam monasteriis et Domibus sive locis tui Cartusien-

ANNUS 1379

sis Ordinis sunt nonnulli, qui forsan aliquorum fallacibus et dolosis suggestionibus illecti, perditionis alumno Roberto olim Basilicæ XII Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipapæ, qui se Clementem Papam ausu temerario nominare præsumit, adhærent et favent (quod tamen non credimus); et tam propter hoc quam etiam ex aliis diversis causis verisimiliter dubitatur quod in dicto Ordine schismata et alia diversa mala et scandala debeant exoriri, nisi super hoc per apostolicæ sedis providentiam, de alicujus debitæ provisionis remedio succurratur : Nos, qui ad dictum Ordinem gerimus specialem dilectionis affectum, cupientes, prout ad nostrum spectat officium, super his et aliis eidem Ordini pro ipsius salubri statu necessariis salubriter providere ; ac de circumspectionis industria et prudentiæ magnitudine ac aliis multiplicium virtutum meritis, quibus personam tuam familiari experientia novimus ab Altissimo insignitam, gerentes in Domino fiduciam specialem, te Visitatorem generalem omnium et singulorum monasteriorum et Domorum ac locorum dicti Ordinis ubicumque consistentium, autoritate apostolica, tenore præsentium constituimus ac etiam deputamus. Tibi visitandi semel et pluries (quoties tibi videtur) omnia et singula monasteria, Domos et loca prædicta tam in capitibus quam in membris ; ac inibi inquirendi, puniendi, corrigendi ac reformandi quæcumque, inquisitionis, punitionis, correctionis aut reformationis officio videris indigere; ac assumendi tibi ad hujusmodi Visitationis officium exercendum aliquem Priorem, seu monachum dicti Ordinis, de quo tibi videbitur ; illumque semel et pluries, quoties tibi placuerit, mutandi et loco ejus alium assumendi. Ac insuper Priores monasteriorum, Domorum ac locorum prædictorum ab eorum officiis absolvendi, et alios loco ipsorum ponendi et ordinandi; necnon monachos et personas dicti Ordinis quascumque delinquentes puniendi, incarcerandi, et circa reformationem dicti Ordinis ac monasteriorum, Domorum ac locorum ipsius, omnia et singula alia facienda, gerenda et exequenda, quæ generale Capitulum dicti Ordinis, secundum ipsius Ordinis

Plenariam potestatem in omnibus Ordinis Domibus Joanni tradit,

ANNUS 1379

Statuta, facere et exercere et exequi potest. Necnon ubi et quando tibi videbitur, privatum Capitulum congregandi et celebrandi, et in eo ordinandi, instituendi, corrigendi et reformandi quæ correctionis et reformationis officio videris indigere. Petendi quoque, levandi et exigendi a singulis monasteriis, Domibus, et locis prædictis quæ visitabis, expensas congruas pro te et socio ac familiaribus ac equitaturis tuis, juxta modum ac formam secundum quam ordinarii Visitatores per dictum Ordinem deputati pro tempore consueverunt recipere. Et in casu, quo propter infirmitatem seu aliam legitimam causam, hujusmodi visitationes per teipsum principaliter facere nequires, aliam personam dicti Ordinis ad hoc idoneam loco tui ad hujusmodi Visitationis officium deputandi; absolvendi quoque omnes et singulas personas dicti Ordinis a quibuscumque sententiis quas propter adhæsionem per eos prædicto Roberto antipapæ factam incurrissent, dummodo personæ ipsæ errorem suum recognoscentes, hoc humiliter petant et hujusmodi errorem abjurent, injunctisque eis pœnitentia salutari et aliis quæ de jure fuerint injungenda. Contradictores insuper autoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi ; non obstantibus quibuscumque exemptionibus ac privilegiis, indulgentiis ac Literis apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existentibus, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta........ impediri valeat quomolibet vel deferri, et de quibus esset in præsentibus specialis et expressa mentio facienda, quæ quoad hoc aliquibus nolumus aliquatenus suffragari ; seu si aliquibus communiter vel divisim a Sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per Litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, facultatem plenam et liberam tenore præsentium concedentes. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, decimo calendas Januarii, Pontificatus nostri anno secundo. »

cum potestate absolvendi qui Clementi adhæserant.

Harum literarum autoritate non statim usus est Joannes

Barensis, imo potestatem sibi ab Urbano factam visus est non prodere usque ad comitia futuri anni, ad quæ pergens inter Diffinitores assumptus fuit ut dicemus.

ANNUS 1379

DOMUS IN ISENACH FUNDATUR. Cap. CXXIV.

III. Hoc anno extra muros urbis Isenaci in Thuringia, sub archiepiscopatu Moguntino, Cartusienses (ut habet autor anonymus Historiæ Landgraviorum Thuringiæ) receperunt unum conventum, dotem conficiente cartusia Erfordiensi. Hanc vero Domum sanctæ Elisabethæ dicatam, Principum Misniæ auspiciis inchoatam fuisse ferunt literæ Pilei cardinalis per Germaniam legati apostolici consensum suum præbentis; et quamvis præfatæ literæ de hac plantatione loquantur perinde ac si nondum in eam Nostri essent translati, constat tamen eam jam ab Ordine fuisse susceptam hoc præsenti anno, licet non incorporatam.

Topographia. tom. XIII Descriptio Thuringiæ, p. 51.

Martinus Zeilerus, autor acatholicus, initia hujus Domus paulo altius repetit, scribens Cartusienses monachos anno 1377 in Isenacum accessisse : « Tertium cœnobium, inquit, illud est Cartusianorum Fratrum qui Isenacum venerunt anno 1377 et juxta Frauenthor locum, in Krimmelbach dictum, emerunt, ubi et claustrum in honorem beatæ Elizabeth inchoarunt. Ast anno 1379, foras extrudit monachos ingens diluvies quæ non modo dictum claustrum occupavit, sed et partem urbis, versus muros, usque ad locum quem vocant Grimmelbach, inundavit. Licet ex hoc magnis damnis affecti sint Cartusiani, novam tamen Domum, anno 1397, extruere cœperunt. Novatores monasterium illud, nondum perfectum, venumdarunt; hodie est in usum publici lavatorii. »

Incorporatur Ordini.

Hujus Domus incorporatio legitur in Charta Capituli generalis Romæ anno 1382 celebrati : « Rectorem Domus beatæ Elisabethæ præficimus in Priorem ejusdem et dictam Domum Ordini nostro incorporamus, eidem Domui privilegia et alias immunitates Ordinis concedendo, cum dicto Rectore prius dispensantes, si tres annos adhuc in Ordine non complevit. » Sequenti anno Capitulum generale « causam quæ vertebatur de superstite adhuc solvendo Isenacensi Domui ab Erfordiensi, committit Visitatoribus decidendam vel Capitulo se-

ANNUS 1379

quenti remittendam. » Anno denique 1385, Visitatores autoritate ejusdem Capituli assignaverunt Domui terminos secundum modum et formam novorum Statutorum, sicque res nostræ in hac Domo quæ 15 monachos alebat, satis prospere cesserunt usque ad annum 1525 quo Lutherana rabies nobis eam eripuit.

Fautores.

Porro Marchiones Misniæ quibus maxime hæc Domus ortum suum debet, videntur fuisse Fridericus, Balthazar et Guillelmus, quos chronicon Erfordiensis cartusiæ vocat landgravios Thuringiæ ac marchiones Misniæ, eosque inter suos benefactores annumerat. Quid vero novæ huic plantationi dederint, nondum ad nos usque pervenit. Constat solum ex eodem chronico, quod Balthazar, landgravius Thuringiæ, cum fratre suo Willelmo anno 1402 concesserunt pro suo anniversario censum quatuor maldrorum siliginis et hordei. Obiit Balthazar anno 1406, in vigilia Ascensionis Domini, cujus obitus denuntiatus tantum fuit in Charta Majoris Cartusiæ anni 1416, cum anniversario per totum Ordinem sub die 17 Maii, quod forsan Nostri post sedatum schisma non essent recordati illius obitum mittere ad Majorem Cartusiam usque ad dictum annum 1416; quod de multis aliis, per plures annos post reconciliationem Ordinis, factum fuisse ex iisdem Chartis sæpissime animadvertimus.

Willelmus, Balthazaris frater, benefactor hujus Domus et Erfordiensis, dictus Cocles, obiit anno 1407, et pro eo et fratre ab anno 1387 ad obitum usque, preces per Domos Pontifici Romano subjectas edicebantur.

Benefactores.

Fridericus præfatorum frater natu major obiit anno 1381, vel præcedenti ut vult Bucelinus; fundationem Erfordiensem et Isenacensem confirmavit.

Tabulæ Landgravior. Thuringiæ.

Fridericus cognomento Pacificus, Balthazaris præfati filius, natus anno 1385, orationibus Ordinis participavit cum patre et patruo, et post eorum mortem specialiter commendatus fuit usque ad annum 1409; deinde enim generatim pro omnibus Principibus Germaniæ preces injunctæ sunt. Omnes Historici ejus mortem referunt ad annum 1439 vel ad

sequentem, unde miror quod tantum reperiatur in Charta anni 1447. ANNUS 1379

Anna, Domina Thuringiæ, mortua designatur in Charta anni 1431. Balthazar landgravius, de quo supra, duas habuit uxores quarum ultima ducta anno 1404 vocabatur Anna, Wenceslai Saxoniæ Electoris filia, et hæc videtur esse de qua meminit Charta capitularis : nam conjux Friderici Pacifici, quæ etiam vocabatur Anna et erat filia Guntheri comitis Schwarzenburgii, videtur marito superfuisse.

Alterum fundatorem nacta est Domus Isenacensis, Matthæum ab Herbestein. Duo præterea benefactores reperiuntur in eisdem Chartis : Christophorus decanus Ecclesiæ Isenacensis, ad annum 1396, qui fuit amicus et fautor Cartusiensium ; et in Charta anni 1435, alter Decanus ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Isenaco sine nomine ponitur.

PLURIMORUM BENEFACTORUM OBITUS.

IV. « Obiit illustrissimus Princeps (sunt verba Chartæ hujus anni) Dominus Carolus, Imperator Romanorum qui habet tricenarium, etc. » Obierat anno præcedenti in vigilia sancti Andreæ ; quanta vero in Nos contulerit beneficia jam annis superioribus passim diximus.

Hoc anno, 8 Idus Julii, decessit Joannes de Blandiaco, quem Claudius Robertus vocat Petrum de Blausaco. Ab Innocentio VI creatus fuerat Cardinalis ex episcopo Nemausensi, unde in nostris Chartis semper dicitur « cardinalis Nemausensis. » Fuit insignis benefactor Domus nostræ Avenionensis, ubi quidam Nostrum sepultum fuisse credunt, cum constet ex necrologio templi S. Desiderii Avenionensis, quod ipse instauraverat, eum ibidem conditum jacere.

Ex Chartis 1364 et seqq.

Die 25 ejusdem mensis Julii extinguitur Philippus de Arbosio, episcopus Tornacensis, qui propriis sumptibus, ut supra diximus *, ecclesiam cartusiæ Tornacensis construxit, pro cujus consummatione, ut legitur in monumentis ejusdem Domus, exposuit circiter septem millia francorum ; cujus ecclesiæ fundamentalis lapis missus est anno 1377, 4 Junii. Quamobrem in Charta anni sequentis dicitur unus ex fundatoribus Domus Tornacensis, et habuit plenum cum psal-

* Vid. ann. 1376.

ANNUS 1379

teriis monachatum sub die 25 Julii qua discesserat. Multa quoque bona concesserat nostris Brugensibus monachis. Eum fuisse aliquando Urbano V a consiliis discimus ex nostris Chartis anni 1365 et sequentis, ubi preces ordinantur « pro Episcopis Avenionensi, Tornacensi, etc., et cæteris Dominis consiliariis assistentibus Domino nostro Papæ. » Fuerat Ludovici comitis Flandriæ eleemosynarius, et decanus S. Donatiani Brugensis, tum episcopus Noviomensis, ac tandem anno 1357 ad sedem Tornacensem traductus, ubi et sepultus jacet in choro Cathedralis.

ORDINATIONES.

V. Inter decreta præsentis anni, hæc tantum alicujus notæ occurrunt.

1. « Cum alias fuerit ordinatum, concedimus Domibus Ordinis quatenus reditus et possessiones magis remotas possint vendere et alienare vel cum vicinioribus permutare, et pretium in alias magis utiles convertere, cum consilio peritorum virorum et duorum Priorum Ordinis.

2. « Cum Ordo sit multum oneratus de beneficiis spiritualibus concedimus et ordinamus quod per totum annum in crastino festorum XII lectionum possint tricenaria Defunctorum inchoari. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1380.

Urbani PP. VI Ann. 3.	Ordin. Cartus. Ann. 297.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 14.

I. INEUNTE anno Redempti Orbis octogesimo post millesimum trecentesimum, Indictione tertia, uterque Pontifex Cartusiensem Ordinem sibi devincire viis omnibus laborat. Urbanus Clementis consilia præripere posse arbitratus, encyclicas ad omnes Priores, die 15 Januarii, dedit literas quibus unicuique nostrum potestatem dat eligendi confessarium a quo plenam omnium peccatorum remissionem semel in articulo mortis possit accipere. Hujus bullæ archetypum (quod etiamnum asservatur in chartophylacio Majoris Cartusiæ) Joannes de Baro, Prior Trisultanus ac Procurator generalis in Curia Romana, ad Guillelmum totius Ordinis Ministrum generalem misit, ut sic eum ad partes Urbani alliceret. Sic autem se habet hujusmodi potestas.

INDULGENTIA IN ARTICULO MORTIS,

« Urbanus, etc. dilectis filiis universis et singulis Prioribus ac fratribus et personis utriusque sexus quorumcumque monasteriorum et Domorum Ordinis Cartusiensis, præsentibus et futuris, qui dictum Ordinem sunt professi et ipsum imposterum profitebuntur, salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex vestræ devotionis affectu quo nos et Romanam Ecclesiam reveremini, ut petitiones vestras, illas præsertim quæ animarum vestrarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor quem quilibet vestrum

ab Urbano sexto concessa.

ANNUS 1380

duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei, unitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, autoritate apostolica concedere valeat, devotioni vestræ tenore præsentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis per vos, si supervixeritis, vel per alios, si tunc forte transieritis, faciendam injungat, quam vos vel illi facere teneamini, ut præfertur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus quod, si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte committeretis, quoad illa prædicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Datum Romæ apud S. Petrum, XVIII Calend. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo. »

PRIORATUS BUSSIÆ UNITUR CARTUSIÆ,

II. Parem Indulgentiam, ut ex Actis Capituli generalis postea videbimus, Clemens largitus est, cujus literæ periere; sed spiritualibus gratiis, temporalia addens beneficia, Prioratum sancti Martini de Bussia Ordinis S. Benedicti, abbatiæ S. Theuderii, Viennensis diœcesis membrum, Majori Cartusiæ, sive illius sublevandæ (quæ tunc summa erat) paupertatis gratia, sive ad conciliandos sibi nostri Guillelmi, et per eum omnium Cartusiensium animos adscribi consentit; ad id etiam maxime inductus Joannis de Crosso, cardinalis Prænestini suasionibus. Hic enim a Gregorio XI, suo consanguineo, cardinalis creatus, ad ejus imitationem Domum Cartusiæ ex animo diligebat; quam gravia damna ex illo incendio quod passa fuerat anno 1371 accepta, vix ex pecuniariis Gregorii Regisque Franciæ aliorumque benefactorum subsidiis quantumvis magnis, resarcire posse cernens, hanc certioris auxilii præstandi viam excogitavit. Non longe ab ea distabat præfatus Bussiæ Prioratus, quem tunc jure collationis pontificiæ Amedeus abbas Trenorchiensis *, diœcesis Cabilonensis, ejusdem Ordinis, possidebat. Facta igitur inter Cardinalem

Ciacon. not. in Gregor. XI.

* *alias* Tornusii.

Prænestinum et Amedeum conventione, consensit Clemens VII ut utroque cedente vel decedente, Prioratus Bussiæ Majori incorporaretur Cartusiæ ; ea tamen potissimum conditione, ut tot in eo tenerentur monachi Cartusienses, quot prius Benedictini alere consueverant. Extat ejus bulla amplissima, quæ inter cætera hoc negotium sic exponit :

ANNUS 1380

« Clemens, etc... Sacræ Religionis observantiam et augmentum, præsertim Cartusiensis Ordinis sanctitate pollentis et fecunditate referti virtutum, sinceris zelantes affectibus, illa libenter exquirimus, et attentis studiis promovemus per quæ personis regulari observantiæ ejusdem Ordinis dedicatis, opportunitatibus salubriter valeat provideri. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris et Conventus Domus Cartusiensis, Gratianopol. diœcesis, petitio continebat, quod Domus prædicta quæ caput ejusdem Ordinis existit, adeo propter incendium quod passa est, ac fructuum et proventuum ad Domum et Conventum prædictos spectantium sterilitatem et alios casus contrarios supervenientes, ad indigentiam est deducta, quod ipsi Prior et Conventus dubitant quod nisi eidem Domui celeriter succurratur, Fratres Domus ejusdem non poterunt, ex fructibus, reditibus et proventibus hujusmodi congrue sustentari. Quare nobis humiliter supplicatum est ut Prioratum S. Martini de Bussia, Ordinis S. Benedicti, ejusdem diœcesis, a monasterio S. Theuderii dicti Ordinis, Viennensis diœcesis, dependentem et per ipsius monasterii monachos solitum gubernari, eidem Domui unire, annectare et incorporare dignaremur. Nos igitur prædictum Prioratum, etc.... quem dilectus filius Amedeus, abbas monasterii Trenorchiensis dicti Ordinis sancti Benedicti, Cabilonensis diœcesis, obtinet, et de quo venerabili fratri nostro Joanni episcopo Prænestino, cum dictus Prioratus per assecutionem pacificam administrationis bonorum præfati monasterii vacaverit, per nostras Literas mandamus provideri, et eidem Domui autoritate Apostolica unimus, etc. Itaque, Amedeo abbate decedente, vel Joanne episcopo præfato cedente vel decedente, aut prioratum ipsum alias quomodoli-

mediante bulla Clementis VII,

ad relevandam Domus Cartusiæ paupertatem.

ANNUS 1380

bet dimittente, liceat eisdem Priori et Conventui dicti Prioratus de Bussia, etc... corporalem possessionem apprehendere, etc. Volumus autem quod prædicti Prior et Conventus dictæ Domus tot monachos in præfato Prioratu teneant quod ibidem esse consueverunt, etc.... Datum Avinione, vi Idus Februarii, Pontificatus nostri anno secundo. » Paulo post Nostri, possessione hujus Prioratus inita, monachos ad eum incolendum miserunt, sed per Chartam anni sequentis « prohibitum est ne quis de Ordine, sive clericus sive laicus, declinet ad domum Buyssiæ noviter Cartusiæ unitæ, » propter nimia onera et expensas dictæ Domus Cartusiæ; sicque monachi cum Rectore ibidem perseveraverunt usque ad annum 1425 quo Prioratum Benedictinis sub quibusdam conditionibus restituerunt.

GENERALE CAPITULUM HUJUS ANNI,

III. Hujusmodi gratiarum bullas verisimile est ab utroque Papa missas tantum fuisse ad Cartusiam tempore congregati Capituli generalis, quod præsenti anno, die 22 Aprilis et sequentibus, cum magno Priorum ex omni gente cartusiarum concursu celebratum est. Cui et nuncios tam Urbani quam Clementis nominibus interfuisse scribit autor *Speculi Cartusiensis* his verbis : « Anno Domini 1380, collecto in Domo Cartusiæ more solito Capitulo generali, missa fuit ex parte Domini Urbani Papæ ad Priorem Ordinis legatio pro sibi adhærendo, tanquam Christi Vicario. Missi fuerunt et ex parte Domini Clementis, secundi electi, solemnes ambassiatores, quia satis prope est Cartusia Avinioni, pro sui adhæsione tanquam Christi Vicario. » Horum comitiorum Diffinitores electi sunt Priores videlicet : Helias, Fontis Beatæ Mariæ ; Lupus Martini, Vallis Benedictionis ; Ortolphus, Throni B. Mariæ in Gemnico ; Henricus Kalkar, Coloniæ ; Janotus sive Joannes de Baro, Trisulti ; Petrus Sellionis, et Nicolaus Ligeti. Verum cum eorum muneris aut autoritatis non esset decidere quisnam verus esset Pontifex, sapienter statuerunt, ita eis persuadente Guillelmo Priore Cartusiæ unumquemque Priorem cum suo Conventu, schismatis tempore, proprio debere Episcopo adhærere. « Quamobrem,

cui adfuerunt legati utriusque Pontificis,

rursus neutralitatem profitetur,

inquit idem autor, Priores et Conventus Domorum Ordinis ex omni parte nimis coarctati, diffinierunt pro securitate, pendente schismate, stare simpliciter unusquisque cum suo Diœcesano et ecclesia cathedrali, sicut Domnus Cartusiæ in suo facto eis explicavit pro Domo sua. »

ANNUS 1380

At ubi preces publicis comitiis pro summo Pontifice indicendæ fuerunt, contra morem Ordinis nullius nomine expresso, « pro bono statu, pace et unitate Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro Papa, ut Deus dirigat et protegat Ecclesiam in manibus suis et eruat ab erroribus universis » tricenarium de Spiritu Sancto per totum Ordinem celebrandum constitutum est; nullaque habita ratione factionum quibus Principes, occasione schismatis inter se dissidebant, preces quoque pro Imperatore, Regibus Franciæ, Angliæ et aliis Principibus, per omnes Domos indifferenter persolvendæ promulgatæ sunt. Ad hæc legati cœperunt commurmurare ac conqueri, suum volentes quilibet Pontificem nominatim designari. Vicerunt missi a Clemente juxta tritum proverbium « debiliorem superat robustior, » quippe qui numero et autoritate superiores erant. Horum igitur, ac Episcopi Gratianopolitani qui præsens aderat, Comitisque Sabaudiæ cui tunc suberat Cartusia, plus minis quam rationibus cedens Prior Cartusiæ, sua manu, ut etiamnum in Chartæ archetypo legitur, Clementis nomen præfatis precum verbis superscripsit. Suppresso præterea Urbani VI Indulgentiarum privilegio, declaravit « sanctissimum Patrem Dominum Clementem Papam VII concessisse omnibus personis nunc in Ordine existentibus plenam Indulgentiam semel in mortis articulo. » Obstupuere Janotus Barensis et sibi pro Urbano adhærentes Priores, habitoque cum Clementinis colloquio de conservandæ inter se animorum concordiæ mediis, ad sua reversi sunt non sine acerbissimo dolore, quod alios ad partes Urbani sectandas traducere non potuissent. « Et sic tandem, pergit autor *Speculi,* audita utriusque partis allegatione, præhabitaque aliquali deliberatione, Domnus Cartusiæ magis inclinando parti secundi electi (videlicet Clementis) quia erat

et tacet Pontificis nomen, cum pro eo preces indicuntur.

Reclamantibus utrinque legatis,

Rev. Pater scribit nomen Clementis VII.

ANNUS 1380

Gebennensis : quippe qui resistere non valebat, aut certe verebatur, Majestati papali et Dominio terreno, cum diœcesano Episcopo scilicet Gratianopolitano deliberavit finaliter pro se sibique adhærentibus stare cum secundo electo. Quod audientes quamplures Priores qui de diversis mundi partibus ad Capitulum venerant, dolorem cordis sui intimum dissimulantes, celerius a Domo Cartusiæ recesserunt. Legato autem Domini Urbani Papæ insidiæ factæ sunt a Legatis Clementis ut verisimile est, sed eas Domnus Cartusiæ compescuit, procurans ei salvum conductum donec extra fines Sabaudiæ perveniret. »

Urbanus sextus jubet alium celebrari Capitulum,

Juxta consilia inter Patres utriusque partis secreto inita, ad omnes Domos scripsit Prior Cartusiæ ut quilibet Conventus suum Episcopum sequens, observantiæ nihilominus Cartusiensis ac consuetæ concordiæ vinculis connexi, Majorem Cartusiam, velut totius Ordinis caput, semper colere studerent. Paulo aliter rem refert *Speculum Cartusiense,* cujus autor Urbano semper favet. « Non diu post hæc, inquit, Domnus Cartusiæ metuens sibi quod futurum erat, misit mandatum sub pœna inobedientiæ in scriptis ad Domos Ordinis per Alemaniam, Picardiam et Flandriam, quatenus quilibet sibi et Capitulo generali, tanquam Superiori suo obedire deberet. E contra venit et mandatum ex parte Domini Urbani Papæ ad Priores et Domos Ordinis, autoritate apostolica, de sibi adhærendo tanquam Romanæ Ecclesiæ et vero Christi Vicario. » Neque id solum egit Urbanus, sed ad nostrum Janotum quem Visitatorem generalem anno præcedente creaverat, scriptis literis præcepit, ut coacto novo Capitulo, quidquid in comitiis ultimis contra se actum fuerat rescinderet ac irrita nullaque declararet, deposito etiam Priore Cartusiæ. Janotus, vir modestissimus, pontificio mandato obedivit quidem, sed semper veneratus quæ per Patres apud

in Domo Florentiæ.

Cartusiam disposita fuerant, non ad suam sed ad Florentinam Domum, cujus Prior Joannes de Falconiis utriusque Lombardiæ Visitator in præfatis comitiis destinatus fuerat, cum aliquot aliis Prioribus se contulit, privatumque (ut vo-

camus) Capitulum, autoritate apostolica tenuit hoc ipso anno ; quod pauci Nostrum hactenus norunt, licet id constet ex fragmento ibidem actorum ad nos ex eadem Domo Florentina misso, cujus inscriptio talis est : Diffinitio Capituli privati in Domo S. Laurentii prope Florentiam, autoritate apostolica celebrati anno 1380, die penultima mensis Maii. » Et primum ut quæ in gratiam Clementis apud Cartusiam ordinata fuerant abrogarent, Urbanum sic precibus Ordinis commendant : « Pro bono statu, pace et unitate S. Romanæ Ecclesiæ, et pro Domino nostro Papa Urbano ut Deus dirigat et protegat Ecclesiam in manibus suis et eruat de erroribus universis, ac cunctos schismaticos et eidem rebelles prosternat sub pedibus suis, fiat in qualibet Domo unum tricenarium de Spiritu Sancto, ac in Missis Conventualibus de vivis dicatur semel in die pro eodem Domino Urbano oratio : *Deus omnium fidelium Pastor et Rector, famulum tuum Urbanum, etc.* »

ANNUS 1380

Urbanus ut verus Pontifex declaratur.

Attamen, ut quantum in se esset, Ordinis unitatem tenerent « et ad serenandas conscientias Priorum et Conventuum Domorum Ordinis, confirmamus (inquiunt) omnes promotiones et provisiones ab olim Capitulis generalibus sive per quondam Priorem Cartusiæ factas, necnon et omnes gratias singulis et quibuscumque personis factas sive concessas. » Deinde Janotus autoritatem sibi ab Urbano delegatam cum Joanne de Falconiis supradicto communicans, solo regimine Provinciæ Lombardiæ remotioris sibi retento, Lombardiam quam Propinquam vocabant ei penitus regendam reliquit, ut ex eodem fragmento discimus his verbis : « Prior Florentiæ habet plenam potestatem visitandi, cum socio Priore vel monacho quem duxerit eligendum, provinciam Lombardiæ propinquiorem, et alia quæcumque generaliter faciendi et ordinandi quæ Prior Cartusiæ olim facere et ordinare consueverat, quousque aliud fuerit ordinatum. » Nec ullum tunc generalem Ministrum sicut jam ab annis duobus alii Ordines fecerant Nostri elegerunt, nec unquam forsan per totum schismatis spatium elegissent nisi ad id ab Urbano tandem

ANNUS 1380

Inde scissura in Ordine.

coacti fuissent, ut videbimus anno 1382. Sicque Cartusiensis Ordo ultimus omnium Ordinum scissuram passus est, ad quam resarciendam omnes utrinque pari affectu incubuere; imo tanta in eis ad tuendas Ordinis observantias conspiratio voluntatum semper fuit, ut in hoc, quod totum est perfectæ concordiæ vinculum, nunquam divisi apparuerint. Quamobrem hanc visi sunt a Deo gloriam meruisse quod primi inter omnes Religiosos, membra sua tam diro schismate divulsa ad pristinam revocarint pacem et unitatem, cum prius totius Ecclesiæ reconciliationem suis precibus et laboribus non parum accelerassent.

S. CATHARINA MORITUR.

Vita Stephan. Maconi, Lib. I. cap. II.

IV. Interea Romæ hærebat B. Catharina Senensis, Urbanum ad constantiam contra rebellantes populos adhortans. Aberat tunc noster Stephanus Maconus, Senisque apud suos morabatur. Cum vero Deus seraphicam virginem ad se vellet evocare, non passus carum filium ante mortem a pia matre separari, eum divinitus de proximo illius discessu admonuit. « Ad aures enim ejus nocte quadam orantis, cum magna spiritus anxietate ob diuturnam sui absentiam a piæ matris conspectu, apud sodales societatis Deiparæ in magno nosocomio Senensi constitutæ, cui ipse Conradi parentis secutus exemplum nomen jam dederat, hæc divinitus prolapsa vox est ejusmodi verba promens : I Romam, festina; instat enim tempus caræ matris abcessus. Quæ cum ille ad sodales ipsos, atque alios spectatæ religionis viros gravi anxius cura retulisset, cuncti una convenere e cœlo nimirum delapsum ad Stephanum id admonitum, ne moras videlicet necteret, quin statim Romam advolaret. » Nec ille moratus ad sacram virginem se contulit, a qua paulo post animam agente, Cartusiense Institutum Dei mandato jussus est amplecti. Id refert Raymundus Capuanus, Ordinis Prædicatorum, ipsius Sanctæ confessarius et Vitæ scriptor. « Cæterum, inquit, viros reperi post obitum ejus quamplures, qui consummationi ejus interfuerunt, sed quatuor tantum nomino in præsenti, quos novi omni virtute conspicuos et decoros..... Tertius horum fuit et est quidam juvenis Senensis, dictus Stephanus de Maconibus,

Vita S. Catharinæ, III. P. c. I.

quem idcirco diffuse non laudo, quia adhuc est in via, in qua nemo tute laudatur. Sed ut saltem designem eum, hic fuit unus de scriptoribus virginis sacræ, qui tam epistolas quas dictabat quam librum quem composuit pro parte conscripsit : et in tantum ei adhæsit quod utroque parente, tribusque germanis relictis, una cum propria patria, virginem sequebatur quocumque iret. Hunc eadem virgo dum esset in transitu advocans ait : Fili, voluntas Dei est, quod relicto totaliter seculo, Religionem Cartusiensem ingrediaris. Quod præceptum devotus filius devote assumens, executioni perfecte mandavit. Sed patentibus factis, ostensum est et quotidie ostenditur amplius, præceptum illud de ore Altissimi processisse. » ANNUS 1380

Nunc ipsum Stephanum audiamus, qui melius novit quæ circa se gesta sunt. Scribens igitur ad Thomam Antonii, Ordinis S. Dominici, de gestis sanctæ Catharinæ, rem sic describit : « Tandem adhuc fui secum in Roma, ubi post multos, et ut ita dixerim, intolerabiles labores, infatigabiliter ad honorem Dei portatos et hilarissime toleratos, felicissimo cursu diem clausit extremum, in præsentia mea : quam etiam propriis manibus ad Minervam, videlicet Prædicatorum ecclesiam, detuli tumulandam ; imo verius in capsa cypressina et honorabili tumulo conservandam.

De gestis S. Catharinæ apud Bolland.

« Dum vero laboraret in extremis, ordinavit cum aliquibus quid agere deberent post ejus transitum. Postea ejus faciem ad me vertens, ait, etiam protendendo digitum : Tibi autem in virtute sanctæ obedientiæ præcipio ex parte Dei, ut omnino vadas ad Ordinem Cartusiensem, quoniam ad illum Ordinem ipse te vocavit et elegit. Et videndo nos juxta se plorantes ait : Carissimi, nullo modo plorare debetis, immo potius in Domino lætari et agere festivum diem, quia carcerem istum egredior hodie, vadens ad amantissimum Sponsum animæ meæ ; vobis autem indubitantissime promitto quia magis incomparabiliter vos juvabo postea, quam unquam juvare potui dum fui sic incarcerata. Et ut ore promisit et verbo, sic opere perfectissime complevit et implere quotidie non cessat. Ut hæc pateant exemplo, proferam unum

ANNUS 1380

Jubet Stephanum Cartusiensem Ordin. ingredi.

ad honorem Dei et ipsius virginis, quamvis ad verecundiam meam accedat : quia, quando mihi præcepit ex obedientia Dei, ut irem ad Ordinem Cartusiensem, ego non optabam illum vel alium etiam Ordinem ingredi ; sed ex quo migravit ad æthereas mansiones in corde meo tale desiderium jussa perficiendi succensum extitit, ut si totus mundus mihi contradicere voluisset, ego nullatenus acquiescere potuissem, ut experientia docuit. Ubi quantum vel quid operata jam fuerit et etiam operatur cum filio suo, licet inutili et indigno, non est hujus temporis narrare. Hoc autem intactum omnino præterire non patiar, quod post Deum ac beatissimam Virginem Mariam, ego magis obligatum me existimo præfatæ sanctæ virgini Catharinæ quam alicui creaturæ mundi : et si quid boni foret in me, totum attribuo illi post Deum. »

Vita Steph. Maconi, Lib. II. c. 1. et seqq.

Omnibus itaque ex animi sententia curatis quæ ad piam efferendam Matrem faciebant, Stephanus noster, pretiosis sanctæ virginis reliquiis, dente videlicet quem ipsemet ex defunctæ ore excusserat et pietatis instrumentis aliisque illius reculis ditatus, Senas in patriam se recepit. Ubi cum apud suos aliena quædam accuraret negotia, a prædonibus captus, sed divinitus sibi videlicet opitulante nuper demortua seraphica matre liberatus, nostrum tandem habitum annis natus triginta tribus induit, ipsa die Annuntiationis Dominicæ anni sequentis scilicet 1381, non in Domo Seizensi, ut incaute scripsit Dorlandus, sed in Domo Pontiniana, ut optime scribit Bartholomæus Scala in illius Vita, et constat ex Chartis nostris capitularibus. Ibi tantam ipso sui tirocinii anno in virtutibus rebusque divinis fecit progressionem, ut paulo post edita vota, in Priorem ejusdem Domus assumptus fuerit: quod admiratus Raymundus Capuanus jam supracitatus hæc pauca quidem sed gravia eodem fere tempore de Stephano pronuntiavit : « Nunquam me recolo in Ordine ullo vidisse vel audivisse tam celebrem profectum virtutum in uno ingrediente. Mox namque ut fecit professionem, factus est Prior : taliterque in illo Prioratu se habuit, quod postea non vacavit a Prioratu, et nunc actus est Prior in Mediola-

Lib. VII, c. 35.

Vita S. Catharinæ, ubi supra.

no, et cum hoc Visitator multorum Conventuum Ordinis sui, magnæque famæ ubique. » Hæc ille, sed de his fusius suis locis dicemus.

ANNUS 1380

V. Dum perturbata ex schismate Ecclesia, pax quoque inter nos concuti cœpit, ad cœlestem requiem multi e nostris a Deo rapiuntur, inter quos eminet R. P. Walterus Diagorganensis episcopus, Bambergæ et Herbipoli per annos triginta in pontificalibus Vicarius, familiæ quondam Dominicanæ ex professo Religiosus, qui strictiori quietiorique sese vitæ in senio dedens, habitum Ordinis nostri in cartusia Herbipolensi assumpsisse traditur, ubi paulo post pientissime in Domino obdormivit, die 2 Februarii hoc præsenti anno, ut ex Charta Capitulari colligimus, in qua Priori Herbipolensi conceditur « ut habeat Diagorganensis Episcopus, pro quo Conventus ejusdem Domus supplicat, defunctus in Ordine duplex Officium. »

EO TEMPORE OBIERUNT :

Walterus episcopus, cartusiæ Herbipol. monachus ;

Haud diu post secutus est Walterum Joannes de Metis, monachus professus celeberrimæ cartusiæ de Monte Dei, in cujus chronico his laudatur verbis : Vacabant plurimum eo tempore Fratres, conscribendis libris ad usum ecclesiæ, refectorii et bibliothecæ communis, ut adhuc indicant monumenta relicta, quorum usus in ecclesia habetur. Insignior præcipue inter eos vigebat Joannes de Metis, monachus verus et exemplaris, doctus et laboris patientissimus, qui multos annos contrivit in scribendis proprio marte, et conscribendis aliorum voluminibus nitido et polito charactere ad multos annos duraturis. Plus quam quindecim codices conscripsit præter alios innumeros pro ecclesia. Fuerat primitus monachus Benedictini Ordinis in regali monasterio S. Arnulfi Metensis ; cujus pater dicebatur proprio nomine Bertrandus de Sancta Cruce, vulgo Facundus. Cum adhuc demoraretur apud S. Arnulfum, curavit sibi propriis sumptibus conscribi magnam Legendam Sanctorum quam secum attulit ad Montem Dei ubi professionem emisisse creditur circa annum 1324 ; denique jam decrepitus, per Chartam anni 1377, ad Domum Apponiaci regendam mittitur. Sed triennio post, ad suam

Joannes de Metis,

scriptor celeberrimus ;

ANNUS 1380

instantiam absolutus, antequam Charta reciperetur ad cœlos evolavit die 28 Aprilis, ut in necrologiis cartusiæ Montis Dei et abbatiæ Bellævallis habetur. Habuit tricenarium per totum Ordinem, designatus in Charta anni sequentis. In citato chronico dicitur obiisse circa annum 1360, sed fides potius habenda est Chartis Capitularibus; nisi quis diceret duos fuisse monachos ejusdem nominis et agnominis, professos ejusdem Domus.

et J. Borti Prior Pisanæ Domus.

Hoc etiam anno ad cœlestem patriam transvectus est Joannes Borti Prior tunc Domus Pisarum, quam ab anno 1370 ad mortem usque summa cum laude rexerat. Hunc tanti faciebat Urbanus, ut eum cum nostro Bartholomæo Ravennate et aliis ad se evocaverit illius opera usurus ad negotia Ecclesiæ pertractanda. Qualis vero fuerit Joannes, novit ex antiquis documentis noster Bartholomæus Scala qui de eo in Vita B. Petronii sic loquitur : « Joannes Borti, cartusiæ Vallis gratiosæ in agro Pisano Prior, sub anno 1370 usque 1385, Lucensis patria, Ruberti filius, ab ipsis incunabulis, factus et educatus ad pietatem, divortium fecit cum seculo; ac Christum crucifixum, et nudum nudus ipse nostra in familia est secutus; qui nonnullis nostri Ordinis monasteriis præfectus, præclara omnium virtutum documenta ubique edidit, seque verum Cartusianum præstitit. Hunc virum, inquam, sanctissima illa virgo Catharina Senensis, divino perfusa lumine, Deo carum propter divinas illustrationes, quibus mirifice a Patre luminum augebatur, agnovit, prædicavit, et quoad vixit singulari quadam veneratione est prosecuta, uti cumulatius de illo memoriæ prodidit Thomas Naccius Dominicanus. Cæterum non despero fore aliquando, ut detur mihi copia tabulas atque vetera Pisanæ Domus monumenta excutiendi, ut iis vel maxime desiderium meum expleam, indagandi videlicet expiscandique ipsius viri venerabilis Joannis facta præclara; quæ quidem adduci non possum, ut credam velariis oblivionis penitus involuta. » Hæc ille ; corrigendus tamen in anno obitus illius quem constat non ad annum 1385 protelandum, cum in Charta hujus anni inter

Cap. X.

mortuos legatur cum beneficio tricenarii per totum Ordinem.

ANNUS 1380

VI. Hoc anno, in Austria inferiori nova erigitur cartusia a Medelico, oppido Norici, una leuca versus septentrionem, et a Danubio fluvio media circiter hora distans, in valle oblonga et angusta, in loco dicto Agspach, diœcesis Viennensis. Hanc, cum Anna uxore sua fundavit nobilissimus baro de Meyssaw, voluitque appellari Domum *Portæ B. Mariæ.*

DOMUS IN AGSPACH ÆDIFICATUR.

Fundationis diploma.

« Ego Heydenricus de Meyssaw (inquit ipse in suis literis dotalibus), supremus pincerna et pro tempore Provinciæ Mareschalus in Austria, ego quoque Anna ejus conjux, attestamur pro nobis et omnibus hæredibus nostris, publiceque notum facimus hisce literis, quod de gratiæ divinæ instinctu, præmeditato animo, provida finali consultatione, unanimi consensu, ex libera voluntate et sincera devotione, pro animarum nostrarum, nostrorum hæredum, amicorumque solamine et salute, ad gloriam et laudem sanctissimæ Trinitatis et supergloriosæ semper Virginis omniumque Sanctorum, fundavimus et fundamus monasterium juxta pagum Agspach nuncupatum, etc. ; illudque donavimus sacro Cartusiensium Ordini quem ad hoc præ cæteris Ordinibus elegimus, assignantes fundationem pro constituendo pleno conventu undecim videlicet sacerdotum, quorum unus sit Prior. Volumusque præfatum monasterium intitulari Porta B. Mariæ. Et ut hæc fundatio atque dotatio, simulque omnia quæ superius continentur, stabilia et fixa permaneant, præsentes tradimus literas mei, qui supra Heydenrici de Meyssaw, sigilli appensione munitas, filiorum quoque nostrorum Leutholdi, Joannis et Georgii de Meyssaw, pro nobis nostrorumque omnium hæredibus. Item domini Udalrici de Meyssaw fratris mei, nepotumque meorum, domini Bernardi de Meyssaw, supremi in Austria mareschali et domini Conradi de Meyssaw sigillorum pariter appensione firmatas, etc. Datum Viennæ, anno 1380, octava die post Cœnam Domini. »

Domus intitulatur : Porta beatæ Mariæ.

Etsi juxta præfatas fundatoris literas, initia hujus Domus ad præsentem annum retulerimus, eam tamen jam ante aliquot annos a Nostris fuisse habitatam conjicimus ex Charta

ANNUS 1380

capitulari hujus anni in qua sic de hac Domo disponitur : « Priori Portæ non fit misericordia, et conceditur sibi ut frater Ulricus, Redditus et sacerdos (aliunde ut probabile est huc missus), eo quod diu fuit in Ordine, in monachum recipiatur et infra annum profiteatur. Frater vero Georgius, clericus Redditus novitius, post annum probationis ibidem cum beneficio Tricenarii profiteatur.

De Origine et progressu Ordin.Cartus. ms.

Hanc fundationem sibi gratam fore diu ante Deus quibusdam signis ostenderat, ita referente Henrico Kalkare synchrono : « Est supra Danubium, inquit, Domus Portæ Mariæ quam matrona quædam diu ante vidit in somnis stare in loco satis ad hoc opus inepto, cui et videbatur quod campanam ibidem pulsaret et pulsando frangeret. Visum est etiam cuidam viellatori quod ibidem cantilenam luderet ad honorem Beatæ Virginis coram altari. Postea vocati a fundatore Priores locum aptum quæsituri, illum Dei nutu elegerunt, multis aliis refutatis. Domo igitur perfecta, audiens fundator visionem matronæ factam, adductam eam jussit pulsare campanam, quam non diu pulsatam recepit fractam. Supervenit et viellator servitium ibi faciens et cantans juxta visum sibi a beata Virgine Maria ostensum. »

Chronicon Cartusiense, Lib. VI. c. 26.

Eadem signa refert Dorlandus, sed stylo diffusiori, juxta morem suum. Locum vero fuisse incommodum colligimus ex Charta anni 1399 in qua « Priori imponitur silentium super mutatione loci, et quod de cætero de hoc amplius non faciat verbum. Et monetur ac districte ei injungitur ut nullo modo recipiat personas ultra quam facultates Domus suæ possunt extendi. » Nec ab eo tempore de translatione loci actum est.

Filii fundatoris Domui favent.

Haud diu post suam fundationem superfuit fundator, cujus obitus in Charta Capituli generalis, anno 1382, die septima Aprilis Romæ habiti, designatur his verbis : « Obiit dominus Haydericus de Meyssaw, fundator Domus Portæ B. Mariæ in Austria, qui habet monachatum per totum Ordinem sub IV Idus Septembris. » Sed anno sequenti dies obitus illius corrigitur et declaratur fuisse IV Idus Aprilis, non Septembris.

A Cuspiniano laudatur et dicitur « baro Austriacus clari nominis et famæ non contemnendæ. » Uxoris illius obitus reperitur in Charta Capituli, in Domo Montelli anno 1386 celebrati : « Obiit domina Anna de Meyssaw, fundatrix Portæ B. M. cum monachatu sub VIII cal. Januarii. » Leutholdus, filius eorum major natu, ante matrem decessisse probatur ex Charta anni 1384, in qua et dicitur fundator, sicut et uterque germanus, Joannes videlicet et Georgius; hic denuntiatur cum eodem titulo anno 1390. Joannes vero anno 1398, quem præterea constat patris donationem auxisse, nam Capitulum generale anni 1395 « concedit Conventui hujus Domus, quod licite possit possidere et tenere bona a domino Joanne de Meyssaw fundatore eorum ipsis perpetuo data et assignata : videlicet jus montium et decimarum in Stifen, non obstante quod extra terminos dictæ Domus sita sint. Et Procurator qui nunc est et qui pro tempore fuerit, possit ordinate singulis annis illuc venire quoties necessarium fuerit pro vinis colligendis. » Hinc etiam fuit quod Anna uxor ejusdem Joannis, post obitum habuerit tricenarii beneficium per Chartam 1432.

ANNUS 1380

Benefactores.

Ex benefactoribus hos reperi in Chartis : Warnerus Noway, « qui attentis magnis beneficiis (sunt verba Chartæ anni 1424) per eum exhibitis Domui Portæ beatæ Mariæ et novæ plantationi prope Legniz, habet anniversarium, etc... sub die obitus ejus qui fuit XVI calendas Novembris, præter tricenarium ei concessum anno 1423. » Unde patet eum jam obiisse anno 1422.

Catharina Amstredame anno 1494. Udalricus Farcel capellanus in Prulz super Aquas, habens anniversarium die 24 Septemb. ex Charta 1496. Michael Holezofel, 1508 ; et Joannes Tarsani , 1523.

REX FRANCIÆ CAROLUS V MORITUR.

VII. Hoc præsenti anno pie defunctus est rex Galliæ sapientissimus Carolus V, cujus erga Nos amorem et collata variis Domibus beneficia suis celebravimus locis. Dies obitus illius a quibusdam ad tertiam Septembris refertur, sed in Charta anni sequentis, sub 16 ejusdem mensis sic denuntia-

ANNUS 1380

tur : « Obiit excellentissimus et christianissimus Princeps Dominus Carolus V, rex Franciæ, qui habet per totum Ordinem plenum monachatum sub die obitus sui XVI Septembris. » Et in necrologio cartusiæ Parisiensis ad eumdem diem ejus mentio habetur his verbis : « Carolus rex quondam Franciæ dedit nobis ducentas libras Parisienses perpetui reditus admortizatas.... tenemur autem dicere omni die unam Missam privatam pro eodem, et præter anniversarium suum tenemur facere quatuor servitia solemnia quolibet anno. Obiit die 16 Septembris. » Ejus quoque memoria etiamnum in benedictione est apud Majorem Cartusiam, in cujus Capitulo singulis diebus Dominicis, commendatur a Priore « anima Caroli V regis. »

INITIA DOMUS PROPE NORIMBERGAM.

VIII. Præter Axpacensem cartusiam, hoc etiam anno apud Norimbergam, liberam Germaniæ urbem, inchoatur Domus *Cellæ B. Mariæ Matris Dei,* sic dictæ in Chartis Visitationum. Ejus fundationis historiam a quodam ministro Lutherano, ante aliquot annos amicorum ope receptam, ad nos benigne transmisit Arnoldus Muntzenthaler, Prior Ratisbonensis et ipsius Provinciæ tunc Visitator vigilantissimus. Ex quo pleraque eruemus quæ de eadem Domo dicturi sumus. Ibi igitur initia illius sic describuntur ex pervetusto quodam codice ibidem asservato, quibusdam etiam a quodam recentiori additis :

« Anno Domini 1379, mense Octobri, cum Marquardus Mendel e nobilioribus Norimbergæ civibus, Henrici Mendel et Margaritæ Conradi Gross fundatoris hospitalis natæ filius, nepos Rudigeri Mendel, Eberhardi vero (a quo sacellum S. Mauritii ad S. Sebaldum fundatum) pronepos, Veronæ Longobardorum tunc temporis agens, de obitu Cunigundæ uxoris suæ, Leopoldi Schurstals filiæ, nuntium accepisset, talem deinceps vitam ducere decrevit quæ divinæ gloriæ suæque saluti proficua foret. Dum vero Romam iter contenderet, ter Optimus Maximus Deus, ex infinita sua misericordia mentem illi inspiravit ut de monasterio Cartusiensium Norimbergæ extruendo cogitaret. Romam itaque adveniens, ab Ur-

Fundator quum Romæ esset,

ANNUS 1380

bano facultatem extruendi obtinuit. Cumque hebdomada Paschali, anno sequenti discessum pararet, devotam quamdam inclusam, Elisabetham Sprosin dictam, invisit ; quæ ibidem ad S. Michaelem 17 annis in cella abdita, divino cultui vacaverat. Hujus preces ad Deum pro se fundendas Marquardus poscebat, eo quod longo tempore illam favore prosecutus fuerat. Quæ vicissim illi benedicens, aiebat : Proficiscere in nomine Domini, Ipse tecum singulare quid est acturus quod tibi grave erit, prout et eventus dederit. Hac igitur dimissa, cum ipse discederet, contigit eum Romæ in Urbe arcu accinctum prope statuam crucis lapideam humi concidere, una cum equo qui sessorem tota superjacens corporis mole, tantum non oppressit; verum misericors Deus cum beatissima Virgine Maria et omnibus Sanctis effecit, ut ab hoc lapsu convalesceret. Inde Herbipolim transiens, Cartusienses invisit, eorumque Priori D. Joanni a Sancto Burckardo animi consilium indicavit, cujus sermonibus Deo sic volente, mirum in modum corroboratus, firmior evasit in extruendi monasterii proposito. Ubi Norembergam advenit, denegata sibi a civibus ædificandi facultate, a Deo deprecari studuit quod ab hominibus impetrare non potuerat. Nec eum spes sua fefellit, cum et ad instandum operi, cœlesti visione animari meruerit. Rem narrat autor fide dignus ac testis oculatus, Henricus Kalkar, ejusdem provinciæ eo tempore Visitator, cujus consensus ad novam hanc erigendam plantationem necessario requirendus erat. Sic igitur historiam describit stylo suo :

cartusiæ fundandæ init consilium.

« Nurembergæ Domum Ordinis cives nullatenus voluerunt admittere, tandem Beata Virgo apparuit fundatori super hoc satis contristato, dicens quod audacter peteret ut Domus fieret, quam et Cellam Mariæ vocaret. Adiit igitur cives circa festum Pentecostes, et afflante Spiritu Sancto consenserunt omnes ; venitque post hoc ad fundatorem honestus presbyter olim ipsius pedagogus dicens quod Beata Virgo sibi intimasset Domum illam debere vocari Cellam Mariæ : qui tandem habitum Ordinis ibidem recepit monachalem, propter concor-

De Origine, et progressu Ordin. Cartus. ms.

ANNUS 1380

dem sibi et fundatori factam revelationem, factusque postea Procurator rexit Domum pro Christo quasi fundator, aut devotus Beatæ Mariæ curator. »

Lib. VI. cap. 20.

Hæc Kalkar, cui consentiunt quæ de eadem revelatione ab autore *Speculi Cartusiensis* et Dorlando narrantur. Ad ipsorum comprobationem reperimus sacerdotem quemdam sexennio post licentiam a Capitulo generali obtinuisse, Institutum nostrum sub Donati habitu amplectandi. Sic enim habet Charta : « Priori prope Nurembergam concedimus quod possit recipere illum sacerdotem in Donatum, pro quo Capitulo generali supplicavit, juxta formam tamen Novorum Statutorum. » Nec obstat quod Kalkar dicat eum Procuratorem Domus egisse, cum potuerit id muneris etiam in statu Donati exequi.

Locus comparatur,

Sed reliquam fundationis historiam ex prælaudato codice audiamus : « His ita peractis, Marquardus locum pro ædificando monasterio mille trecentis et quatuordecim florenis comparavit, de quo tamen spatium pretio ducentorum florenorum constans muris non fuit circumseptum, prohibente id scilicet Senatu qui ad structuram hujus ædificii, ut jam ante concesserat, spatium quingentorum quadraginta pedum et non amplius insumi volebat. Interea vero usquedum perficeretur ædificium, Prior et Religiosi fratres in alia domo morabantur. Sciendum quoque quod cum cives ædificationem monasterii concessissent, literas ad Generalem Cartusiensium tunc temporis, Priorem Cartusiæ dictum Wilhelmum, miserunt, rogantes ut vellet consensum dare. Ad hæc respondit Generalis, quod divini causa amoris et in favorem civitatis consensum suum libenter conferret, misso e Cartusia quodam monacho Nicolao (quem suspicor Nurembergam non accessisse, schismate impediente). Accidit etiam, Domino Deo gratiam suam concedente, ut sub idem tempus, Cardinalis quidam a sancto Patre Urbano VI legatus, huc Nurembergam veniret, qui dominus Pileus appellabatur, tituli S. Praxedis. Hunc tres e senatu cives, Udalricus Stromer de Sottenberg, Michael Grundther et Bertholdus Pfinzing cum

et surgunt ædificia.

Approbantibus Rev. Patre Cartusiæ et summi Pontificis Legato.

Marquardo Mendel fundatore, accesserunt, petentes ab eo licentiam monasterium fundandi ; qui et libenter annuit. Lambertus quoque episcopus Bambergensis, tanquam proprius loci antistes, constructionem approbavit et confirmavit anno sequenti. Post suum vero obitum Lambertus iste, denunciatus in Charta anni 1401, tricenarium habuit per totum Ordinem.

Conradus Stoor, parochus ad S. Laurentium, in cujus finibus sita erat cartusia, ad imitationem sui Episcopi, consensum suum præbuit, datis literis quas cum aliis Instrumentis senatus Nurembergensis in suo cartophylacio etiamnum asservat.

Domus incorporatur Ordini.

Denique anno 1382, per Chartam Capituli generalis Romæ habiti, hæc cartusia inter Domos Ordinis annumeratur, his verbis pro more incorporata : « Approbamus et confirmamus ac incorporamus Ordini nostro novam plantationem Domus de Nuremberga. » Sed insuper ipse Joannotus (sive Joannes Barensis) recens electus Ordinis Minister generalis, literas ex formula ad fundatorem misit.

Fundatoris obitus.

Posthac pius fundator Romam rursum ob negotia monasterii sui proficiscens, cum Venetias appelleret, in morbum incidit. « Missæ sacrificium (sunt verba citati codicis) in ædibus in quibus sacellum quoddam extructum erat, quotidie ei celebrabatur. Viribus itaque in dies deficiens, magis magisque infirmabatur. Sese tamen resignabat dicens quod libenter ex hac vita vellet discedere. Petiit itaque sacra Synaxi refici, sacroque oleo extremo ungi, quod utrumque valde religiose ac devote suscepit. Tandemque, tertia die mensis Junii, anno 1385, pie obiit mentis bene compos et ad omnem devotionem compositus. Ejus intestinis Venetiis apud Patres Cœlestinos terræ mandatis, cadaver in Germaniam relatum in medio templi cartusiæ hujus tumulatum fuit cum sequenti epitaphio marmori inscripto : « Anno Domini 1385, Nonis Junii, obiit Marquardus Mendel, Venetiis, fundator hujus Domus, Norimbergam delatus et hic sepultus. » Et in vestibulo ejusdem templi adhuc lapidi incisum legitur : « Anno Domini... die

ANNUS 1380

S. Bonifacii, obiit Marquardus Mendel, fundator hujus monasterii. » Ejus obitus anno sequenti per totum Ordinem designatus fuit cum pleno monachatu, sub nono calendas Julii; sed videtur esse error, nam post sopitum schisma, cum iterum denunciaretur, dies tunc quinta Junii notata fuit.

Multi ex ejus familia in Nos benefici.

Ex Chartis ann. 1388 et 1396.

Duas sorores Marquardus habuit : Catharinam et Agnetem, quibus defunctis tricenarium per totum Ordinem concessum fuit. Tres filios totidemque filias ei Cunigunda uxor ejus genuit. Porro Mendeliorum patritiorum familia nobilissima est et antiquissima, nam sub Henrico V Imperatore, jam capaces erant Ordinis Senatorii, et tempore fundationis hujus cartusiæ, Paulus Mendel inter Consules annumeratus est. Conradus et Petrus Mendel, fratres germani, nostro Marquardo adjutores fuerunt in rebus nostris promovendis; utriusque obitus reperitur in Charta anni 1423. Alter Marquardus Mendel hujus Domus provisor dicitur in Charta 1438. Et circa idem tempus, Joannes Mendel, monachus et benefactor hujus Domus vivebat. Petrus Mendel, patritius, anno 1470 erat administrator nostræ cartusiæ, cui a Senatu hujusmodi administratores semper dari solebant.

Amici et fautores Domus.

Ex amicis et benefactoribus hi reperiuntur in Chartis :

Albertus episcopus Bambergensis, Lamberti de quo supra successor, ex familia Comitum a Wertheim Grunawensis cartusiæ fundatorum anno 1422. Antonius de Rotenhan, ejusdem Ecclesiæ Præsul anno 1460. Henricus Sumwde, canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Stephani Bambergensis 1427, et Henricus Lothner anno 1444, et Joannes Solner anno 1481, canonici ejusdem ecclesiæ. Petrus Wueer, vicarius ecclesiæ majoris Bambergensis, anno 1444. Martinus de Lichtenstein, olim præpositus ejusdem ecclesiæ, obiit 12 calendas Maii 1454. Vincentius Vondeknal, custos ejusdem, eodem anno. Conradus Vathdorff, decanus ecclesiæ collegiatæ in Tewrstat Bambergæ 1457. Colmannus præpositus Sanctæ Mariæ in Nuremberga, anno 1395.

Ex civibus innumeri recensentur, quorum sunt nobiliores : Adeleydis de Muslen, al. Muffel, anno 1387. Agnes Pfinzing

anno 1390. Ulricus ab Eystedt 1437. Burkardus Holzschver, 1445. Fridericus ejusdem familiæ, eques Ordinis Teutonici, cellam ædificavit circa annum 1506. Petrus Harsdorffer hujus Domus administrator, cujus est hoc epitaphium : « Anno MCCCCXCVIII, in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, obiit spectabilis et prudens Petrus Harsdorffer senior, hic apud Patres et Fratres sepultus. » Michael Lochner, 1506. Sebaldus Schreyer, cum Margareta uxore ejus, fundavit quoddam sacellum ubi uterque sepultus est anno 1521.

ANNUS 1380

Multi etiam ex familiis Patritiorum, non solum bona et facultates, sed et nomen suum nostro Ordini dederunt, facti pauperes Christi in hac Domo sub habitu monachali : inter quos fuere Udalricus Haller 1406, Willelmus Volkheimer anno 1447; et plures alii ejusdem familiæ. Erhardus Gross, 1450, ex familia matris fundatoris; Paulus Grundther, 1461, Joannes Loffelholz, 1478 ; Sebastianus Lochner, anno 1516.

At vero locus iste tot vivorum pœnitentiæ laboribus consecratus, posteris eorum Lutheranam hæresim amplectentibus, profanis jam usibus deputatur, ut fusius, anno 1524 Norimbergensibus infausto, dicturi sumus.

ORDINATIONES CAPITULARES.

IX. Hoc præsenti anno, præter ea quæ superius occasione schismatis diximus, hæc in Comitiis generalibus singulariter sancita sunt :

1. « F. Wolquinus, Clericus Redditus Domus Sylvæ S. Martini, possit fieri presbyter manens in statu suo. » Hunc præterea tanti faciebant Patres ut per eamdem Chartam Jacobo Rectori ejusdem Domus mandaverint « ut de alienandis mobilibus vel immobilibus, consilio utatur fratris Wolquini. » Nec certe immerito cum ipse multa bona contulisset eidem Domui, cujus negotia cum magno labore semper promovit. Obiit ille die 15 Augusti, incerto anno.

2. « Conceditur Domui de Witham in Anglia, ut possit inire societatem cum Fratribus monasterii de Tichefeld, Ordinis Præmonstratensis, Wintoniensis diœcesis. » De hac Abbatia consulendum Monasticon Anglicanum.

Tom. II, p. 660.

ANNUS
1380

3. « D. Walterus et alter Monachus Domus Londoniarum qui petunt licentiam transferendi se ad Domum Romæ, vel alibi citra mare, nullo modo recedant de loco ubi sunt, nisi prius in scriptis habeant voluntatem Priorum illarum Domorum ad quas vellent se transferre.

Raro sæculares in chorum admittuntur.

Cap. X., n. 1.

4. « Priori Domus Cellæ-salutis conceditur quod possit admitti aliquando ille amicus eorum in chorum, et ter in anno in refectorium. » Videtur hic amicus fuisse vir secularis, nam juxta Consuetudines Guigonis, in chorum nostrum hospites tantum Religiosi introducebantur, quos etiam in refectorium admittere postea per Statuta Rifferii licitum fuit, non tamen viros seculares. Ubi enim legitur quod « clerici cum clericis et laici cum laicis in ecclesia et refectorio recipi possunt : » id tantum intelligi debet de Religiosis tam clericis quam laicis, sicut glossa Statutorum ante ducentos annos interpretatur. « Nota, inquit, quod Statutum dicat viros Religiosos, non seculares; quia de secularibus non concedit, licet enim alibi dicatur : in refectorio clerici cum clericis et laici cum laicis recipi possunt ; quia illi laici intelliguntur Religiosi, ut sunt Conversi aliarum Religionum, qui possunt recipi in refectorio cum Conversis nostris. » At jam tempore autoris hujus glossæ, hujusmodi licentia extendebatur ad personas alicujus notæ : ibidem namque sic lego ad marginem : « Etiam Reges et Principes, Duces et Comites, et magnos Dominos, Prælatos et eorum capellanos et Canonicos et etiam notabiles personas saltem in ecclesia. Scandalum enim esset tales personas ab introitu chori arcere. »

II. P. c. IX. n. I et 19.

Ibid. c. CXIII, n. 14.

Ad cap. IX et XII secundæ Partis Antiq. Statut.

5. « D. Joannes Leyderii, professus Domus N... amplius non se intromittat de arte illa Alchimiæ, sub pœna carceris. »

Chimici declarantur infames per Extravagantem Joannis Papæ XXII : unde miror hunc monachum sola carceris comminatione coercitum fuisse. Graviorem pœnam subiit quidam Prior, quem eadem convictum culpa et a Visitatore absolutum, per Chartam anni 1431, « præcipiunt Patres ultra pœnam dictæ absolutionis, carceri mancipandum, ad Ordinis voluntatem. » Alter vero Prior, ex illius amicis, tunc ipsis

Extravag : De crimine falsi.

præsens Comitiis, non solum deponitur ab officio Prioris, « sed quia ex informatione habita et confessione propria, quod consilium, auxilium et favorem dederit Priori N... in arte Alchimiæ, pro eadem causa absoluto, in publica audientia veniens, pedibus discalceatis, portansque virgas in manu, confestim disciplinam recipiat. » Sic nascens malum in suo ortu repressum, per multos annos inter Nostros auditum non est. Verum quia nullum generale contra illud statutum pronunciatum fuit, extincta prælati exempli memoria, cœpit rursum pestis hæc recrudescere, donec tandem anno 1499 et sequentibus, editis contra hujusmodi homines variis ordinationibus, quibus et postea R. P. Franciscus a Puteo vim Statuti addidit, in perpetuum compressa est, ut ibidem fusius dicemus.

6. « Ordinamus quod Motinus, Donatus Domus N. propter excessus quos ibi commisit, de dicta Domo et toto Ordine expellatur. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1381.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 298.	Ann. 15.

R. P. GUILLELMUS CARDINALATUM RESPUIT.

I. OCTUAGESIMUS primus supra millesimum trecentesimum sequitur annus, Indictione quarta, quo Clemens VII Guillelmi, Prioris Cartusiæ et per eum omnium Cartusiensium affectus sibi magis ac magis volens contra Urbanum conciliare, ipsum nostrum Generalem in numerum Patrum Purpuratorum decrevit adscribere, misso ad eum pileo cardinalitio. Sed testante chronico Cartusiæ, « hic Pater refutavit capellum Cardinalatus sibi missum a Domino Papa Clemente Septimo. » Imo ipso summo Pontifice defuncto, ut suo loco dicemus, a quibusdam Cardinalibus in Papam postulatus est. Sed quem Clemens honore sibi devincire non potuit, beneficiis pro toto Ordine ab eo petitis cumulare non distulit.

Cap. XXIV.

IMMUNITAS A DECIMIS APOSTOLICIS,

II. Paulo igitur ante celebrationem Capituli generalis, bullam misit qua omnes Domos nostri Ordinis in sua obedientia existentes, immunes pronunciat a decimis Cameræ apostolicæ et a quibuscumque subsidiis et impositionibus, tam pro ipsa Camera quam pro quacumque ecclesiastica vel seculari persona imponendis, etiamsi regali præfulgeat dignitate. Tenor bullæ talis est :

Bulla Clementis VII concessa.

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Præsignis Cartusiensis Ordinis Religio, fecunditate virtutum referta et meritorum sanctitate conspicua, necnon devotionis sinceritas, quam reverenter et sedule

dilecti filii Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, cæterique Priores et Fratres ac aliæ personæ dicti Ordinis, erga nos et Romanam exhibent Ecclesiam, promerentur ut ipsos apostolici favoris plenitudine prosequentes, eis assidue nos reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos Priorum, Fratrum et personarum prædictorum in hac parte supplicationibus inclinati, eisdem Prioribus, Fratribus et personis *in obedientia et devotione nostra persistentibus,* autoritate apostolica, de speciali gratia, ex certa scientia indulgemus : ut ipsi ac monasteria, Prioratus, Domus et alia loca dicti Ordinis ad præstationem seu solutionem decimarum, subsidiorum et impositionum quorumlibet, quocumque nomine nuncupentur, quibuscumque personis facienda, per Sedem apostolicam, pro Camera apostolica, seu aliis personis ecclesiasticis jam impositorum, vel in antea qualitercumque imponendorum, seu aliis quibusvis personis, etiamsi regali vel alia qualicumque ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, concessorum seu in posterum concedendorum, seu ad contribuendum cum aliis in eisdem minime teneantur. Nec ad id a quocumque compelli possint inviti autoritate quarumlibet Literarum apostolicarum, sub quavis forma vel expressione verborum confectarum seu conficiendarum in posterum ; etiamsi de Prioribus, Fratribus et personis ac monasteriis, prioratibus, Domibus et locis, Ordine ac privilegio hujusmodi expressam faciant mentionem. Et etiamsi in eis caveatur expresse quod omnes personæ ecclesiasticæ, seculares et regulares, exemptæ et non exemptæ, ad præstationem seu solutionem decimarum, subsidiorum seu impositionum hujusmodi, et ad contribuendum in eis, compelli valeant. Non obstante si Prioribus, Fratribus et personis, monasteriis, prioratibus, Domibus, locis et Ordini prædictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prædicta Sede indultum existat, quod ad solutionem seu præstationem decimarum, subsidiorum seu impositionum hujusmodi et ad contribuendum in eis minime teneantur : aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Literas aposto-

ANNUS 1381

ApudBohic. II. f. 54.

Nonobstante quacumque Litera Apostolica, ad solvendum compelli non possumus.

ANNUS 1381

licas quæ de Indulto hujusmodi et toto tenore ipsius, plenam et expressam ac de verbo ad verbum non facerent mentionem, sive quibusvis privilegiis vel indulgentiis, Prioribus, Fratribus et personis prædictis seu quibuscumque personis, locis vel Ordinibus a præfata Sede concessis, de quibus oporteret in dictis Literis specialem fieri mentionem, et pro qua effectus literarum ipsarum quomodolibet impediri valeret : vel etiam dissimiles et sub quocumque tenore seu expressione verborum apponerentur, quæ Indulto hujusmodi possent in aliquo derogare. Et insuper sententias suspensionis, interdicti vel excommunicationis, aut alias pœnas (si quas contra Priores, Fratres et personas vel eorum aliquem ac monasteria, prioratus, Domos et loca hujusmodi præmissorum occasione ferri contigerit, seu etiam promulgari) decernimus irritas et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat.... Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionensis diœcesis, secundo Nonas Maii, Pontificatus nostri anno tertio. »

Hanc opportune exemptionem Nostri obtinuerunt. Eodem enim tempore a Clero decimæ exigebantur et aliæ exactiones, quas Clementis coactores Cameræ apostolicæ deberi contendebant, ut passim apud Scriptores gallicos videre est. Quamobrem Patres in proximis comitiis congregati, in memoriam gratiamque tanti beneficii has pro Clementis prosperitate per totum Ordinem preces fundi jusserunt : « pro SS. Domino Patre et nostro Clemente Papa septimo, qui in concedendis gratiis et beneficiis temporalibus et spiritualibus fuit et est semper continue toti Ordini favorabilis et benignus, qui valde humiliter se et statum Ecclesiæ recommisit Capitulo generali ac eidem centum florenos pro eleemosyna transmisit, et ut Deus sub suo regimine statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ et universalis et totius Christianitatis miserabiliter lacessitum dignetur reparare ac etiam reunire : fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium de Spiritu Sancto, et omnes sacerdotes celebrantes dicant quilibet unam missam de Beata Virgine pro eodem. Non celebrantes, VII Psalmos pœnitentiales cum Litania, et Laici 100 *Pater noster* et totidem

In gratiam beneficii preces pro Papa indicuntur.

Ave Maria, ultra illa ad quæ tenentur singuli, pro dicto tricenario de Sancto Spiritu. Et nihilominus in una missa Conventuali, dicant quotidie pro pace Ecclesiæ suffragia alias ordinata post *Pater noster;* et quilibet secundum gratiam a Deo sibi datam jugiter et devote ad Dominum fundat preces et gemitus pro præmissis. »

ANNUS 1381

Verumtamen hujusmodi impositionum collectoribus Nostros ad earum solutionem, spreta bulla cogentibus, opus fuit Clementis clementiam implorare, a quo alteram bullam contra præfatos exactores die 5 Octobris obtinuerunt sub hac sententia :

Præcedens bulla confirmatur.

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex pacem et quietem subditorum, illorum præsertim qui mundanis abjectis illecebris sub regulari habitu virtutum Domino famulantur, perquirens : ad ea libenter intendit per quæ litibus et jurgiis quæ possunt exoriri salubriter obvietur, et quæ ipsorum quietem concernere dignoscuntur. Dudum siquidem dilectis filiis Domus Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, cæterisque Prioribus et Fratribus et aliis personis Cartusiensis Ordinis in obedientia et devotione nostra persistentibus, autoritate Apostolica, per alias nostras Literas concessimus, ut ipsi ac monasteria, prioratus, Domus et alia loca dicti Ordinis ad præstationem seu solutionem decimarum, subsidiorum et impositionum quorumlibet, quocumque nomine nuncupentur, quibuscumque personis faciendorum per Sedem apostolicam, pro Camera apostolica seu personis ecclesiasticis, tam tunc impositorum vel in antea qualitercumque imponendorum, seu aliis quibusvis personis, etiam si regali vel alia qualibet ecclesiastica vel mundana refulgerent dignitate, concessorum seu in posterum concedendorum, aut ad contribuendum cum aliis, in eis minime tenerentur, prout in eisdem Literis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte ipsorum Fratrum et personarum prædictorum petitio continebat, quod nonnulli Sedis apostolicæ nuncii ac collectores ac subcollectores fructuum et proventuum Ca-

Ex tabulario Domus Parci, apud Bohic, ann. 1382.

ANNUS 1381

meræ apostolicæ debitorum, prætextu quarumdam aliarum nostrarum Literarum eisdem nunciis, collectoribus et subcollectoribus post concessionem hujusmodi per nos seu autoritate nostra directarum, seu alias concessarum occasione decimarum, subsidiorum et impositionum prædictorum, Priores, Fratres et personas prædictas vexare nitantur, contra ipsos nonnullos processus, diversas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, et alias pœnas graves spirituales et temporales continenter faciendo : Nos cupientes quod concessio hujusmodi eisdem Prioribus, Fratribus et personis (ut præfertur) facta suum debite consequatur effectum, autoritate Apostolica, ex certa scientia declaramus nostræ intentionis fuisse, ac etiam existere, quod eisdem Ordini, Prioribus, Fratribus et personis, per quascumque Literas, nunciis, collectoribus vel subcollectoribus præfatis, seu quibusvis aliis personis, etiamsi regali, pontificali, vel alia qualibet ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, directas seu alias concessas, ut præfertur, aut in posterum concedendas, vel etiam dirigendas, etiamsi ex concessione hujusmodi specialis et expressa in eisdem Literis mentio habeatur, nullum præjudicium generetur ; quinimo concessionem hujusmodi in suo volumus et decernimus perpetuo robore permanere, districtius inhibentes eisdem nuntiis, collectoribus et subcollectoribus ac quibusvis aliis communiter vel divisim, ne dictos Priores, Fratres et personas contra concessionis et præsentium Literarum tenorem hujusvis inquietare, perturbare seu molestare quoquomodo præsumant; ac decernentes quoscumque processus et sententias, quos contra eosdem Priores, Fratres et personas in contrarium a quoquam, quavis autoritate scienter vel ignoranter factos vel promulgatos, et quos forsan fieri, seu etiam in futurum promulgari contigerit, irritos et inanes. Nulli ergo... Si quis autem,... Datum Avinione, tertio Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno quarto. »

Collectoribus suis inhibet Pontifex ne Nos molestent.

GENERALE CAPITULUM CLEMENTINORUM.

III. Ad comitia hujus anni adhuc confluxere vel scripsere ex omni gente, exceptis Italis. Priores namque Domorum

ANNUS 1381

Gemnicensis et Agspacensis in Austria et Argentinensis in Alsatia, absolutionem suam pro more petierunt; qua eis denegata, præcipitur Priori Avenionensi ut quinque florenos pro expensis Joannis Stel apud Gemnicum hospitantis, Ortolfo Priori ejusdem persolvat. Omnes quoque Angliæ Priores statum suarum Domorum miserunt, quos Capitulum generale jussit perseverare in officiis, præter Thomam Priorem Withamiensem cujus « absolutio, ut loquitur Charta, committitur Priori Londoniarum, si viderit expedire. Et præterea cunctis simul Anglis Cartusiensibus cæterisque Conventibus Ordinis universis consulitur quod non litigent cum Mendicantibus, nec recipiant personas eorum sine voluntate ipsorum. » Ex parte Patrum Hispanorum accessit ad Cartusiam quidam Petrus Piocha cui paulo post demortuo « conceditur fraternitas per totum Ordinem, et in Domibus Cataloniæ tricenarium defunctorum. » Helvetii pariter et Belgæ cum Leodiensibus obedientiam suam eidem Capitulo præstiterunt. Unde patet quam difficile rumpitur societas eorum quos Deus sanctæ observantiæ vinculis conjunxit. Porro quid in eisdem comitiis notabilius actum sit, libet hic subjicere.

Ejus acta notabiliora.

1. Et primum quidem, post preces pro Clemente (ut diximus) indictas, aliæ quoque præscribuntur : « Pro Domino Rege Franciæ et aliis Principibus quibuscumque catholicis et defensoribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ; et ut Dominus Jesus Christus omnes schismaticos ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ deducere, et Catholicos in Apostolica veritate confirmare dignetur. »

2. « Pro Reverendo in Christo Patre Conseranensi episcopo, Domini nostri Papæ Clementis referendario et speciali ac singulari Ordinis promotore apud prædictum Dominum Papam. » Hic erat Amelius episcopus Conseranensis qui anno præterito, de mandato speciali (ut loquuntur bullæ Clementis VII) facto sibi super hoc oraculo vivæ vocis, Nostros in possessionem Prioratus Buyssiæ, Ordinis S. Benedicti induxerat. Nec videtur esse alius ab Amelio qui posthac ad Cardinalatum erectus, obiit anno 1390; cujus obitus se-

ANNUS 1381

quenti anno denunciatus fuit his verbis : « Amelius, tituli Sancti Eusebii presbyter cardinalis alias dictus Conserarum, habens plenum monachatum, sub die 7 Junii quo obiit, » ut etiam notavit Ciaconius. Dicitur hic Cardinalis Conserarum, quod forsan ad hunc episcopatum, ex Ecclesia Conseranensi, ante adeptam purpuram translatus fuerit.

3. « Pro Domno nostro, Domno Cartusiæ, ut Deus et Dominus noster Jesus Christus det sibi fortitudinem in adversis et dirigat in factis suis universis, etc.

4. « Monemus quod oleum infirmorum omni anno renovetur per Domos Ordinis universas. » Nihil super hoc statutum legimus in Antiquis Statutis, sed post præfatam ordinationem, D. Franciscus a Puteo in sua *Tertia Compilatione* præcipit ut « oleum infirmorum in singulis Domibus Ordinis semper habeatur, fideliter custodiatur, omni anno renovetur et vetus comburatur. » Et recte quidem ; hæc enim sacris consentanea sunt Canonibus qui inter Decreta Gratiani leguntur.

Cap. II. n. 5.

De Conserv. d. III. c. Literis ; et d. IV. c. Si quis de alio.

5. « Sororem Catharinam nimis de parentibus et amicis confidentem, absolvimus ab officio subpriorissæ Domus N... ; et de cetero non præficiatur in aliquo officio. Et procuret quod dicti parentes sui Vicariis et aliis personis Ordinis molestias non inferant, alias redundabit in caput suum.

6. « Priori Montis Benedicti fit misericordia, et interdicimus Conventui ne aliquem eligat nisi de consensu Domni Cartusiæ. » Hæc videntur ita ordinata propter Italorum vicinitatem, ne aliquis ex parte Urbani eligeretur.

Capitulum generale atque privatum, tempore schismatis, alternatim cogi debet.

7. Denique decretum est, sive potius cogitatum, ut Capitula generalia et privata, durante schismate alternis annis cogerentur hoc modo : « Quia Capitulum generale multum gravatur expensis ad quas supportandas non sufficiunt Domus dicti Ordinis, ordinamus quod in anno proxime sequenti non fiat Capitulum generale, sed duntaxat privatum, ad quod privatum Capitulum, de provincia Burgundiæ veniet Prior Sellionis ; de provincia Provinciæ, Prior Vallis sanctæ Mariæ ; de provincia Aquitaniæ, Prior Vallis benedictio-

nis; de provincia Franciæ, Prior Fontis beatæ Mariæ; de provincia Picardiæ, Prior Leodii : qui recipiant et secum deferant ac etiam reportent negotia et Ordinationes contingentes Provincias prædictas. In anno vero currente 1383, celebretur Capitulum generale ad quod conveniant omnes Priores Ordinis, et qui non venerint solvent expensas quas fecissent eundo et redeundo secundum taxationem Diffinitorum, exceptis Prioribus prædictis qui ad dictum Capitulum privatum convenire debent; qui si voluerint, ad dictum Capitulum generale non teneantur venire. Et sic alternis annis celebrentur Capitula, videlicet, in uno anno *privatum,* et in sequenti *generale,* quousque Ecclesia Dei ad unitatem reducatur, vel aliter per Capitulum generale fuerit ordinatum. Ordinamus quod personæ Ordinis, exceptis Prioribus denominatis, qui venient ad Capitula privata, teneantur solvere expensas quas facient pendente Capitulo prælibato, secundum ordinationem venientium ad Capitulum privatum. » Sed hujusmodi consilium caruit effectu, annisque singulis comitia generalia juxta antiquum morem ad nostra usque tempora celebrata sunt.

ANNUS 1381

IV. His ita apud Cartusiam transactis, Urbanus VI ad se accersito Johannoto, Priore Trisultano, jussit ut quantocius congregatis Romæ propinquiarum Domorum Prioribus, omnia acta Cartusiæ, cunctasque ordinationes a Guillelmo nostro et Diffinitoribus promulgatas, irritas faceret, ipsumque generalem Præfectum et omnes alios Priores ei adhærentes, tanquam schismaticos et hæreticos damnaret. « Itaque Urbani summi Pontificis jussu, Romæ, XI Calend. Augusti, qui dies sacer est divæ Magdalenæ, coactus privatim fuit nostrorum Patrum conventus. Cui, cum ex ejusdem Pontificis mandato Nicolaus cardinalis Caracciolus nostri nominis amantissimus præfuisset ad majori cum autoritate firmanda quæ in eo sancirentur, id imprimis per eos decretum fuit, scilicet ut omnia acta et in Nostros * (tanquam pervicaciter contumaces) agitatæ quæstiones per Guillelmum Raynaldum generalem Præfectum magnæque Cartusiæ Priorem, anathematis ful-

URBANISTARUM PRIVATUM CAPITULUM.

Vita Steph. Maconi, p. 61.

* i. e. qui Urbano adhærebant.

ANNUS 1381

mine autoritate Clementis pseudopontificis intorto, irrita omnino atque nulla haberentur, uti contra jus unitatemque Romanæ Ecclesiæ conjecta : contra vero, ipse generalis Præfectus Guillelmus, tanquam schismaticus ac probroso notatus anathemate haberetur ; atque cum eo simul a communi Christianorum cœtu seclusi censerentur, qui se illi seu generali conventui apud eum in posterum habendo, sermone congressuve adjungerent, aut literas darent aut acciperent. »

Ejus acta.

Hæc sunt præcipua ac notabiliora quæ in hoc cœtu acta sunt. Alia vero multa ibidem sancita, quæ ad rem nostram non faciunt, consulto prætermisimus. Quæ quidem omnia ab ipso Visitatore generali Johannoto, Priore Trisultano, approbata ejusque syngrapho confirmata sunt, ut ad calcem ejusdem Chartæ his verbis legitur : « Ego præfatus frater Johannotus, indignus Prior Sancti Bartholomæi.... etc. » Et ibi sedulo notandum quod cum, inter alia, adhærentibus suis omne cum Clementinis Cartusiensibus commercium prohibuisset, statim hanc addidit clausulam « schismate isto duntaxat durante ; » in quo semper animadvertenda et admiranda horum Patrum erga Majorem Cartusiam veneratio, et ad concordiam quam citius redintegrandam propensio.

Lib. II. cap. 3.

Posthac, non in ipsis comitiis, ut incaute posuit noster Bartholomæus Scala, in Vita Stephani Maconi, sed post eorumdem absolutionem, Pater ipse Johannotus, Romano annuente et jubente Pontifice Urbano, ut ampliori cum potestate tam res Urbani quam Cartusiensium juvaret, cartusiæ Neapolitanæ administrandæ sibi munus desumpsit, Johanne Grillo Salernitano ejusdem Domus moderatore, loco graduque deturbato ob rationes anno 1378 relatas.

DOMUS SICILIÆ RELINQUITUR.

V. Paulo antequam hæc ita disponerentur, ipse Grillus ab eodem Johannoto, autoritate qua fungebatur Visitatoris generalis, in Siciliam insulam delegatus, cartusiam Novæ Lucis (de cujus fundatione multa diximus anno 1368) a Clementinis Cartusiensibus desertam, episcopo Catanensi Simoni penitus permisit ; monachis Benedictinis in possessionem ejusdem monasterii statim inductis. Hoc monasterium ad alios

sic translatum novis ac nobilioribus ædificiis auxit rex Martinus anno 1399, conservatis nihilominus cellulis more Cartusiensium exædificatis quas etiamnum vidi asserit Rochus Pirrus, cum historia conversionis sancti Brunonis in pariete, tempore fundationis depicta. Ab anno 1514 Abbatibus commendatariis datum est cum annexis S. Mariæ de Scala sub monachorum S. Nicolai de Arenis regimine, qui in suum transtulerunt monasterium Sanctorum reliquias et antiqua privilegia. Valet singulis annis scutorum tribus millibus, locumque in comitiis regni habet Abbas commendatarius. ANNUS 1381

VI. Una Domo in Sicilia deficiente, duæ aliæ eriguntur : altera in Anglia, in Prussia altera. Hæc ab inclyta civitate Dantisco sive Gedano, sive Godanio ut melius placet Bucelino, quod nunc est Prussiæ regiæ caput, quarto circiter lapide versus occasum dissita, prope Suckow in sylva Cuspin (al. Culpin) dicta, hoc præsenti anno fundata est, ut asserit Mathias de Michowia. « Anno quo supra, inquit, videlicet 1381, die 8 mensis Augusti, monasterium Cartusiensium in diœcesi Wladislawiensi, inter duos lacus, quatuor milliaribus a civitate Gedanensi distans, per Joannem Ruscinki (melius Russenczin) militem, natione Polonum, pro insigni nobilitatis leonem cum capite sturionis deferentem, fundatum est. Qui pro dote præfato monasterio tres villas suas hæreditarias Czaple, Kolpen prope fluvium Radunya, et Gdynia (ad mare Balthicum) in terra Pomeraniæ consistentes donavit, ad incolendumque Fratres Cartusienses ex monasterio Pragensi vocavit. Ex tunc locus ille *Paradisus Mariæ* vocari cœpit. » Constans est Patrum traditio Domum istam ex horrendo plane ac stupendo portento sumpsisse originem. Narrant enim infelicem mulierem Petri Russenczin conjugem, facie quidem decoram et pulchram nimis, sed quam species decepit, quodam die ingressam templum, visa in vestibulo statua B. Virginis Mariæ pulcherrime exornata, pedissequam interrogasse num formosior esset hac imagine ; illa vero negante, fremere cœpisse ac furere, Deumque verbis sacrilegis lædere, sed diu inultam non vixisse ; vix enim

CARTUSIA DANTISCANA FUNDATUR.

Lib. IV. cap. 35.

ANNUS 1381

egressam de templo a dæmone per aera sublatam fuisse. Denique addunt Joannem Russenczinum impiæ mulieris filium, tam horribili casu permotum, bona sua ac semetipsum Deo offerre decrevisse. Anno itaque 1380, obtenta ædificandi monasterii licentia ab Henrico (al. Wyrico) Knyprodio, supremo Teutonicorum Militum magistro, voluit primum bona quæ ad hoc opus destinabat ab omni onere sive servitio liberari, quod et factum est, obtenta ab iisdem Militibus sequenti privilegio : « Nos Syfridus Walpode de Bassenheim, Ordinis hospitalis B. Mariæ domus Teutonicæ in Jerusalem, commendator in Gedano, jussu Rev. viri F. Wirici Knyprode, supremi Magistri nostri, mensurari curavimus fideli nostro Joanni de Russenczin suisque legitimis hæredibus et successoribus duodecim mansos, etc... uti ipsi demonstrati sunt per nos et fratres nostros ab omni servitio liberos perpetuo hæreditarie possidendos, etc... In cujus rei fidem, nostrum sigillum his Literis appendimus, quæ datæ sunt Gedani, anno a Christi Nativitate 1380, feria IV post Dominicam Palmarum. Testes sunt dilecti fratres nostri : Fridericus Kul de Scharffenstein, commendator ; Theodoricus de Lopheim, commendator in Buthaw ; Walfredus de Ternebach, piscariæ Præfectus ; Henricus de Plettenberg, æconomus ; Jordanus de Wyhen, advocatus in Laumburg ; Christiernus de Bostwiller, forestarius ; et alii fidei digni. »

Annuente Teutonicorum militum Magistro.

Henricus Knyprodius, supremus magister, fautor et amicus nostri Ordinis fuit ; quem adhuc vixisse anno 1382 conjicimus ex Literis fundationis eodem anno datis, ut sequitur : « In nomine Domini. Amen. Quoniam Apostolico intonante eloquio, omnes ante tribunal Christi astabimus, prout in corpore gessimus, sive bonum sive malum recepturi, oportet nos extremæ messis diem piis misericordiæ operibus prævenire, ac in terris seminare quod in cœlis multiplicato fructu metere valeamus. Qui enim parce seminat, parce et metet. Sed quia sacrosancta Religio Ordinis Cartusiensis, quam victoriosissimus Rex contra tenebrarum Principes ut castrorum acies ordinavit, tanto sincerius est amplexanda, quanto

Literæ fundationis.

Molin. pag. 648.

Ordo Cartusiensis, acies ordinata.

professores ipsius procul a terrenorum tumultu semoti, divinis obsequiis sunt mancipati; noverint ergo universi ad quorum notitiam præsentia pervenerint, quod ego Joannes, domini Petri de Russentezim filius, divina cooperante gratia præfati Ordinis ductus devotione, matura deliberatione præhabita et consensu meorum verorum hæredum, in remedium animæ meæ ac meorum parentum, ad construendum prædicti Ordinis monasterium, omnia bona mea hæreditaria, ubicumque ea habui, tenui et possedi, de reverendi domini Magistri generalis Wiurici de Kneiprode ac Præceptorum licentia obtuli, dedi, donavi, et præsentibus dono : videlicet villam Cuppin cum sylva septuaginta mansorum, in qua est situm monasterium, cum tribus stagnis cum medio, et molendino cum cæteris suis limitibus et attinentiis; item, villam Czapel cum molendino, sylvis, pratis, piscinis, cæterisque juribus et pertinentiis; item villam Gdinge, cum omnibus suis usibus et pertinentiis, perpetuo proprietatis titulo possidenda. Renuntians ex nunc, tam pro me quam pro meis hæredibus, quidquid juris ad me hucusque pertinebat, omnem usum aut proventum dictorum bonorum ad prædictum monasterium integraliter transferendo. In cujus rei testimonium, sigillum meum et sigilla patris mei, necnon patruorum meorum Seifridi et Stephani præsentibus sunt appensa. Datum an. Dom. 1382, ipso die beatorum apostolorum Petri et Pauli.»

Etsi præfatæ Literæ datæ sint tantum anno 1382, constat tamen Nostros possessionem loci jam iniisse hoc præsenti anno, Rectoremque ibidem extitisse D. Joannem Teterow ex Saxonia oriundum; cui, cum Fundator nondum novæ plantationis sufficientem constituisset dotem, Patres Romæ congregati Paschatis feriis, tale per Chartam denunciarunt mandatum : « Præcipimus Rectori Domus fiendæ in Prussia quod revertatur, visis præsentibus, ad Domum suæ professionis Gratiæ Dei in Stetin. Et cum fundator dictæ Domus in Prussia compleverit dictam Domum tam in ædificiis quam in reditibus competentibus, tunc postea mittentur ibi personæ Ordinis cum Priore. »

Ex Charta 1382.

ANNUS
1381

Primus Prior Domus utpote minus obediens a Capitulo corripitur.

Piis hujusmodi minis motus fundator, timensque suo fraudari desiderio, ædificia dotemque confestim, ut ex descriptis Literis videre est approperavit. Ipse vero Rector, percepta illius promptiori voluntate, ibidem remansit conjecturam de suo faciens Patres haud improbaturos, si ad suos non esset reversus. Verum proh Patrum in tuenda obedientiæ observantia constantiam ! Licet in sequentibus comitiis, nova Domus tanquam satis dotata incorporaretur ipseque Rector in officio confirmaretur, nihilominus ad statuendum in eo obedientiæ exemplum, tanquam Capituli generalis mandatorum contemptor dure corripitur duriusque punitur. « Acceptamus (sunt verba Chartæ) et incorporamus Ordini Domum Paradisi B. Mariæ in Prussia, et ibidem præficimus in Rectorem Domnum Joannem Saxonem. Qui quidem D. Joannes, quia anno præterito non obedivit Capitulo generali, graviter reprehenditur ; sed ad preces fundatoris mitius secum agitur, dicatque pro pœnitentia psalterium unum et faciat unam abstinentiam, et in secreto quinque recipiat disciplinas. Injungentes sibi firmius quatenus religiose se teneat ut ex hoc Ordo in reverentia habeatur, et proximis bonum exemplum exhibeatur. »

Domus incorporatur.

Ex Charta Capit. apud Maurbach celebrati ann. 1383.

Fundator habitum Conversi induere intendit.

Anno sequenti, in Priorem Joannes præfectus, cum magna laude et utriusque status profectu, sexdecim annos præfuit, deinde cum res Domus Pomeraniæ nascentis sua industria in munere Rectoris non parum promovisset, circa annum 1404 defunctus est die secunda Februarii. Absolutis denique (præter ecclesiam quam alius construxit) hujus Domus ædificiis, voluit Russenczinus sicut olim decreverat, et seipsum Ordini tradere, obtenta prius Patrum licentia quam in Charta sic legimus : « Ad instantiam et humiles preces domini Joannis, primi fundatoris Domus Prussiæ, non obstante infirmitate quam patitur, concedimus sibi quod recipi possit in Conversum vel Oblatum in eadem Domo vel alia quæ ipsum voluerit recipere. » An desiderium compleverit dubitari potest, cum in Charta anni 1399, ubi designatur mortuus, dicatur tantum fundator Domus Prussiæ, nulla Conversi aut

Oblati facta mentione. Ex illius familia unicum reperio hujus Domus benefactorem, scilicet Gabrielem de Russenczin qui anno 1434 quædam prata Nostris contulit, et post mortem, quæ denunciata est in Charta anni 1436, habuit tricenarium per totum Ordinem.

ANNUS 1381

Ecclesiam hujus Domus suis sumptibus construxit religiosus ac inclytus miles Joannes Thiergardt, magnus Ordinis Teutonici Procurator, quam absolutam anno 1403, in die sancti Marci Papæ consecrari curavit. Ejus obitus reperitur in nostris Chartis ad annum 1405. Plures præter eum ex eodem Ordine, et præsertim fere omnes supremi Magistri nostros ab eo tempore dilexerunt, multisque beneficiis locupletarunt.

Ecclesia ædificatur.

F. Conradus Zolner de Rottenstein, Henrici Knyprodii de quo supra successor, de consilio, voluntate et consensu suorum compræceptorum, ut loquitur, ad laudem et gloriam Domini Dei nostri et benedictæ matris Mariæ, honorabiles et religiosos viros Cartusienses in Culpin et Ordinem eorum ab omnibus laboribus, lapidum vecturis et quibusvis servitiis equestribus perpetuo liberos et immunes effecit. Ipsis etiam piscationem in mari salso, cum omni retium et instrumentorum piscariorum genere, et alia multa concedit, scripto privilegio anno 1386, feria quinta post Vincula Petri, testibus Fratribus : Cunone de Libenstein, magno commendatore ; Henrico Gans, supremo trapiario ; Ulrico Hachenberger, thesaurario; domino Martino capellano eorum, Wernero de Jettingen et Conrado de Lichtenstein collegis suis, Simone et Henrico scribis, etc.

Teutonicorum militum supremi Magistri hujus Domus benefactores.

Piscatio in mari salso conceditur.

Conradus Valenrodensis, præfati Conradi successor, quem Guagninus scribit monachos sacerdotes et omnes ecclesiasticos odio persecutum fuisse ; Nostros tamen semper protexit,a quibus et benefactor habitus, tricenarium post mortem obtinuit, et anniversarium sub die sancti Bernardi quo obierat.

In Chorographia Prussiæ.

Ex Charta 1392.

Conradus de Jungingen post Valenrodensem electus, cum magna probitate et pace annis quindecim Ordinem suum

ANNUS 1381

gubernavit. Hic, anno 1395, proxima die Dominica ante festum sancti Andreæ apostoli, « Venerabilibus et religiosis viris Cartusiensis monasterii S. Mariæ Paradisi in districtu Gedanensi positi, contulit et donavit unam villam cum multis mansis et pratis, etc. » Testes fuerunt Fratres : Willelmus de Helfenstein, magnus commendator ; Wernerus de Tettingen, supremus marescalcus ; Sifridus Walpode de Bassenheim, supremus hospitalarius et commendator Elbingensis ; Joannes de Befarden, supremus trapiarius et commendator in Christburg ; Fridericus de Wenden, thesaurarius ; Joannes de Rumpenheim, commendator Gedanensis, etc. Idem supremus Magister paulo ante suum obitum quamdam donationem factam a Conrado Zolner confirmavit ; datæ sunt Literæ anno 1406 apud Marienburg, feria sexta ante Dominicam *Quasimodo geniti,* et inter testes habetur Ulricus de Jungingen supremus Marescalcus. Unde arguitur Guagninus qui scripsit Conradum obiisse anno 1404, et dictum Ulricum ei successisse. Sed constat tum ex præfato privilegio, tum ex Chartis nostris quod tantum obierit circa finem anni 86, vel sub initium sequentis in cujus Charta ejus obitus his signatur verbis : « Obiit dominus Chunradus generalis Magister Ordinis Teutonicorum, devotus Ordinis nostri et magnus benefactor Domus Prussiæ ; et concedimus quod in dicta Domo perpetuum anniversarium agere possint pro eodem domino Chunrado, etc. »

Ex Charta Seiz. an. 1387.

Itaque, Ulricus de Jungingen, præfati Conradi frater ex supremo Marescalco factus est generalis Magister ejusdem Ordinis circa annum 1407, qui contra Jagellonem Poloniæ regem dimicans, occubuit anno 1410 vel sequenti. Henricus, comes Plawensis, Ulrici successor, preces Ordinis petiit et obtinuit per Chartam anni 1412. Statimque in gratiarum actionem nostræ Domui concessit quemdam lacum in districtu Gedanensi, cum omni libertate scindendi ligna etc., datæ sunt Literæ hujus concessionis Gedani, feria tertia ante festum Purificationis B. Mariæ anno 1413 ; et inter testes leguntur Fratres : Fredericus comes de Zolm, magnus com-

Neugebau., Rer. Polonic. lib. V.

H. Pantal. de Viris illustribus German. P. II.

mendator ; Michael Kuchmeister, supremus marescalcus; Henricus de Plawen, commendator Gedanensis (alter a supremo Magistro) ; et plures alii.

Michael Sterbergensis, dictus Kuchmeister, toti Ordini præponitur non anno 1410 ut habet Guagninus, sed circa vel post annum 1413; quo quidem anno mox vidimus præsentem fuisse, ut supremum Marescalcum, donationi factæ ab Henrico de Plawen. Anno 1418, « de consilio et voluntate Conpræceptorum suorum, dat, infeudat et confert honestis et religiosis Dominis Cartusiensibus et cœnobio Mariæ Paradisus dicto, quasdam terras quas receperat a domino Nitze Stolnik de Oslanien, præsentibus R R. in Christo Patribus Joanne Culmensi et Joanne Sambiensi episcopis, ac Bernardo abbate Olivæ; datum præfato anno, feria quarta post Dominicam *Invocavit,* testibus Fratribus Ordinis : Paulo Rusdorff magno commendatore, Martino de Kemnach supremo marescalco, et aliis. » Anno 1420, die Jovis post Dominicam *Misericordia,* quoddam privilegium dedit. Et iterum anno 1422, confirmavit quamdam donationem Nostris factam, quibus et præterea contulit judicia magna et parva intra quosdam limites, dempto stratarum judicio ; et in hujus gratiæ Literis nominatur inter testes Paulus Rusdorff, supremus trapiarius et commendator in Christburg. « Obiit R. Dominus Michael, Magister generalis Ordinis Teutonicorum ; » ita ex Charta anni 1424, unde patet eum obiisse eodem anno vel superiori. Dicitur ante obitum precibus obtinuisse ut deponeretur.

Justitia magna et parva conceditur.

Paulus Rusdorff Magisterii celsitudinem consequitur, non anno 1409 ut vult Guagninus, sed multo tardius ; siquidem anno 1422, ut ex suprascriptis patet, adhuc erat supremus Trapiarius. Anno 1432, Dominica Palmarum confirmavit venditionem Nostris factam de quadam villa quam Samburius Pomeranorum dux, pro remedio animæ suæ et Zubislavi, anno 1260 dederat Conrado abbati de Doberan. Anno vero 1436, die S. Agnetis, quemdam lacum in districtu Gedanensi eidem cartusiæ contulit. Ejus tempore, provinciæ et civita-

ANNUS 1381

Preces pro universo Teutonicorum militum Ordine indicuntur.

tes Prussiæ jugum Teutonicorum Militum excutientes ad Regem Poloniæ defecerunt. Unde forsan videntur indictæ per totum Ordinem nostrum preces ab anno 1424 ad annum 1430 inclusive : « Pro impetratione cœlestis auxilii contra persequentes Ordinem Teutonicorum. » Porro ipse Magister mortuus circa finem an. 1440 denunciatur in Charta anni sequentis.

Conradus et Ludovicus ab Erlingshausen, præfati Pauli proximi successores, cartusiam Pacis Dei fundaverunt, ut suo loco fusius dicturi sumus.

Henricus Rhews, comes Plawensis qui anno 1432 tanquam magnus Commendator suscripsit privilegio a Paulo Rusdorffio supremo Magistro Nostris concesso; Ludovico successit anno 1467, et triennio post decessit, signatus in Charta anni 1470.

Post Henricum, quatuor supremi Magistri præfuerunt : deinde Alberto marchione Brandeburgensi, magisterium in ducatum hæreditarium convertente sectamque Lutheri profitente, totus Ordo teutonicorum Crucigerorum a Prussia alio ablegatus est.

Ex Fratribus ejusdem Ordinis plures etiam occurrunt in nostris Chartis; quorum hæc sunt nomina : « Dominus Christianus, sacerdos, Decretorum doctor, Ordinis Teutonicorum; obiit, ex Charta 1399. Dominus Nicolaus, sacerdos, præpositus hospitalis S. Elisabethæ, ejusdem Ordinis[a]. » Sacerdotes hujus Ordinis Missam celebrabant lorica induti et gladio accincti. « Dom. Walterus de Hunsback supremus marescalcus[b]. Dom. Raymundus Bremdel thesaurarius, et Dom. Conradus Bellerscheim (al. Berdustheim) commendator in Dantzic[c]. Frater Henricus de Novomagio Prior Ordinis Cruciferorum[d]. » Equites hujus Ordinis apud Autores sæpe Cruciferi vel Crucigeri vocantur, quod vestem albam ex utraque parte cruce nigra insignitam gererent. « Spectabilis dominus Joannes de Monteboyr, Decretorum doctor, commendator Domus Ordinis Teutonicorum in Herbipoli[e]. » Et plures alii ex quibus quidam facti sunt Cartusienses, ut alibi dicemus.

[a] Ex Charta 1418.

[b] Ex Charta 1430.

[c] Ex Charta 1435.

[d] Ex Charta 1452.

[e] Ex Charta 1455.

Ex aliis benefactoribus Dantiscanæ Domus, innumeri reperiuntur in eisdem Chartis, ut sunt : Rev. Dominus Joannes episcopus Pomeraniensis, qui dicitur multa bona fecisse Domui Prussiæ[a]; Gerardus de Beka, civis et Proconsul Gedani qui habuit anniversarium perpetuum per totum Ordinem sub die obitus sui, 10 Decembris[b]; cujus uxor nomine Anna anno 1428 denunciata fuit in Charta. Ejus quoque filius Joachim de Beka, consul, obiit ex Charta 1464. Hermannus Zust et Hildebrandus Aken, consules ejusdem urbis, ex Charta 1428; Walterus Oldarck consul ejusdem et Catharina, uxor ejus[c]. Raynoldus Erglinghoff et Elisabeth uxor ejus, cives Dantisci[d].

Alii benefactores.

[a] Ex Charta 1409.

[b] Ex Charta 1431.

[c] Ex Charta 1440.

[d] Ex Charta 1455.

Illustrissimus dominus Fridericus, de genere Ducum Misniæ, ex Charta 1511. Lucas episcopus Warmicensis, et venerandus dominus Enoch præpositus ejusdem Ecclesiæ, obierunt ex Charta 1514. Lucas vero dicitur veneno necatus anno 1512. Nicolaus Crapitz episcopus Culmensis, tot beneficia huic Domui contulit, ut post obitum habuerit plenum monachatum in Provincia Saxoniæ ex Charta 1515. Obierat anno præcedente apud Loebaviam quo se receperat post episcopatus abdicationem, circa annum 1509. Gaspar Bresse, fautor Ordinis et magnus benefactor obiit ex Charta 1530. R. Pater ac Dominus Hieronymus a Rozrazow episcopus Wladislaviensis, quasi alter fundator habetur quod hanc cartusiam ab alienis occupatam suo labore Ordini restituerit, ut dicemus anno 1588.

Beyerlinck. Theatr. Vitæ Hum. Tom. III, litt. E.

VII. E Prussia in Angliam transfretantes, alteram Domum hoc anno inchoatam invenimus juxta Coventriam, urbem episcopalem, Comitatus Warwicensis. Non uni tantummodo sed pluribus suam hæc Domus debet fundationem. Quidam enim Robertus Palmer, ruralis ecclesiæ juxta præfatam urbem quondam pastor, et inde cartusiæ Londinensis professus et Procurator, « primus motor et causa » esse perhibetur in *Monastico Anglicano ;* ubi et nobilissimo Willelmo de la Sowche initia hujusmodi fundationis tribuuntur : ac tandem Richardus rex tanquam « principalis fundator » agnoscitur

INITIA DOMUS JUXTA COVENTRIAM.

Tom. I, p. 936.

ANNUS
1381

In Catalogo monaster. anglic.

et nominatur. His igitur tribus omnem hujus cartusiæ institutionem merito debemus adscribere, non vero D. Joanni de Notherbyry, primo hujus plantationis Vicario, quem Joannes Speede, linguæ latinæ ignarus, ex verbis cujusdam Instrumenti in alienum sensum detortis, fundatoris etiam titulo perperam dotavit.

Qua occasione condita.

Ex ms. cartusiæ Bruxellensis.

Mira de Roberto Palmerio, qui primus motor dictus est, narrantur in schedis cujusdam Monachi Bruxellensis, quæ veram hujus condendæ cartusiæ occasionem his verbis indicant : « Imperante Wenceslao rege, erat pastor quidam ecclesiæ parochialis in Anglia, Robertus nomine, vir simplex, rectus ac timens Deum ; qui ex devotione transtulit se cum quodam alio presbytero ad Terram Sanctam ad visitandum sepulchrum Domini et loca Passionis dominicæ ; proposuitque in corde suo semper ibidem manere ; unde rogavit Dominum ut eum dirigeret ad aliquem locum, ubi ei devote et quiete servire posset. Sed ei revelatum fuit divinitus in Missa, cum super sepulchrum Domini celebraret, in idiomate anglicano, ut reverteretur in Angliam et Ordinem Cartusiensem intraret, quia Ordo ille esset semita recta ad vitam et Deo magis placens. Quo audito lætus effectus, retulit hæc socio suo, qui ambo inde recesserunt et in Angliam redierunt. Robertus vero cum venisset ad ecclesiam suam, revelatus est divinitus locus ubi deberet ædificare monasterium Ordinis Cartusiensis, et ibidem in Priorem eligi ad faciendum sibi ibidem populum acceptabilem Domino. Statim igitur surrexit festinans ad locum sibi divinitus revelatum, et incepit fodere sarculo et facere quadrangulum juxta longitudinem et latitudinem sibi divinitus ostensam. Quod cum vidissent villani ad quos spectabat prædium, cohibere conati sunt ne ulterius foderet : quibus ipse respondit in simplicitate sua, quod Domini esset terra et plenitudo ejus, qui et sibi hoc præcepisset pro monasterio construendo. Villani probitatem simul et simplicitatem sui Pastoris agnoscentes, noluerunt secum contendere nec eum constristare ; sed negotia et facta sua ad Regem Angliæ detulerunt, qui optime noverat virum

ANNUS 1381

et Pastorem præfatum, quoniam vir timens Deum erat; citavitque eum ad audientiam suam ut rationem redderet super sibi objectis, et cur alienam possessionem propria autoritate fodere cœpisset. Tunc Robertus (jam dictus Pastor) comparens, constanter necessitate compulsus retulit et exposuit coram Rege ordinem visionis, Regem interpellando quatenus advocatus et patronus causæ suæ esse dignaretur. Quod audiens, admirans pariter et agnoscens viri simplicitatem et sanctitatem, provocatus est ad risum dixitque Rex adstantibus : Quid vobis videtur ? Ecce Robertus citatus est coram me tanquam ad judicium, ad definiendum quod justum est in causa hac, et jam me requirit et postulat advocatum ; quid vobis videtur ? Videntes igitur omnes simplicitatem et sanctitatem Pastoris dixerunt Regi : Assumat, obsecramus, regia Majestas vestra hanc causam terminandam. Et factum est ut Rex emeret agrum illum et ædificaret ibi Domum ad laudem Dei et Ordinis Cartusiensis honorem, factusque est in eadem Domo sæpedictus Robertus monachus et postea, Deo disponente, Prior ; multis se exhibendo exemplarem per vitæ sanctitatem, atque transeundo de virtute in virtutem, in senectute bona quievit in pace. »

Rex Angliæ Ricardus cofundator.

Hactenus Manuscriptum Bruxellense, ubi error emendandus occurrit cum dicitur quod Robertus in hac Domo habitum religionis susceperit ; cum constat fuisse professum cartusiæ Londoniarum. Ut primum namque Rex fundandæ cartusiæ negotium in se recepit, ad sanctum virum Joannem Luscote Priorem cartusiæ Londiniensis Robertus occurrens absque mora habitum petit, recipit, vixque professione emissa Procurator instituitur, quo fundationem hanc suam facilius promoveret. Nec diu laboravit pius œconomus, quin votorum suorum expletionem cumulate impetraret, agente maxime nobilissimo viro Guillelmo de la Sowche, Regi a consiliis, et apud eum multa gratia pollente, qui rem totam absolvit, ut testatur Monastici Anglicani autor his verbis : « Anno Domini 1381, ad instantiam domini Willelmi domini de la Sowche proponentis primo fundare Domum Ordinis

Loco præallegato.

ANNUS 1381

Cartusiensis juxta Conventriam in honorem sanctæ Annæ, rex Richardus, secundus post conquestum, concessit et acceptavit dictam fundationem, et se fecit principalem fundatorem ejusdem. Et in Parliamento apud Westmonasterium post festum sancti Michaelis eodem anno celebrato, autorisata et confirmata fuit dicta fundatio. Facta deinde ab eodem domino de la Sowche fide de sufficienti dotatione facienda eidem Domui, missi fuerunt Conventriæ ad instantiam dicti Domini per autoritatem D. Joannis Luscote, tunc Prioris Domus Cartusiensis London et Visitatoris provinciæ, tres monachi ejusdem Domus London : videlicet Robertus Palmer tunc Procurator Londiniensis, qui fuit primus motor et causa ejusdem fundationis ; Joannes Neterbiry tunc Vicarius ejusdem Domus et Edmundus Dallyng, qui in vigilia sancti Andreæ apostoli venerunt Conventriam, et in eremitorio Sanctæ Annæ ibidem demorari cœperunt ; et deinde associatis eisdem tribus monachis Domus Bellævallis et aliis quatuor ibidem de novo professis, per septem annos in eodem eremitorio morati sunt. Deinde ad instantiam ipsius domini de Sowche, dominus Baldewinus de Freuylle miles, filius Baldewini senioris, dedit regi Richardo pro fundatione prædicta 14 acras terræ, in quibus Domus ipsa nunc sita est, de suo dominio Shoterbey. »

Domibus alienigenarum nova cartusia dotatur.

Rex autem variis temporibus varias donationes fecit, quarum Literas et Instrumenta apud idem *Monasticon* requiri possunt, in quibus fundatoris nomen semper sibi adscribit. Has vero concessiones non de suis, sed de monasteriorum alienigenarum facultatibus largitus est Richardus, ut ex iisdem Instrumentis videre est, ad quorum clariorem intelligentiam sciendum est quod quotiescumque bellum ingruebat inter Francos et Anglos, omnes Prioratus et cœnobiales conventus, ut loquitur Clemens Reynerus, domusque ac possessiones alienigenarum, tanquam hostium patriæ aut hominum hostibus ejus obnoxiorum, statim fisco regio ab ipsis Regibus Angliæ adjudicabantur. Habebantur vero Domus alienigenæ quæ vel ab ecclesia transmarina pendebant (ut Cistercienses

Apostol. Bened., tract. II, sect. 4, §. 9.

Quid Domus alienigenæ?

et Cluniacenses) etiamsi fuissent alias indigenæ, vel habebant alienigenum Præfectum sive Abbatem sive Priorem. Tumque cogebantur Domus prædictæ ecclesias cunctaque bona sua, a Rege *in firmam* (ut vocant) elocata, annuo censu soluto accipere. Hæc externorum Monachorum vexatio cœpit maxime sub Eduardo II, recruduitque temporibus Richardi hujus Domus fundatoris, cujus edicto bona alienigenarum ut prius proscribebantur, hac tamen temperatione adhibita quod pleraque monasteriis indigenis uniebantur. Quamobrem, ipse, ut facilius novam dotaret cartusiam, quosdam ex iisdem Prioratibus, pluraque eorum prædia ei aliisque ejusdem regni cartusiis adscripsit. Monachi vero hujusmodi edicto ex Anglia expulsi, ne sua omnino perderent, ea pretio abalienandi obtenta licentia, quotquot Nostris necessaria ac convenientia erant vendiderunt. Et quidem ad quoddam tantum tempus ut ex hac clausula, « durante guerra » Literis regiis inserta colligere est, et ex renovatione eorumdem edictorum sub Henrico IV et ejus filio facta; quæ certe necessaria non fuisset, si proprietarii ea tunc non possedissent. Hæc annotanda necessario fuerunt ad notitiam fundationis tum hujus Domus Coventrensis, tum aliarum Regni Angliæ, de quibus suis locis dicemus. Præter hanc Domum, aliam quoque antequam ab adversario captus carceri manciperetur, Richardus fundare decreverat, prout nobis indicat Charta capitularis anni 1402, ubi obitus illius his verbis denunciatur : « Serenissimus Princeps Richardus, rex Angliæ, qui fuit Ordini devotissimus et unam Domum Ordinis ædificare disposuerat, obiit; habens Tricenarium, etc. » Jam obierat sive necatus fuerat anno 1399. Qui licet apud plerosque scriptores male audiat, ejus tamen studium erga orthodoxam fidem multum a Knyghtone commendatur. Quandiu regnavit, scilicet per annos viginti duo, singulis annis preces pro eo per totum Ordinem fundebantur. Anna illius uxor, Caroli Lucemburgi Imperatoris filia, hujus novæ plantationis res ita promovit ut ad specialem ejus instantiam, ut in Monastico Anglicano dicitur, plenariam fundationem Rex in se acceptaverit.

ANNUS 1381

Walsingh. Hyp. Neustr. p. 506.

De Eventib. Angl. Lib. V.

ANNUS
1381
Præcipui benefactores.

Inter præcipuos benefactores hujus Domus, primum merito locum obtinet Baldewinus Freuyle, miles, quem vidimus supra ad preces Willelmi Suchii dedisse locum ubi nova plantatio erecta est.

Alii quoque annumerantur benefactores in citato *Monastico,* quorum hæc sunt nomina et beneficia : Richardus Luff, dudum Major civitatis Coventriæ et Joannes Botener socius ejusdem, similiter civis civitatis prædictæ, speciali devotione ad dictam Domum affecti, primo plura expenderunt in factura stagnorum, et deinde in ædificatione chori et ecclesiæ et claustri aliarumque domorum, et pro ejusdem Domus promotione, viis et modis quibus potuerunt penes alios continue instituerunt ; unde et tres cellas proximiores domui capitulari a parte orientali claustri, sumptibus suis ædificaverunt. Summa vero expensarum in prædictis per eosdem æstimatur ad quadringentas marcas se extendere.

Deinde quidam Johannes Holmeton de Sleford, affectus specialiter ad ipsius Domus incrementum, contribuebat cum præfatis Ricardo et Joanne in ædificatione chori, et expendit ibidem CIV libras ; et ipsius promotione facta fuit cella angularis in parte occidentali claustri, de bonis Willielmi Tilney cujus ipse executor fuit, scilicet xx libris expensis.

Cellæ

Cella quarta ab ecclesia in parte orientali, ædificata fuit per dominam Margeriam Biri de Newerke, quæ dedit xx libras ad ejus ædificationem, et librum cum Isaia et Jeremia glossatum.

ex stipe collata

Cellam quintam, scilicet ultimam in illa parte orientali, construebat domina Margeria Tilney de Rotston, dans xx libras ad ejus constructionem, et decem libras dedit ad fenestram in capite chori.

Cella sexta, videlicet prima in parte claustri australi, ædificata fuit per dominum Joannem Bokyngton, episcopum Lincolniæ, cum xx libris datis per eum.

ædificantur.

Et memorandum quod septem cellæ suprascriptæ, ædificatæ fuerunt ante fundamentum ecclesiæ factum per regem Ricardum ut patet infra.

Anno Domini MCCCLXXXV, Dominus Ricardus, rex Angliæ prædictus, principalis fundator Domus Sanctæ Annæ, rediens de Scotia, circa festum Nativitatis beatæ Virginis, et veniens Coventriam, die sabbati infra octavas Nativitatis ejusdem, equitando ab alta via usque ad Domum ipsam Sanctæ Annæ, viam regiam ipsam tunc fecit, necnon et propriis manibus posuit primum lapidem in fundamento ecclesiæ, videlicet in capite ejusdem chori orientali, protestando publice coram Dominis et Magnatibus tunc præsidentibus, necnon in præsentia civium civitatis Coventriæ, se esse fundatorem Domus prædictæ et velle ipsam Domum ad effectum finaliter producere. ANNUS 1381

Cella octava, scilicet tertia in parte australi, facta fuit cum xx libris legatis per Adam Botener, civem Coventriæ.

Cella nona, scilicet proxima sequens, facta fuit cum xx libris de bonis Domini Nigelli Loryng militis, per dominum Robertum Braybroke, episcopum Londini, dictæ Domui acquisitis.

Cella decima, videlicet angularis, prima parte occidentali, facta fuit de bonis Willielmi Tylney, ut supra scribitur.

Cellam undecimam videlicet proximam sequentem in parte occidentali, fecit dominus Joannes Morton, canonicus de Lichfeld, cum xx libris de bonis suis, et dedit unum librum continentem partem Bibliæ in Testamento antiquo et novo.

Præterea duorum adhuc nomina occurrunt in Charta anni 1506, quæ sic habet. « Beneficia alias concessa domino Ricero Willougby militi, et Willelmo Wigstan mercatori per Capitulum generale sub sigillo Cartusiæ in talibus apponi consueto, confirmamus et ratificamus ; nec liceat amplius monachis de hac materia murmurare, sed illa inviolabiliter, ut justum est, servare studeant. »

VIII. Hoc anno sanctissime decessit Joannes Ruysbrock, Ordinis Canonicorum regularium, et ex vicario et presbytero ecclesiæ S. Gudulæ in urbe Bruxellensi, primus Prior cœnobii ejusdem Ordinis in Viridivalle, dictus Doctor divinus et excellentissimus contemplator ; cujus ideo hic men- RUYSBROCKII OBITUS.

ANNUS 1381

Bibliothec. Lib. IV.

De signis Eccl. Lib. X. c. 12.

Non fuit Cartusianus.

tionem facere visum fuit, ut aliis errorem hunc eriperem qui volunt nostri illum Instituti fuisse. Ita enim, ait Sixtus Senensis : « Joannes Ruisbroechius Cartusianus, summus atque sanctissimus vir, etc. ; » quin et Thomas Bozius enumerans germanicæ aliquot nationis Cartusienses, qui literarum suarum monumentis Christianum illustrarunt orbem, etiam Ruysbrockium inter illos collocat, cum constet illum fuisse et in vita et in morte Canonicum regularem. Totius vero erroris fons ex homonymia processit, nempe ex Valleviridi nomine cartusiæ Parisiensi communi et Prioratui S. Augustini in Viridivalle, non longe Bruxellis, Brabantiæ urbe, sito. Debet hoc tamen Christiana respublica nostræ Coloniensi cartusiæ quod V. P. Laurentius Surius ejusdem Ruysbrockii Opera omnia ex germanico idiomate in linguam latinam transtulerit, impressa primum Coloniæ anno 1532, itemque recusa ibidem anno 1588 et 1609 in-quarto.

Ap. Bohic, ad ann. 1381.

In opusculis porro divini hujusce contemplatoris quiddam fuit quod doctissimo Parisiensis Ecclesiæ cancellario Joanni Gerson displiceret. Extat inter ejus Opera epistola ad Bartholomæum Cartusiensem, in qua duas priores partes libri Ruisbroechii *de Ornatu spiritualium nuptiarum* multum laudat, sed tertiam partem prorsus rejiciendam esse putat. Sic enim nostrum Bartholomæum alloquitur : « Pridem librum quemdam per te habitum, cujus titulus de Ornatu spiritualium Nuptiarum, in transcursu legeram ; novissime illum attentius relegens, comperi multa ibidem tradi salubria et alta documenta. Nam prima Pars instruit ad vitam activam ; secunda Pars ad vitam spiritualem, quæ affectualis dici potest, etc. ; tertia Pars notificare nititur quæ sit excellentia vitæ contemplativæ quæ beatificæ visioni in anima approximat ; » et post pauca : « sunt, inquit, ut meum interim est judicium, duas Partes priores satis utiles, in quibus nihil deprehendi quod non possit salva fide et morum puritate salvari. » Tandemque ad tertiam Partem deveniens, de ea sic loquitur : « Tertia Pars ejusdem libri prorsus repudianda rescindendaque est tanquam vel male explicata, vel plane abhorrens et

An in quibusdam erraverit?

discrepans a doctrina sana Doctorum, qui de nostra beatitudine locuti sunt. » Hæc Gerson contra quem statim patrocinium Ruysbrockii suscepit Joannes de Schoenhavia, ejusdem monasterii Vallis viridis canonicus regularis, cujus et Tractatus post præfatam Gersonis ad nostrum Bartholomæum epistolam extat editus. Joanni Schoenhaviæ reposuit doctissimus Cancellarius, scripta ad nostrum Bartholomæum altera epistola gravi et matura, qua simul indicat quam circunspecte ipsis quoque vocibus uti debeant qui dogmata tractant ecclesiastica. Non ulterius hinc inde tunc concertatum est; sed postea nostri Dionysius et Surius, Possevinus et alii, sed maxime nostri Colonienses in editione, ni fallor, anni 1609 operum Ruysbrockii, multa in ejus defensionem congesserunt quæ eum ob omni errore, ne dicam hæresi, prorsus alienum fuisse satis ostendunt.

JESU CHRISTI

ANNUS 1382.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 5.	Ann. 299.	Ann. 16.

CAPITULUM GENERALE URBANISTARUM,

I. ANNUS a partu Virginis millesimus trecentesimus octuagesimus secundus, Indictione quinta, vidit tandem Ordinem Cartusiensem, invitis quantumvis Patribus in duas partes prorsus divisum. Cum enim audisset Urbanus multos ex Nostris licet Principibus partes illius sequentibus subditos, vel neutralitatem adhuc tenere, vel etiam Guillelmo Priori Cartusiæ tanquam totius Ordinis Ministro generali obedire ; timens ne propterea Clementi fortius adhærerent, jussit ut in Comitiis generalibus, quæ juxta mandatum anno elapso promulgatum, Romæ feriis secunda et sequentibus post Pascha celebranda erant, novus Minister generalis crearetur. Congregati itaque ex Italiæ, Germaniæ et Galliæ Belgicæ provinciis Priores, primum preces indicunt « pro sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro Urbano, sacrosanctæ universalis Ecclesiæ Papa VI, et ut Deus cunctos rebelles et schismaticos prosternat sub pedibus ejus ; præcipiuntque, ut in qualibet Domo Ordinis semel in die, in missa conventuali *de Vivis* dicatur oratio : *Deus omnium fidelium* » : cui præterea « concedunt plenum monachatum » post mortem illius persolvendum. Declarantque illum « misisse Capitulo generali florenos centum pro eleemosyna. » Deinde absoluto, quantum in se erant, Guillelmo Raynaldo, Johannotum sive Joannem de Baro ex Visitatore generali, non solum in Generalem totius Ordinis deligunt, sed

Romæ celebratur.

J. de Baro in Generalem Ordinis electus,

ANNUS 1382

tanquam Priorem Cartusiæ Majoris habendum venerandumque esse decernunt tali decreto : « Item Domnus Guillelmus olim Prior Cartusiæ denunciatur hæreticus, schismaticus et excommunicatus, et privatur omni beneficio et officio in æternum. Et D. Joannes de Baro, Prior sancti Martini prope Neapolim præficitur in Priorem et Domnum Majoris Cartusiæ, et præcipitur omnibus ut obedientiam ei promittant. »

exautorato G. Raynaldi.

Ab eo igitur tempore ad finem usque schismatis, cuncti Generales qui pro Pontifice Romano tenuerunt, nomen Prioris ac Domni (ut vulgo vocamus) Cartusiæ Majoris sibi arrogarunt, et in Charta hujus anni ac sequentium, injungitur una missa de B. Maria in qualibet Domo dicenda « pro nostro Reverendo Patre Domno Joanne, Priore Cartusiæ, ut Deus protegat ipsum et conservet. » Deinde post ejus electionem rursum Capitula tam generalia quam privata a Patribus Gallis abhinc triennio habita, nova sententia juxta Urbani mandatum, damnata sunt ac reprobata : « Damnamus et improbamus (sunt verba ejusdem Chartæ) omnia et singula Capitula tam generalia quam privata in Domo Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, facta ab anno videlicet 1379 vel ibidem de cætero facienda, durante dumtaxat schismate, tanquam ipso jure nulla et hæretica pravitate infecta. » Statimque anathema in Priores nostro Guillelmo adhærentes vel adhæsuros vibratur in hunc modum : « Et omnes personæ Ordinis denuntiantur excommunicatæ, et privantur omni beneficio et officio Ordinis, qui aliquo modo communicant supradicto Domno Guillelmo vel Capitulo suo, durante schismate. » Et ut ostenderint quam invite ista pronuntiabant, decernunt « ut fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto, ut Deus sua misericordia reducat Ordinem nostrum ad veritatem et concordiam. Et quælibet persona Ordinis post Matutinas B. Mariæ pro eadem causa dicat septem *Pater noster* et *Ave Maria.* »

Inde sicut duo erant SS. Pontifices, ita et duo Generales.

Acta hujus Capituli.

Vita Steph. Maconi, Lib. II. c. IV

Verum quia præcipuus et quasi unicus totius mandati Urbani scopus erat ut a Nostris verus ac legitimus haberetur Pontifex, ideo præclara ordinatione isti Patres pronuntiant

Neutralitas damnatur.

ANNUS 1382

eum tanquam certissimum ac germanum Christi vicarium tenendum esse ac colendum, declarantes præterea omnes qui neutralitatem sectarentur, omni honoris gradu et Ordinis beneficiis penitus esse spoliandos. Illustre certe, ac Cartusiensium simplicitate et erga summum quem verum credebant Pontificem fide dignum est, quod super hac re ediderunt hic subjectum decretum :

Urbanus ut verus Papa proclamatur.

Vita Steph. Maconi. p. 65.

« Item, quia nostris peccatis exigentibus, multi ex plebe Christiana errore labuntur, et quod nefas est dicere, veritate relicta, Ruberto Gebennensi antipapæ præjudicialiter credunt et pertinaciter adhærent : ideo, nos humiles servi Jesu Christi ac fideles S. Matris Ecclesiæ, sedente nostro Capitulo generali, determinamus, definimus, credimus, confitemur Sanctissimum in Christo Patrem et Dominum Urbanum divina Providentia Papam VI, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ verum ac summum Pontificem, ab omnibus tunc Cardinalibus pure et voluntarie electum, juridice inthronizatum et publice coronatum ; cujus ordinationibus et præceptis, nos et nostrum Ordinem submittimus et inclinamus, tamquam vero Christi Vicario et ejusdem dictæ sanctæ Matris Ecclesiæ summo Pontifici. Omnes autem personas Ordinis cujuscunque gradus, sexus vel conditionis existant, quæ cum eodem Domino nostro summo Pontifice fideliter non tenerent, vel viam perditionis, indifferentiæ scilicet et neutralitatis sequerentur, ex nunc prout ex tunc, omni Ordinis beneficio decernimus esse privatas. »

Priores Argentinens. et Friburg. excommunicantur,

Inter Privileg. n. 98.

quia partes Clementis VII servabant.

Super hæc cum audisset Urbanus nostros Argentinenses et Friburgenses, anno præcedente, Guillelmum de Agrifolio cardinalem a Clemente in Germaniam legatum hospitio excepisse, et ab eo impetrasse potestatem interdicti tempore alta voce, septis clausis, divina officia juxta ritum nostrum celebrandi, jussit Priores utriusque Domus nominatim excommunicatos pronunciari; quod etiam factum est, lata hujusmodi sententia : « Priores Domorum Argentinæ et S. Joannis prope Friburgum denunciamus absolutos et excommunicatos, tum ex mandato Domini nostri summi Pontificis, tum

etiam ex ordinatione nostri Capituli generalis. Qui, si ad fidem sanctæ Matris Ecclesiæ redire voluerint, ac antipapam Robertum et Guillelmum olim Priorem Cartusiæ per sua sacramenta abjurare, Visitatores dictæ Provinciæ eos a vinculo excommunicationis absolvere valeant, ac etiam eos iterato confirmare in officio Prioratus.

Joannes de Brunswick tunc Prior Argentinensis a suis Conventualibus, qui Pontificis Romani partes semper posthac secuti sunt, derelictus, Friburgum aufugit, ubi et paulo post præfectus, monachos sub Clementis obedientia retinuit. Prior vero Friburgensis, cujus nomen et obitus hactenus latuere, videtur e contrario, intentatis in se censuris territus, locum præfato Brunswicensi cessisse et a Clementinis ad Urbanistas declinasse.

Neutralitas ad tempus servata ab Hollandis Cartusianis.

Hollandi Cartusienses a suo Principe coacti, neutri parti favebant ; quamobrem Domo eorum sive ab Episcopo Ultrajectensi sive ab Urbani Legatis interdicto perculsa, quidam ex eis, Petrus nomine, motus religione Coloniam se transtulit, ubi per Chartam jubetur « stare quousque Domus sua reconcilietur. » Deinde Comite Hollandiæ a neutralitate revocato, acceptis a suis confratribus literis, Romam ubi ab Urbano pro suis ab interdicti censura absolutionem obtinuit, primum hoc anno se contulit, sequenti vero ad cartusiam Maurbacensem Capitulo generali celebrando designatam. Ibi acta apud Patres suorum causa, laudatur quod « Romæ adeo multum fecerit pro conversione Domus suæ a neutralitate ad quam quasi invita tracta fuerat, » auditaque Prioris sui Balduini in officio confirmatione, in gratiam quoque Principis sui preces per totum Ordinem fieri impetravit.

Chart. Capituli Maurbac. 1383.

Noster quoque Kalkariensis Prior Coloniæ qui hactenus Clementinus fuerat, Urbanista factus est, ac propterea in pristinum Visitatoris locum (unde anno præcedente deciderat) restitutus, cum prius audisset a Patribus « quod graviter portarent si obedire recusaret. »

Denique in eisdem Romanis Comitiis, ordinatur de voluntate et consensu omnium Priorum, quod « de cætero celebre-

ANNUS 1382

tur Capitulum generale annis singulis, una vice, in Domo Vallis omnium Sanctorum in Maurbach in Alemania superiori ; et alia vice in Domo Montelli prope Venetias in Lombardia propinquiori successive, et fieret tempore contento in Statutis, sicut in Cartusia Majori fieri consuevit ; incipiendo a dicta Domo Vallis Omnium Sanctorum, ubi sequenti anno immediate fiet Capitulum generale. In alio vero anno immediate fiet in dicta Domo Montelli. » Sed hanc dispositionem videbimus postea mutatam. Et ut ab usibus primariæ Cartusiæ quam semper venerabantur nullatenus aberrarent, ordinant pariter quod « ad celebrandum Capitulum privatum convocentur, si fuerit necessarium, Priores Domorum Trisulti, Florentiæ, Lucæ et Pisarum, quibus præterea conceditur, ut possint de Vicario Ordinis providere usque ad sequens Capitulum generale, in casu quo contingeret venerabilem Patrem Priorem Cartusiæ, Joannem de Baro, exolvere debitum universæ carnis, et in hoc casu, antiquior teneat locum Præsidentis. »

Urbanus suis benefacit Cartusianis.

Lib. II, cap. IV.

His ita constitutis, idem Generalis recens electus, ut asserit noster Bartholomæus Scala, Urbanum adiit, adorandi renuntiandique causa quæ generalibus in Comitiis juxta illius mandatum acta decretaque fuerant. Pontifex vero hominem arcte complexus, multa cum eo humanissime contulit de retinenda in officio monastica disciplina. Et sicut olim nostro Ordini peramicum se fuisse fatebatur, imposterum impensius multo se illi opitulaturum promittebat ; quod certe statim factis ostendit, data bulla ad Priorem generalem die 15 Aprilis, pontificatus sui anno quarto, qua totum Ordinem eximit ab omni contributione et exactione, declaratque Nostros ad eas non posse compelli per quascumque Literas vel instantias Nuntiorum apostolicorum, nisi in eisdem Literis fieret mentio expressa de nomine omnium et singulorum monasteriorum Ordinis Cartusiensis. At Urbanus his non contentus, cum sciret plures e Nostris in inferiori Germania seu Belgio constitutis medios se gerere, semper sperans multos tum ex clero, tum ex populis in brevi subsecuturos

Extant inter Privil. n. 108.

si Cartusienses præirent, misit Legatos in easdem regiones, qui eos cogerent ecclesiasticis censuris obedientiam sibi præstare. His cognitis cartusiarum quarumdam Priores et Conventus ita egerunt apud Arnoldum de Horn, episcopum Leodiensem Urbano adhærentem, ut ipse Legatorum consiliis obvians, cæteris Domibus quæ necdum Urbani partes susceperant, Literas dederit, quarum virtute nihil contra Nostros Legati attentarent, sed eos in sancta simplicitate ad tempus manere sinerent.

Florentina cartusia sedes Ordinis constituitur.

Interea secum reputans Pater Jannotus Domum Neapolitanam cujus regimen tenebat idoneam non esse, propter bella quibus totum illud regnum ardebat, ad negotia Ordinis secure ac commode pertractanda, Florentinam cartusiam in ipso quasi Italiæ umbilico positam, sui Generalatus sedem sibi constituit ; demandata, si credimus autori Vitæ Stephani Maconi, Neapolitanæ cartusiæ regendæ cura Domno Joanni Falconio, qui per id tempus prædictæ Domui Florentinæ præerat. Sed ad designatam sibi gubernationem Falconius videtur non accessisse, impeditus forsan irruptionibus militum totam hanc patriam devastantium : nam probabimus anno sequenti Joannem Grillum in regimine Neapolitanæ Domus obiisse.

CLEMENTINORUM GENERALIA COMITIA.

II. Dum hæc ab Urbanistis aguntur, Clementini Cartusienses, more consueto apud Matrem Cartusiam congregantur die 4 Maii et sequentibus ; ubi vero preces pro Clemente, pro Regibus Franciæ et Hispaniæ, pro Regina Siciliæ, Duce Andegavensi, comite Sabaudiæ, et « aliis Principibus Catholicis et defensoribus Matris Ecclesiæ » indixerunt, rati sunt non pari clarigatione utendum contra Patres Italos eisque adhærentes, quos sciebant non tam sua sponte quam Pontificis Romani jussu tot in eos censurarum fulmina intentasse ; verum ne a Clemente eorum silentium ignaviæ adscriberetur, suo officio fecisse satis crediderunt, si Conventus tam generales quam singulares extra Cartusiam habitos solemni condemnarent sententia, quam simplicibus ac modestis verbis in hunc modum pronunciarunt : « Condemnamus et repro-

ANNUS 1382

bamus omnia Capitula generalia et privata ubique terrarum per personas Ordinis nostri Cartusiensis a tempore obitus Sanctissimi in Christo Patris Domini Domini Gregorii Papæ XI, extra Domum Cartusiæ in Sabaudia celebrata. »

Ordinationes.

* i. e. Avenionensem.

Deinde soli observantiæ sustentandæ attenti, quosdam abusus corrigere studuerunt, inter quos præcipuus erat nimius Nostrorum ad Curiam Romanam* accessus, ad quem cohibendum sequens decretum Statutis nostris consentaneum edicunt : « Cum contra nostri Ordinis honestatem et laudabilia instituta, multi Priores et personæ nostræ Religionis absque licentia Patris nostri Domni Cartusiæ vel Capituli generalis, modernis temporibus præsumant Curiam Romanam intrare et frequentare et a sancta Sede apostolica diversas gratias impetrare, cum tædio et infestatione Dominorum Cardinalium qui præfato Patri nostro Domno Cartusiæ pluries mandaverunt : volumus et ordinamus ut nullus Prior, Monachus, Clericus vel Conversus, prætextu cujuscumque licentiæ olim impetratæ a Domno Cartusiæ vel in futuro impetrandæ, pro quocumque negotio Curiam ingredi possint supradictam sine licentia expressa Diffinitorum Capituli generalis ; sed mittant per nuntium sua qui indiguerint negotia ad Procuratores Ordinis quos creavimus.... qui dicta negotia habebunt promovere et etiam expedire, ad expensas Domorum quarum negotia prosequentur. »

Hactenus Charta capitularis per quam præterea « conceditur Visitatoribus universis quod possint infra suas Provincias, conventus dividere qui non possunt de propriis facultatibus sustentari ; ita tamen quod ipsæ Domus semper retineant aliquas personas pro divino Officio celebrando. » Et id quidem prudenter sancitum juxta Canones qui prohibent monachos in monasteriis recipi ultra quam possint ali ex illorum reditibus. « Eamdem gratiam, pergit Charta, conferimus iis qui in suis Domibus propter Dominos seu Principes suos et vicinos populos schismaticos non poterunt absque periculo residere. Priori vero Scalæ Dei committitur quod Priori sancti Pauli et aliis Prioribus provinciæ Cataloniæ

possit facere misericordiam super annum, si utilitati et paci Domorum viderit expedire, vel etiam si sub misericordia et Capituli generalis obedientia noluerint remanere. » Unde licet conjicere quosdam ex eisdem Cataloniæ Prioribus vel Urbano tunc favisse vel neutralitatem tenuisse, cunctis quo se verterent nescientibus. Nec mirum certe si, matre Ecclesia tot turbis agitata, conturbarentur et ejus filii.

Quid de hac divisione senserit autor Speculi Cartusiensis ?

Autor Speculi Cartusiensis de hac Ordinis consummata divisione scribens, de primo generali Capitulo Romæ habito sic loquitur. « Super omnibus his, ex parte D. Urbani Papæ, Capitulum nostrum generale ad Pascha tunc futurum in alma Urbe Roma ad Sanctam Crucem, quæ est nunc Ordinis nostri, celebrari institutum est. Cui Capitulo plures Priores Alemaniæ, Picardiæ, Angliæ et aliarum regionum Romanæ Ecclesiæ subjectarum interfuerunt et ad præsentiam Papæ accesserunt. Ibique diffinitum fuit de novo quid in hunc eventum agendum erat. Dehinc, proh dolor ! fiebant excommunicationes, dignitatum privationes et suspensiones ex utraque parte. Una pars alteram vitabat, nec communicare poterat unus cum altero propter vim præceptorum. Unum tamen erat notabile satis quod hi qui erant ex parte Domni Majoris Domus Cartusiæ, stantibus his malis, magis vexabant eos qui erant ex parte Romanæ Ecclesiæ ad obedientiam eorum et ad communicandum ; cum et ipsi e contra qui erant de obedientia Romanæ Ecclesiæ magis eos imo potissime vitaverint ex alia parte. » Hæc ille qui jam aliquot annis post sedatum schisma scribens, carensque forsan Chartis capitularibus, aut potius eas pigrescens legere, justum propterea de utraque parte ferre judicium non potuit. « Hæc, pergit idem Autor, quantæ tunc in Ecclesia Dei per orbem ex utraque parte in detrimentum Ecclesiæ fiebant desolationes et abusiones. Prælati et probi viri, clerici et idonei, de dignitatibus dejiciebantur, beneficiis ecclesiasticis privabantur, et indigni et idiotæ intrudebantur. Populus quodammodo judaizare sub bicipite incipiebat. Et alia infinita mala his malis pendentibus, peccatis nostris exigentibus evenerunt. »

ANNUS 1382

WICLEFFUS CONTURBAT ECCLESIAM.

Raynald. ad ann. 1383, n. 12.

H. Knygton de Eventib. anglic. Lib. V.

III. Horum malorum illud certe pessimum fuit, cui ortum præbuere prava Joannis Wicleffi dogmata. Hæc jam ab aliquot annis impius ille Heresiarcha illiusque sectatores per Angliam sparserant, cumque quidam ex primariis nefandæ illius doctrinæ signiferis, nomine Nicolaus Herefordiensis, magistri sui errores ab Ecclesia Anglicana damnari ferre non posset, ad Urbanum circa hoc tempus provocavit, professus ejus sententiæ se obtemperaturum. At ille summo Pontifice judicium ferente damnatus ac perpetuo carceri mancipatus est ; mota vero paulo post Romæ seditione, et a furente populo carceribus diffractis elapsus, Angliam repetit ubi cum anno 1388 sua et Wicleffi ac Joannis Aston hæresis antesignanorum scripta flammis tradi edicto regio cerneret, tandem memor unde exciderat, erroribus abjuratis, perpetuam sibi pœnam ultro indixit, asperum scilicet vitæ Cartusiensis institutum amplectendo in Domo Coventrensi. Ibi, post professionem emissam jugi silentio continuoque ex malis per se toti Ecclesiæ importatis concepto dolore, residuum vitæ Deo sacrificavit, sicque prima charitate, ut par est credere, recuperata, mortuus est circa annum 1420 in cujus Charta obitus illius cum Doctoris titulo, contra consuetum Ordinis morem, his paucis verbis designatur : « Obiit D. Nicolaus Erfordiæ, sacræ paginæ professor, monachus Domus S. Annæ prope Coventriam, habens tricenarium, etc. » Ejus ad nos transitum Antonius a Wood de retractatione quorumdam Wicleffitarum loquens, sic describit : « Herefordiensem vero quod attinet.... animo is præfractiori erat, neque cum reliquis de sententia decessit : tandem vero succubuit (loquitur hæreticus) et Conventriam profectus habitum Cartusianum induit, ibique in cœnobio S. Annæ vitam transegit usque ad mortem nemini molestiam aliquam facescens. »

Harpsfeld, Hist. Wiclef. cap. v.

Nicolaus primarius ejus assecla fit Cartusianus.

Histor. antiquit. Universit. Oxon. Lib. I, ad annum 1382.

HOC ANNO OBIERUNT :

Chronic. ms. cartusiæ Argentinensis.

IV. Hoc anno plures inter Nos obiere viri tum pietate tum eruditione illustres. Quorum unus fuit Arnoldus de Trajecto quem antiqua Monumenta vocant « monachum valde devotum et litteratum, per omnia dulcem gratumque Deo et ho-

ANNUS 1382

D. Arnoldus Prior Argentinensis.

Charta ann. 1370.

minibus. » Hic factus Cartusiensis Confluentiæ, decennio post Domum apud Herbipolim recens fundatam regendam suscepit ; deinde Argentinensem et Confluentinam. Ab hac enixis precibus absolutus, cum præ humilitate mallet subjici quam præesse, officium Procuratoris per aliquot annos in Trevirensi cartusia prudenter egit, emissa ibidem pro temporum consuetudine altera professione. Interea deposito in comitiis Cartusiæ anno 1380 Priore Moguntino, Patres Arnoldi talenta diutius abscondi nolentes, « consulunt Conventui ut eum eligant, quem ad hoc, si necesse est, habilitant. » Verum horum comitiorum actis paulo post a Conventu Patrum Italorum Florentiæ privatim congregato rescissis, Moguntini alium sibi pastorem elegerunt. Denique in locum Joannis Brunswichii a regimine Argentinensi, ut vidimus supra, dejecti et excommunicati, Arnoldus jam senex substitutus, pro bono obedientiæ acquievit vel invitus, prædicens se in mortem ire et non diu victurum, quod et factum est ; quinta namque sui Prioratus hebdomada, circa mensem Junium, beata fine quievit in Domino, denunciatus cum tricenario in Charta anni sequentis.

D. Joannes Castoris,

Ad Patres quoque hoc anno, die 17 Octobris appositus est Joannes Castoris, Prior tertius Horti Beatæ Mariæ apud Pragam, quem spectatissima virtus, singularis in agendis prudentia et peritia, zelus Ordinis, morumque integritas multum commendavit apud Principes, tum ecclesiasticos tum seculares. Ernestus, primus Ecclesiæ Pragensis archiepiscopus et Joannes Oczko illius successor, Castoris inducti pietate multa beneficia tum Pragensi Domui tum Majori Cartusiæ contulere. Albertus episcopus Litomeriensis, Prioris ac monachorum Horti B. Mariæ religione motus, Rubum beatæ Mariæ ædificavit. A Carolo Imperatore noster Castoris amatus, ab eo multa privilegia toto Ordini impetravit. Quanti vero eum æstimarint Principes Moraviæ ex hoc maxime innotescit quod ad eorum petitiones, administratio Domus Brunnensis ab eis recens fundatæ, penitus illius prudentiæ commissa fuerit. Domos Germa-

ANNUS 1382

Ex Chartis ann. 1370 et 1373.

niæ remotiores jubentibus Patribus Ordinis sæpe visitavit. Tot laboribus in promovendis Cartusiensium rebus toleratis exhaustus, cum tandem suæ saluti quietius vellet vacare, causatus infirmitates et senectutem, per Chartam anni 1380 absolutionem petiit et obtinuit. Sed a Johannetto Generali per Domos Urbano subjectas Visitatori, qui viri industriam recte noverat, jussus est in officio perseverare : tali jusso quasi reviviscens, « vir obediens victoriam et honorem acquisivit. » Spreta namque corporis et ætatis imbecillitate, totam peragravit Germaniam, lustratisque brevi spatio viginti et ultra nostri Ordinis monasteriis, observantiam ubique stabilivit, et quod majus est, nutantium ex schismate animos ad Urbani partes convertit. Studium ejus et laborem Patres hoc anno Romæ coadunati laudaverunt, cunctaque ab eo et ejus collega patrata confirmarunt his verbis : « Approbamus omnia facta Domni Joannis Castoris et socii ejus D. Michaelis (postea Axpacensis Domus Prioris) quæ fecerunt in visitatione utriusque Alemaniæ. » Denique quietem sibi ab hominibus denegatam a Deo impetravit, defunctus die 17 Octobris ut diximus, cui Patres anno sequenti, laborum illius memores, plenum monachatum per totum Ordinem concessere. Extat aut quondam extitit in bibliotheca cartusiæ Seizensis quidam codex sic inscriptus : *Summula Joannis Cartusiensis de Bohemia, tractatus de Pœnitentia*. An ad nostrum Castorem, vel ad quemdam Joannem Pragensem ejusdem Domus professum referendus sit, prorsus ignoramus. Sunt et plures alii codices mss., quos a monachis Pragensibus editos asserit Balbinus; ex quibus dicit asservari inter Mss. Crumloniensis Ecclesiæ, tractatum plane aureum *de Conscientia,* cui nomen suum modestissimus autor non addidit.

Visitator extraordinarius in Germania.

Ex literis e cartusia Seiz ad nos missis.

Obitum quoque Henrici Prioris Maurbacensis recenset Charta hujus anni. Hunc suam visitasse Provinciam reperimus anno 1375, quo et a Priore Cartusiæ, Sedis apostolicæ autoritate, sibi delegata fuit potestas absolvendi a casibus eidem Sedi reservatis. Sub finem sui regiminis jecit Henricus fundamenta religionis in Domo Axpacensi, missis ad eam

D. Henricus Maurbacensis.

Ex Chronic. ms. Maurb.

perficiendam dignis e suo Conventu operariis, sub ductu Joannis Fleischefferii sui monachi, quem postea exemplo vel etiam suasione Joannis Brunswicensis de quo supra, ad Clementem deficientem sua autoritate ad Urbani partes reduxit. ANNUS 1382

V. Horum jacturam virorum unius Stephani Maconi ad Prioratum Pontinianiæ cartusiæ promotione Ordo supplevit. Novum namque Ministrum generalem, exeunte hoc anno vel ineunte altero, id munus viro sancto demandasse, eumque inopinato rei nuncio perculsum vehementer exhorruisse scribit autor Vitæ illius, qui præterea narrat quomodo abreptus a sensibus, cognita Dei voluntate, consensum electioni præbuerit : « Cum paulisper, inquit, hæsisset animo simul et corpore, lumina mox sursum sustulit, et ex omnium qui tunc aderant oculis repente sese proripiens, sacellum templo proximum est ingressus ; ibi ad Christi pendentis signum supplex humi stratus, noctem totam remotis arbitris insumpsit orando, sic ut cœnobii Patribus ad divinas excubias agendas sacram adeuntibus ædem, fulgor repente cœlestis luminis, qui ex vultu et oculis orantis prodibat, sese objecerit, illorumque mentem atque oculos stupore quodam perstrinxerit. Tum inde taciti suspensique, pedem continuo referentes, tandiu præstolari divinæ rei exitum rati, quoad ex raptu Vir pius ad se rediisset, ut quid sibi divinitus contigisset mox ab eo elicerent. Sub auroram ferme perstitit Vir beatus in eo mentis excessu, ex quo cum sui compos factus esset, ad Patres inde Fratresque suos, genis rorantibus, conversus ait : Dei est voluntas, Fratres mei, et supponam humeros. »

MACONI FIT PRIOR DOMUS PONTINIANI.

Lib. II, cap. V.

Post Prioratum initum, rebus domi rite compositis, cum primum sibi eundi Senas necessitudo fuit, accercito D. Jacobo Domus Procuratore, pedibus iter ingreditur. « Jam paululum ambo progressi, Stephanus figit gradum, et oculis ad astra repente sublatis, stat immotus, perinde ut aliquid cœlitus præstolaretur insolitum ; tum in genua se projiciens has ad Deum junctis palmis fundit ex intimis animi sensibus preces : Ne permittas, quæso te, Pater misericordiarum,

Cum primum it Senas,

Ibid. cap. VI.

ANNUS 1382

meum in civitatem ingressum fidelibus tuis fore meis pro gravibus erratis offensioni ; neve ansam sceleris quidpiam concipiendi allaturum, ad majorem meam ante tremendum divinæ Majestatis tuæ conspectum confusionem. Satis superque fuere superioris meæ quondam ætatis piacula ad cœlestes iras in me concitandas, cum in omnium flagitiorum cœno volutatus, æternum ad interitum ruerem voluntarius, tua reus nocens abusus patientia. Sed quod ego non queo apud tuam Clementiam, pro me proque hac civitate merita tibi statuo intemeratæ Filii tui Genitricis, quæ sint mihi patriisque tectis ejus patrocinio commissis fiducia impetrandæ misericordiæ. Hisce dictis, quod reliquum erat viæ pergit conficere, mente sublatus in cœlum. Ad portam civitatis ut perveniunt, rem miram ! adesse eodem loco conspiciunt viros plane graves magna olim familiaritate sibi devinctos, quippe qui in sanctitatis palæstra, seraphica spectante Virgine ac pios illorum ausus moderante, sese exercentes magnos in rebus spiritualibus fecerunt progressus. Qui divino plane instinctu, per internam scilicet motionem, cum alter alterius consilium mentemque ignoraret, eo se contulerunt quo Stephanum perventurum sperabant, ut a salutatione in optatissimos ejus ruentes amplexus, benedictionem ab eo peterent et impetrarent. Ad hæc Vir pius expalluit, et fugam ex illorum conspectu jam meditari cœperat, cum extemplo suspicati id quod res erat, omnes in genua sese pedibus ejus obvolvunt, rogantes eum et obsecrantes ut voti compotes eos faciat. Hoc intuitus Vir æque humilis ac pius, magis ac magis exhorruit, et quid consilii capiat nescit præ summa ejus animi submissione ingenuo tunc oris nobilitata pudore ; sed continuo et ipse humi provolvitur, ac tacitus immotus pertinaciter perstat in sententia. Id ubi socius cœnobii Curator animadvertit, quanquam in admirationem rapiebatur, secum ipse reputans talium virorum divinitus patefactam erga Stephanum præsentionem, moræ tamen impatiens, ea usus est in suum Cœnobiarcham fandi libertate, quam sibi mutua quotidiani convictus præstabant officia, et ad Stephanum

ab amicis olim suis honorifice excipitur,

conversus explicata fronte ! Heus tu, Pater, dicere cœpit, quid causæ est quod lætos, ac tua benedictione auctos non dimittis qui tantopere abs te expetunt exaudiri ? Abrumpe moram, ut ad sua illi, nosque ad nostra hinc abeamus expedienda negotia, Deum in omnibus laudantes. Stephanus excitus atque adeo pia socii expugnatus objurgatione, his tandem verbis usus, bene precatus est illis dicens : Deus Pater misericordiarum vobis benedicat, Deus pacis ac dilectionis vos custodiat, Deus totius consolationis vos ab omni malo defendat. Hisce dictis, repente illorum manus eluctatus, inde se proripuit ; divinam intra semetipsum questus Clementiam, quod publicis, ut aiebat, ludibriis cum aliis prodiderit deridendum, ut magis magisque dejiceret sese humiliaretque. Neque tamen contentus fuit lepidis hisce patenter lusibus jocatus fuisse, serius ille humilium celsitudo Deus cum Stephano, qui de se tam demisse sentiebat, tamque ex animo se unum inter omnes prædicabat Deo ingratissimum, ut in eo evangelicum illud quadrate congrueret, exaltandum enimvero qui se humiliat, humiliandum vero qui se exaltat. Quoniam is pene in conspectum se jam dederat urbis, licet vix unquam a terra oculos attolleret, cum pueri e paternis ædibus instinctu plane divino erumpentes, obviam illi occurrebant, et ante eum accidentes vel manum ad osculum petere, vel sibi benedici efflagitare vocibus, quorum alioquin lingua vix verbum sonare per ætatem poterat. Alii autem in ostio Domus stantes, illum tanquam humana specie augustiorem suspicere, et venerationis ergo paululum, demisso poplite, ei inclinare. Alii etiam, ut feminæ de fenestris intima quadam vi adactæ, illum prospectantes Sanctum vociferabant transire ; seque ejus piis precibus commendantes, ut virum Deo eximie carum reverebantur. His itaque plausibus, hisque faustis divino, ut putabant, excitatis nutu acclamationibus excipiebatur Stephanus noster ubicumque vestigium ponebat. Quippe is erat jam de eo dissipatus rumor, eaque opinio excitata virtutis. Cæterum quis adeo rationis expers, aut certe tam tardo ingenio natus, qui id obsequium, seu cœlestem potius præ-

quibus, licet invitus, benedicit.

Ab omnibus vocatur Sanctus.

ANNUS 1382

rogativam, tanquam opus humano majus, Stephano non divinitus traditum neget ? Qui ad pulverem usque sese demittens, omnia quæ vel in se vel extra se essent sapientissimo rerum omnium molitori ac opifici Deo accepta, quam gratissima mente ferebat. »

SENTENTIA SUPER TERMINIS CARTUSIÆ,

Titul. 192.

et Fratrum Sancti Joannis Hierosolymit. de Scalis.

Commissarii eliguntur

VI. Hoc quoque anno data est sententia arbitralis inter Nos et illos de Scalis super terminis et limitibus Cartusiæ et Fratrum Ordinis S. Joannis Jerusalem, quæ sic refertur in secundo cartulario Majoris Cartusiæ : « In nomine Domini, amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum universis et singulis tam præsentibus quam futuris pateat evidenter, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, Indictione quinta et die vigesima mensis Julii, coram nobis Hugone Clerici et Hugoneto Escofferii notariis publicis, et testibus infrascriptis, constituti personaliter Reverendus in Christo Pater et Dominus frater Guillelmus humilis Prior Domus Majoris Cartusiæ nomine suo dictæque Domus et Conventus ejusdem et successorum suorum in eadem ex parte una ; et venerabilis vir et religiosus frater Joannes de Fayno castellanus Scalarum Ordinis sancti Joannis in Jerusalem, nomine suo et dicti Ordinis et successorum suorum ex parte altera propter ea quæ sequuntur : quod (cum quæstio et discordia verterentur et essent, majoresque verti sperarentur inter ipsas partes dictis nominibus super limitibus, terris et finibus dictæ Domus Cartusiæ et mandamenti dicti loci Scalarum, et nonnullis debatis et dubiis quæ oriebantur inter partes prædictas prædictis nominibus, super quibus per dictas partes sæpedictis nominibus cupientes super his ad bonum finem pervenire) fuerit ordinatum quod religiosus et honestus vir frater Vioninus de Augusta Prior Domus Allionis dicti Ordinis Cartusiensis, et nobilis Franciscus Durnarii ad hoc electi Commissarii, ipsos terminos, limites et fines viderent, examinarent et oculis subjacerent ; et ulterius prædictis visis et examinatis, super eis secundum eorum conscientias et super emergentibus ex prædictis, possent et valerent decla-

ANNUS 1382

rare et pronunciare prout prædictæ ipsæ partes sæpedictis nominibus dixerunt et asseruerunt et confessæ fuerunt, tamquam in judicio mutuis et solemnibus stipulationibus intervenientibus, hinc inde fore vera. Hinc est quod præno- minati frater Vioninus Prior Allionis et Franciscus Dur- narii, visis per eos ut asseruerunt, et examinatis prædictis limitibus et finibus dictæ Domus Cartusiæ et dicti manda- menti Scalarum, re oculis subjecta, ex potestate super hoc sibi per dictas partes data, sufficienterque super his infor- mati et matura deliberatione præhabita ut asseruerunt, di- ctis partibus præsentibus, sæpedictis nominibus nobisque Notariis et testibus infrascriptis, super prædictis quæstione, debato et dubiis ac limitibus et finibus, necnon emergentibus et dependentibus ex præmissis, dixerunt et pronunciaverunt ac declaraverunt ut infra : et primo, quod mandamentum Scalarum protenditur et protendi debeat a Grasso-villano tendendo versus Mirabellum, videlicet per summitatem collis, et inde ad cruces de Allienart, et inde ad bachacum de la Tacq, et inde ad bachacum de la Pison, et inde ten- dendo versus Pertusium ; et infra dictos limites dictus Do- minus Scalarum habet et habere debet merum imperium, vi- delicet pœnam sanguinis ; salvis, retentis et reservatis dictæ Domus Cartusiæ privilegiis, libertatibus, immunitatibus, ne- moribus, pascuis, pratis, possessionibus et juribus suis quibus- cumque infra dictos confines et limites sibi competentes. Item pronunciaverunt et declaraverunt quod termini dictæ Domus Cartusiæ protenduntur et protendi debent a parte prædicta de qua agebatur inter prædictas partes a chalmo inferiori de Vil- lano ad testam lammarum collis, et inde ad cruces montis de Allienart qui totus est infra terminos, et inde juxta Mortam tendendo ad rupem supra carreriam de Burio (rupis est de ipsis confinibus Cartusiæ, signata cruce), et inde ad rivum de Laczot, et inde ad rupem de Pertusio ; item pronunciave- runt quod si termini supra nominati nimis distarent unus ab altero, quod in medio fiant cruces, fossæ et signa dictos termi- nos declarantia. Item pronunciaverunt quod in nemoribus

qui terminos declarent.

ANNUS 1382

quæ sunt extra dictos terminos Domus Cartusiæ prædictæ in segnoria communi, nullus audeat facere lanceas vel essendulas pro vendendo extra mandamentum Scalarum, nec aliqua ratione vel occasione ruchias, lates cum dolabro vel securi, vel cornua pro banastis vel pro brothis, et hoc sub pœna centum solidorum viennensium pro qualibet vice communibus Dominis applicanda, cuilibet ipsorum pro rata contingente. Item pronunciaverunt quod ab inde in antea non fiant novalia seu eyssarta in dictis nemoribus nisi de voluntate ipsorum Dominorum de Scalis, et cedant in utilitatem præfatorum Dominorum videlicet cuilibet pro rata contingente pro tempore præterito, præsenti et futuro. Item pronunciaverunt quod ponatur forestarius communis per ipsos Dominos ad custodiendum dicta nemora, et officiales alii similiter communes et ad communem jurisdictionem exercendam, qui forestarius et officiales de gestis et agendis per eos reddant rationem eisdem Dominis communibus et satisfactionem, ita quod quilibet ipsorum pro rata contingente, realiter habeat partem suam. Item pronunciaverunt quod ipsi officiales communes qui pro tempore fuerint vel aliquis ipsorum, non possint nec debeant extra locum de Rucheria sua officia exercere. Cui pronunciationi et declarationi præfati Domini Prior et Castellanus dictis nominibus, facta prius protestatione per dictum Castellanum quod per pronunciationem prædictam et consensum suum non intendit juri alterius in aliquo derogare, consenserunt et concesserunt et laudaverunt easdem declarationem et pronunciationem ac omnia et singula supradicta partes prædictæ, nominibus antedictis. Promittentes etiam ipsæ partes sæpedictis nominibus, per stipulationem solemnem et sub obligatione et hypotheca omnium bonorum suorum et dictorum Ordinum Domus Cartusiæ et S. Joannis in Jerusalem, et juraverunt in voto religionis suæ una pars alteri et altera alteri, nominibus quibus supra stipulanti solemniter et recipienti, nobisque supra et subscriptis stipulantibus solemniter et recipientibus, vice, nomine et ad opus omnium et singulorum quorum interest vel interesse poterit in futurum,

Forestarius communis instituitur.

ANNUS 1382

prædictas pronunciationem, declarationem et omnia et singula supra et infra scripta, et prout superius et inferius acta, dicta, scripta sunt et ordinata, ratas et rata, gratas et grata, firmas et firma habere perpetuo et tenere, et eas et ea inviolabiliter observare, et non contra de jure vel de facto per se vel per alium seu alios facere, dicere vel venire nec alicui contrafacere, dicere aut venire volenti modo aliquo consentire; necnon prædicta omnia et singula laudare, approbare et confirmare facere, videlicet dictus Dominus Prior per Capitulum generale dicti Ordinis Cartusiensis, et idem dominus Castellanus Scalarum per suos Superiores ad hæc potestatem habentes. In quibus omnibus et singulis supradictis nobilis Joannes de Borgia (alias Buyset) condominus de Rucheria præsens, consensit et eadem prædicta omnia et singula sibi lecta et exposita laudavit, approbavit in quantum ipsum tangit, ratificavit et confirmavit; et promisit præfatus siquidem Joannes per se et suos per stipulationem solemnem et sub obligatione et hypotheca omnium bonorum suorum, et juravit super sancta Dei Evangelia dictis partibus et nobis notariis stipulantibus, supra eadem prædicta omnia et singula, rata et grata et firma habere et tenere, et contra per se vel per alium seu alios non facere, dicere vel venire facto vel verbo, opere vel consensu. Renunciantes dictæ partes..... De quibus prædictis ipsæ partes dictis nominibus petierunt et requisierunt sibi, per nos Notarios supra et infra scriptos, fieri duo publica Instrumenta quorum quælibet pars habeat unum, et quorum plura tot quot habere voluerint dictanda, corrigenda et reficienda semel et pluries si opus fuerit peritorum consilio, substantia facti non mutata. Acta fuerunt hæc et data anno et die quibus supra apud Cartusiam, in Domo superiori, in camera vocata camera Episcopi, præsentibus testibus videlicet Joanne Vethonis, domicello Gilletto ejus filio, Petro Grimandi, Domno Guillermo Dande monacho Insulæ Barbaræ, etc..... »

Approbatio promittitur Capituli generalis et Superiorum S. Johannis.

Ratihabitio condomini de Rucheria.

JESU CHRISTI

ANNUS 1383.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 300.	Ann. 17.

GENERALE CAPITULUM URBANISTARUM APUD MAURBACH CELEBRATUR.

Raynald. ad hunc ann. n. 1.

I. URBANUS et Clemens anno octuagesimo tertio post millesimum trecentesimum, Indictione sexta, novis conatibus sese invicem Sede apostolica studentes detrudere, hic Ludovici Andegavensis, ille Caroli Dyrrachini armis, cum totius Ecclesiæ et populorum maxime Italorum damno non satis lugendo utuntur. Interim Joannotus nostrorum Urbanistarum Generalis, relicta Neapoli, velut totius belli theatro, Florentiam, ut jam anno præterito perstrinximus, se receperat, ut inde convenientius rebus Cartusiensibus advigilaret, tutiusque ad Maurbacensem cartusiam in Austria sitam, futuris comitiis destinatam se conferret. At ille Venceslai Imperatoris, Urbano quidem faventis, sed Ludovici Andegavensis partes contra Carolum Dyrrachinum tuentis, timore vel alio quovis nobis ignoto impedimento detentus, ad locum constitutum tempestive accedere non potuit. Patres itaque apud Maurbacum congregati preces primum juxta consuetudinem « pro Reverendo Patre Joannoto Priore Cartusiæ absente indicunt, ut Deus ipsum protegat, et dirigat Ordinem in manibus ejus. » Rogantque ut sedem figat vel in Florentiæ vel in Bononiæ Domo, sin eligere maluerit monasterium S. Andreæ apud Venetias, recens ab Urbano, ut inferius dicemus, Ordini oblatum ; et ad negotia gravia super annum contingentia expeditius conficienda, hos ei designant adjutores : videlicet

Ejus acta et decreta.

ANNUS 1383

« Priores Domorum Lucæ, Florentiæ (Joannes Falconius), Pisarum et Gorgonæ ; tandemque potestatem faciunt de pastore Domus S. Martini prope Neapolim disponendi, secundum Deum et Ordinem, ad sui arbitrii voluntatem et discretionem. » Ex quibus licet colligere contra autorem Vitæ Stephani Maconi, Joannotum licet absentem, regimen Neapolitanum non dimisisse, nec ullum ibidem Priorem constituisse ante demandatam sibi a Patribus potestatem, cujus vi et autoritate non Falconium qui tunc Florentiæ præerat, sed Joannem Grillum Salernitanum, ex Clementino Urbanistam jam factum, e Padulana Domo quam regebat ad Neapolitanam sui loco gubernandam videtur transtulisse ; quandoquidem constat Grillum in officio Prioris sub finem hujus anni Neapoli decessisse, ut ex Charta Capituli generalis Bononiæ anno sequenti celebrati docemur his verbis: « Obiit D. Joannes de Salerno, Prior Domus S. Martini prope Neapolim, die 2 Novembris, habens monachatum per totum Ordinem. » Grillo tunc successit Falconius, et inde forsan ortus est error nostri Bartholomæi de Scala.

præsidente Conrado Seizense Priore.

Vices Generalis in his comitiis pro Joannoto gessit Conradus Prior Domus Seizensis, tanquam hujus obedientiæ antiquior. Vir alias etiam venerandus cui per Chartam preces conceduntur sub hac forma : « Pro venerabili Patre Domno Priore S. Joannis in Seiz*, qui tenuit locum Domni Cartusiæ in isto Capitulo, dicat quælibet persona Ordinis septem Psalmos cum Litaniis, etc. » Factus vero ibidem suæ Provinciæ primarius Visitator, in eodem decessit officio, anno 1388, die 30 Februarii.

* Ex vocabulo slavico *Zajc*, quod interpretatur : lepus ; minus recte dicitur : Seitz.

In ipsis comitiis cum Patres accepissent plures in ditione etiam ecclesiastica, ad Clementem deficere, ut sibi erga Urbanum fidelitatem nunquam defuturam magis magisque ostenderent, cuncta quæ anno elapso Romæ ipsius summi Pontificis jussu contra schismaticos scripserant decreta, novo confirmant edicto quod hanc habet sententiam : « Adhærentes Domino Urbano Papa VI, qui ut verus Christi Vicarius fertur, habetur et retinetur, approbamus et confirmamus

ANNUS 1383

Robertum antipapam respuunt.

omnes ordinationes tam generales quam particulares factas anno proximo prædicto, in Capitulo generali Romæ, tam de fide dicti Domini Urbani quam de perversitate schismatis Roberti Gebennensis antipapæ, Guillelmi schismatici olim Prioris Cartusiæ, adhærentiumque atque participantium eisdem, ac etiam non adhærentium Domino Urbano prædicto ; necnon de pœnis eisdem inflictis et infligendis in omnibus et per omnia, sicut in Charta Capituli anni præcedentis latius est conscriptum. »

De Domo Venetiarum agitur.

Deinde agunt de Domo apud Venetias recipienda, ad quam facilius habendam, monasterium S. Andreæ ab Urbano jam concessum fuerat, Nicolai cartusiæ Lucensis præfecti opera. Hujus rei curandæ ac promovendæ adjutores ac fautores Prior Lucensis habuerat Episcopum Venetiarum et quosdem ejusdem inclytæ urbis cives, de quibus fit mentio in Charta his verbis : « Pro Domino Angelo, episcopo Venetiarum, magno benefactore Ordinis, et pro dominis Marco Paruta et Jacobello Duodo, Venetiarum civibus, et cæteris Dominis et benefactoribus civitatis dictæ Venetiarum, fiat tricenarium de Spiritu Sancto. » Hic Episcopus videtur esse Angelus Corarius postea summus Pontifex, dictus Gregorius XII, de quo plura alibi. Cur vero ab Ughello dicatur creatus episcopus Venetiarum anno tantum 1386, non video, cum nostrarum Chartarum certissima sit autoritas. Porro quod attinet novæ apud Venetias cartusiæ fundationem id tunc caruit effectu, neque in hanc inclytam civitatem Nostri admissi sunt ante annum 1422.

Italia Sacra, Tom. V, in Venet. Patriarch.

Inter mortuos in Charta horum comitiorum denunciatus legitur « Domnus Joannes de Lignano, Doctor utriusque juris, magnus amicus Ordinis, etc. » Is est Doctor Bononiensis scientiæ laude illa ætate florentissimus præsertim ob Tractatum ad tuendam Urbani dignitatem, doctissime compositum, quem habes ad calcem tomi XVII Annalium Odorici Raynaldi.

CLEMENTINORUM GENERALE CAPITULUM.

II. Adeamus nunc Clementinos Cartusienses quos non tot motibus ac Urbanistas agitatos fuisse reperimus. Nihil enim

ANNUS 1383

in eorum Charta dignum occurrit observatione, nisi quod post confirmationem illius Ordinationis qua in præcedentibus comitiis cuncta Capitula tam generalia quam privata extra Cartusiam celebrata reprobabantur, hæc de eadem materia adjunguntur : « Omnibus personis Ordinis nostri, quæ a nostra et nostri prædicti Capituli generalis et sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia recesserunt, cujus caput esse credimus, dicimus et tenemus sanctissimum in Christo Patrem et Dominum, Dominum Clementem divina Providentia Papam septimum, districte et sub interminatione divini judicii injungimus, ut ad obedientiam prædicti Domini nostri Clementis summi Pontificis et nostram ac nostri dicti Capituli humiliter revertantur, ne cum Dathan et Abiron quos propter inobedientiam et schisma terra vivos obsorbuit, recipiant portionem. »

JOANNA SICILIÆ DEFUNCTA,

III. Sed quod notabilius est Joanna regina Siciliæ tanquam vivens precibus Ordinis commendatur, quam constat ex omnibus Scriptoribus jam anno præterito crudeliter necatam jussu Caroli Dyrrachini, qui eam, usurpato regno, captivam detinebat. Tempus necis ejus Hector Pignatellus apud Raynaldum designat mensem Maium, scribitque ejus corpus in templo S. Claræ septem dierum fluxu spectandum populo propositum, ne quis scilicet illius spe et desiderio arma moveret. Unde mirum quod Nostris per annum fere integrum mors ejus latuerit, nisi forsan Clemens vel etiam Ludovicus Andegavensis eam prohibuerint in his regionibus pervulgari, ne populi, præsertim Provinciales, Domina sua orbati Carolo Dyrrachino ac proinde Urbano se subjicerent. Ut ut sit, obitus illius fuit tantum Nostris significatus per Chartam anni 1384, sub his satis magnificis verbis : « Obiit domina excellens et illustris, domina Joanna, quondam regina Hierusalem et Siciliæ, quæ fuit magna benefactrix Domus Cartusiæ et Ordinis et S. R. Ecclesiæ defensatrix, propter quam etiam, ut pie credimus, captivitatem magnam pertulit atque mortem ; quæ habet plenum cum psalteriis monachatum. Et quia de die obitus ejus nondum potuimus informari, ordi-

Spondan. ann. 1380 et seqq.

Ubi supra.

Clementinis precibus Ordinis ditatur,

imo et magnis attollitur laudibus.

ANNUS 1383

namus quod ejus Anniversarium per totum Ordinem amodo celebretur in crastinum octavarum apostolorum Petri et Pauli, nisi dies Dominicus impediat, et tunc transferatur ad diem qua commodius fieri poterit, immediate sequentem. » Sed amplioribus eam laudibus subditi ejus celebrant, etiam sanctæ memoriæ titulo. Arelatenses namque in quoddam pacto sancte jurant quod « nunquam facient pacem cum illo nefandissimo et iniquo proditore Carolo de Duraccio : imo ipsum et suos in posterum persequentur, juxta posse mortem recolendæ, bonæ et sanctæ memoriæ Dominæ nostræ Reginæ vindicando. » Eam a quibusdam de impudicitia et prioris mariti homicidio accusatam, alii ab atrocibus hujusmodi sceleribus, maxime ab illata viro nece, tanquam ab ipsomet summo Pontifice Clemente VI insontem judicatam merito vindicarunt.

Ludov. Maimbourg. Hist. Schism. occid. Lib. II.

Raynald. ad ann. 1357 et 1382.

OBITUS DOMNI FIRMINI COLLARTI.

IV. Hoc anno, die 17 Februarii, pie defunctus est Firminus Collartus, Abbavillensis cartusiæ monachus. Hic ex cive Abbavillæo bene prædiato, relictis opibus, et ab uxore sancto divortio consentiente discedens, factus est pauper Cartusiensis. Electus Prior ejusdem Domus, exactis in regimine aliquot annis, præ solitudinis desiderio munus abdicavit, tandemque residuum vitæ jejuniis, silentio, cæterisque rigidioribus Instituti nostri observantiis consecrans, perfectissimus evasit Cartusiensis monachus. Interim uxor illius Theophania nomine, soluta maritali vinculo, pietatis ac religiosæ in seculari tamen habitu conversationis operibus penitus addicta, cursum vitæ peregit, legatis dum viveret in vestiarium Monachorum annui reditus solidis quinquaginta duobus. Sed quos Dei amor vivos ab invicem divulserat, mortuos iterum copulat. Ad illam enim, quæ die 15 Maii paulo ante conjugem mortua in sacello B. Mariæ ejusdem Domus sepulta fuerat, appositus est Firminus die 18 Februarii hujus anni, ut liquet ex Charta ejusdem.

In eodem cum sua quondam uxore sepulchro ponitur.

Ex Charta 1384.

In Domo Montis Dei hoc quoque anno, die 10 Octobris, viam universæ carnis ingreditur Stephanus de Metis, professus ejusdem et sacerdos, qui eo sanctior effectus est quo

ANNUS 1383

vitam duxit abditiorem in cella ubi non sibi soli sed et proximo clanculum vacans, librum scripsit dictum *Breviarium Infirmorum,* in quo plurima continentur ad consolationem Infirmorum spectantia.

AMEDEUS, SABAUDIÆ COMES, MORITUR.

V. Hoc etiam anno Amedeus V, comes Sabaudiæ, in expeditione Neapolitana cum Ludovico Andegavensi duce, contra Carolum Dyrrachinum reginæ Joannæ parricidam, peste vel dyssenteria sublatus est. Cujus obitus signatur in Charta Cartusiæ hujus anni cum pleno monachatu, sub die 1 Martii, sicut etiam notatur in calendario Petræ-castri; quem tamen Paradinus mortuum asserit die secunda ejusdem Martii. Jam non semel annis superioribus illustria vidimus Amedei in nos indicia studii benevolentiæ, quam velut ad cumulum moriens explevit. Cum enim Ordinem militarem ante aliquot annos a se sub nomine *Collaris* institutum, quindecim tantum Militibus in honorem quindecim mysteriorum seu gaudiorum quæ in B. V. Maria veneramur constare sancivisset, simul et totidem monachos Cartusienses collocare decreverat in arce sua Petræ-castri, ad Rhodani ripam, ejusdem militaris Ordinis sede, ab urbe episcopali Bellicensi una leuca distante. At variis irretitus negotiis et bellis, rem ante mortem ad effectum perducere non potuit. Inopinata igitur tactus infirmitate, testamento die 27 Februarii, ante suum obitum, apud castrum S. Stephani in Apulia condito, sui propositi non immemor, inter cætera legata, arcem præfatam novæ cartusiæ fundandæ addicit hac clausula: « Item præfatus Amedeus comes Sabaudiæ testator, in suæ mentis consideratione revolvens honores, beneficia et commoda suis temporibus habita, et obtenta gratia et misericordia omnipotentis Domini, qui ipsum cum laude et honore non modico, tam contra hostes Christianæ fidei quam ejus inobedientes, rebelles et contrarios, sua mirabili potestate victorem fecit in pluribus : ad laudem Domini nostri Jesu Christi, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et gloriosæ Genitricis beatæ Virginis Mariæ, Sanctorumque et Sanctarum Dei, et totius curiæ cœlorum, ut........ suis propitiores exis-

Ordinis Militum Collaris institutor,

et cartusiæ Petræ-castri fundator.

Guichenon, in Probat. Histor. Sabaud., pag. 217.

ANNUS 1383

tant, sicut disponit et ordinat, quod in castro suo Petræ-castri fundetur et fiat, construatur et fabricetur unum venerandum cœnobium seu monasterium Fratrum eremitarum Ordinis Cartusiæ, sub nomine et ad honorem beatæ Virginis Mariæ, in quo sint et ordinentur et adesse debeant perpetuo quindecim Fratres, scilicet Cartusienses, ad honorem quindecim gaudiorum intemeratæ Virginis Mariæ ; qui ibidem singulis diebus, debeant et teneantur Missarum solemnia et alia divina Officia celebrare, pro remedio animæ suæ, et prædecessorum suorum, necnon pro remedio animarum aliorum Dominorum et Militum qui de Ordine Colaris sui fuerunt, sunt et esse contigerit in futurum. Qui quidem monasterio totum castrum Petræ-castri et ambitum suum, una cum toto territorio in quo situm est, ab introitu dicti castri ubicumque super rupem dat et legat, una cum omnibus et singulis arboribus, plateis, ingressibus, pertinentiis et appenditiis universis, ut ipsum monasterium et Fratres prædicti et familiares ordinandi ibidem, obsequendo divino nutui vivere valeant ibidem et sustentari honorifice sicut decet. Ipse Dominus et Comes testator, dictæ ecclesiæ, monasterio, fratribus et Conventui mille florenos auri boni ponderis, per annum in valore dat et legat, et eos in eis constituit, dictumque monasterium, ecclesiam et Fratres dotat in eis ; et ipsos mille florenos per annum dat, donat, cedit et concedit perpetuo, in dotem et nomine dotis ipsorum. Quos quidem mille florenos auri boni ponderis assignat et assettat, et eos declarari, assignari et specificari vult, disponit et ordinat per executores suos infra scriptos, et tres vel duos ex ipsis in, de, et super vineis, pratis, nemoribus, terris, reditibus, hominibus, homagiis, emphiteotis, directis dominiis propinquioribusque, quæ et quas habet et habere potest in mandamentis castellaniis et districtibus Petræ-castri et Cordonis, ad veram assisiam, arbitrium et dispositionem dictorum executorum. Item volens monasterium et Fratres ampliori beneficio communire, pro ædificiis necessariis construendis et reparandis ibidem, calicibusque, libris et aliis ornamentis emendis ad

Domus ad honorem XV gaudiorum B. V. Mariæ ædificatur.

Dos assignatur.

ANNUS 1383

opus dicti monasterii, quatuor millia florenorum de camera Domini nostri Papæ, semel dat et legat...... »

Et post multa : « Item Dominabus Monialibus de Polletens in eleemosynam ducentum florenos semel dat et legat. Item Conventui et Fratribus Seillonis Cartusiensis pro una Missa ibidem perpetuo celebranda ducentum florenos semel dat. »

Omnia confirmat Bona a Borbonio Amedei vidua.

Justis Amedeo persolutis, Bona a Borbonio ejus vidua fundationem ab eo decretam quam citius perfectura, Vionino de Augusta Domus Allionis Priore ad se accersito, non solum castrum ad construendam cartusiam sed et reditus ad dotem Monachorum statim assignat, confectis tabulis, in quibus sui mariti præclare gesta primum sic recenset : « Bona de Borbonio, comitissa Sabaudiæ, consors quondam gloriosæ recordationis et Principis domini et mariti nostri carissimi domini Amedei, comitis Sabaudiæ et principis ac ducis Chablasii et Augustæ et in Italia marchionis, nostro et illustris geniti nostri carissimi Amedei comitis Sabaudiæ et principis nomine, cunctis fidelibus, etc... Salutem, etc... Pia consideratione commotus inclytæ et laudabilis recordationis Dominus et conjux noster prædictus Princeps christianissimus, qui licet dum vitam ageret, in humanis locuples potentiis et honoribus inter cæteros mundi Reges et Principes urbibus* præpolleret, et in terris sibi a Deo commissos populos miranter regeret, virtuose de Christi Passione contritus, ad Terræ Sanctæ subsidium magnanimus transfretavit, et armorum strenua potentia congregata, castris, civitatibus et oppidis multis devictis, infinitas catholicæ fidei subjecit Barbaras et Tartareas nationes ; Imperatorem Græcorum, germanum proprium, ab æterna damnatione devians, Romam venire coegit, ab Urbano V, summo Pontifice præsidente, fidem catholicam cervicitus recepturum. Hic dilexit justitiam charitate repletus, et nefandorum hominum a proborum hominum semitis deviantium sollicitus exstitit persecutor. Multorum potentias conquassavit, tyrannides et temporum motus nefarios divino auxiliante præsidio decli-

Præclara Amedei gesta narrantur.

Ex Archiv. Domus Petræ-castri.

* Virtutibus ?

ANNUS 1383

navit, guerras et rumores compescuit et sedavit, et exquisitis de salubribus remediis, Hungaris, Venetis, Paduanis et Januensibus testantibus, laudabilis extitit Irenarcha. Post hæc autem in Apuliam pro veritate Ecclesiæ Catholicæ in Principum et Baronum potenti brachio se transferens, post multos sudores sustentatos, tractatusque habitos super Ecclesiæ divisione sedanda, moriendo solvit naturæ debitum, et receptis Sacramentis ecclesiasticis, fidelis christicola, reddidit animam Jesu Christo.... »

Jure Christianissimi nomine decoratus.

Hactenus Amedei elogium, quod minime suspectum habendum est, cum ipso illius mortis anno descriptum sit. Duo vero notatu digna ex eo discimus : primum est, Imperatorem Græcorum Joannem Palæologum nostri fundatoris inductu (quod nullus Scriptorum hactenus noverat) ad Urbanum V accessisse ; alterum est, Amedeum in Apuliam se transtulisse, non solum ut Ludovico Andegavensi suis armis opitularetur, sed etiam ut « tractatus haberet super Ecclesiæ divisione sedanda. » Ex eodem zelo laudatur in quodam antiquo Codice ms., ubi ejus obitus his verbis designatur : « Anno Domini 1383, die 1 Martii obiit illustrissimus princeps Amedeus VI comes Sabaudiæ, in Pullia, in finibus Neapolitanis ; quibus partibus gressus suos direxerat pro schismate Ecclesiæ destruendo, et pacem atque unionem eidem S. R. Ecclesiæ procurando, etc. » Apte igitur ac merito *Christianissimi* nomen a suis obtinuit ; nec sine injuria a Walsinghamo dici potuit quod Vicarium Christi persecutus sit.

Raynald. ad annum 1369. n. 1.

Histor. Angl. in Ricard. c. II.

Instrumentum confirmatorium Comitissæ Sabaud.

Sed Bonam illius uxorem de fundatione nostra in citatis Literis audiamus : « Stabilivit ille et fundavit potenter sacrum et venerandum monasterium Fratrum eremitarum Ordinis Cartusiæ Petræ-castri, et mirandis libertatibus et franchesiis venerabiles Fratres et Monachos dotis nomine privilegiari præcepit, ditavitque multis cœnobium ornamentis, et plura devote contulit, etc. Verum nos ejusdem præclarissimi Principis, cui nos Dominus virtute suæ potentiæ collocavit in sponsam, cupientes velut divinæ et humanæ domus consocia desideriis et nutibus adhærere, et ipsius posteris jussibus,

sicut astringimur cordialiter obedire, formam ejusdem testamentariæ dispositionis receptæ per Joannem Ramaisii, ipsius et nostrum secretarium fidelem, pro viribus insequentes : vocatis et præsentibus nostris consiliariis et executoribus testamentariis infra scriptis, necnon venerabili et religioso viro fratre Vionino, per reverendum dominum Majoris Cartusiæ Priorem nostris instantiis ibidem ordinato; deliberato proposito et ex certa scientia, et habito super iis longo et iterato consilio, tractatu et deliberatione maturis, assignamus et assettamus in assignationemque et assettamentum, in dotem et nomine dotis ejusdem monasterii, Fratrumque et Monachorum ordinatorum et ordinandorum ibidem ; constituimus, damus, tradimus, cedimus et concedimus, et perpetuo dedicamus nostro et dicti filii nostri nomine, eidem fratri Vionino recipienti nomine ecclesiæ Fratrum et Monachorum monasterii prædictorum, castrum, domos, grangias, ædificia, prata, vineas, terras, sylvas, insulas, nemora, reditus, servitia, directa, dominia, res et bona alia inferius declarata, quæ omnia dictæ ecclesiæ, monasterio et Fratribus pertineant, et tanquam Deo, ecclesiæ, monasterio et Fratribus dedicata debeant perpetuo pertinere. Quæ omnia distincte et particulariter assumpta, ascendunt ad mille florenos auri, boni ponderis, et quatuor denarios grossorum turonensium, facto assisia et assettamento ad viginti denarios pro uno denario reditus, juxta et secundum communem assisiam et assettamentum patriæ, adjuncto quarto denario de pluri in pretiis et assisiis frumentorum, siliginum, avenarum, nucleorum, leguminum, castanearum, gallinarum, pullorum, cerarum, vinorum et aliorum redituum in victualibus consistentium ; et hoc pro eo quod, virtute dispositionis testamentariæ prædictæ, mille floreni auri legati sunt, non ad reditum nec ad canonem nec communem assisiam patriæ, sed dumtaxat ad valorem, et victualia annis singulis plus venduntur regulariter quam in assisiis et assettamentis, viginti denarii pro uno denario æstimantur ; etiam quia tam in dictis reditibus victualium quam denariis, censibus et aliis infra scriptis, jura

ANNUS 1383

Reditus declarantur et assettantur,

ANNUS 1383

emphiteotica et jura directorum, dominiorum, servitiorum et emphiteosium laudumque et vendarum, virtute assignationis præsentis pleno jure relinquuntur eisdem, sub modis tamen, formis et conditionibus qui et quæ inferius describuntur : videlicet quod in dicto monasterio, mediantibus prædictis ordinari debeant et residere perpetuo quindecim Fratres Cartusienses, Missarum solemnia, orationes et alia divina Officia celebrantes, pro remedio et salute animarum Domini nostri prædicti, nostri filiique nostri, antecessorum et successorum suorum, et aliorum de Ordine Colaris ejusdem Domini retentorum et retinendorum per dominos Sabaudiæ Comites in futurum. In primis siquidem assignamus et assettamus in dotem, pro dote, loco et nomine dotis, constituimus, tradimus, cedimus, concedimus et statu integro præsentibus dedicamus, dictis monasterio novo et ecclesiæ Fratrum et Monachorum, eremitarum Petræ-castri, Ordinis Cartusiensis, et eisdem Monachis et Fratribus præsentibus et futuris, nostro et prædicto nomine, totum castrum Petræ-castri, cum toto et universali ejus ambitu, ædificiis, assettamentis, plateis, viridariis, terris, nemoribus, ingressibus, egressibus, pertinentiisque et appenditiis ubilibet, supra rupem, et omnia adjacentia nemora dictæ rupi, et prout castro pertinent circumquaque. Quod monasterium et ecclesiam situamus, declaramus, plantamus, fundamus, et realiter ordinamus ibidem sub nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et gloriosæ Virginis Mariæ matris suæ, et quindecim gaudiorum suorum, et totius curiæ Supernorum ; ita quod ibidem sint, resideant, et adesse debeant et teneri quindecim Fratres et Monachi dicti Ordinis, ibidem Missarum solemnia et alia divina Officia celebrantes in commemorationem et laudem sæpedictæ Virginis Mariæ, et quindecim gaudiorum suorum, et pro salute animæ et in remissionem peccatorum præfati Domini et mariti nostri prædilecti, antecessorum suorum, nostri et aliorum Dominorum et Militum, qui de Ordine Colaris ejusdem Domini fuerunt et esse contigerit in futurum ; salvis et reservatis dominis Comitibus

sub quibusdam conditionibus,

ANNUS
1383

Sabaudiæ et successoribus ipsorum, universis et singulis hominibus, homagiis, fidelitatibus, nobilibus, ignobilibus, taillabilibus, franchis ad misericordiam et censitis, eorumque successoribus, taschiis et escheitis, meris, mixtis imperiis, jurisdictionibus omnimodis, aliisque juribus, rationibus, actionibus et dreyturis ad dominos Comites pertinentibus, et quæ infra mandamento castellaniorum subscriptorum ante præsentem traditionem pertinere poterant et debebant; quæ omnia non obstante assignatione præsenti dominis Comitibus Sabaudiæ perpetuo reservamus. Item et omnia et singula nemora et sylvas, et insulas dictis castro et castellaniæ Petræ-castri pertinentes et pertinentia ubicumque sint et esse possint et reperiantur, infra mandamentum et castellaniam Petræ-castri successuris temporibus situata. Item grangiam, torcularia et ædificia, grangiæ Petræ-castri, necnon totum clausum vineæ contiguum, cum universis arboribus et singulis plantis, arboribus fructiferis, et aliis plateis, ingressibus, egressibus, juribus, pertinentiis et appenditiis universis, prout et quemadmodum ubilibet prætenduntur, et hoc sub æstimatione et pretio quæ inferius describuntur. Item domum et vineam Saluxiaci, continentem circa septuaginta quinque fosceratos et novem jornalia terræ subtus dictam vineam sita, una cum ipsius domus et vineæ clauso, plateis, arboribus, plantis, ingressibus, egressibus, pertinentiis et appenditiis universis, et hoc sub æstimatione et pretio quæ etiam inferius describuntur, etc. »

et juribus domino Comiti Sabaudiæ reservatis.

Statimque post hæc, die videlicet S. Michaeli dicata, idem Vioninus nomine Ordinis possessionem loci iniit, quem propterea Patres Ordinis anno sequenti, per Chartam Capituli generalis inter Domos adscripserunt his verbis : « Incorporamus Ordini fundationem novam domini comitis Sabaudiæ quæ dicitur Petræ-castrum, et præficimus in Rectorem dictæ Domus, Priorem Domus Allionis, » videlicet præfatum Vioninum de Augusta. Et pro ipso fundatore (novum dico Sabaudiæ Comitem) et pro ejus consorte, et matre « quæ misit Capitulo viginti florenos, » preces indicuntur in eadem Charta

Domus Petræ-castri incorporatur Ordini.

ANNUS 1383

et sequentibus usque ad annum 1392, quo Amedeus denunciatur mortuus, ut ibidem dicemus.

Benefactores.

Ex benefactoribus et amicis hujus Domus hi reperiuntur in Chartis : Franciscus Regis anno 1504. Petrus Ricardonis et nobilis domina Perroneta de Herus, anno 1506. Nobilis Joanna de Trees, anno 1511. « Illustrissimus Princeps dom. Renatus de Chalant, comes et miles Ordinis Colaris, marescallus Sabaudiæ, benefactor Ordinis et de fundatoribus Petræ-castri, habens simplicem monachatum sub die obitus sui qui fuit undecima Julii anno 1565. » Cur Renatus nominetur Princeps non invenio ; nec enim hunc titulum ei tribuit Guichenonus in Genealogia Chalantiorum quam accuratissime describit. Nec etiam ulla dari potest ratio cur dicatur ex fundatoribus Petræ-castri, nisi quod forsan hujusmodi nomen cunctis Ordinis Colaris militibus ab ipso fundatore, honoris gratia addictum fuerit, quod iterum conjicimus ex Charta 1569 in qua mortuus denunciatur « generosus dominus Carolus a Camera, dominus de Sermoye, miles Ordinis Colaris Sabaudiæ, et ex fundatoribus Domus Petræ-castri ; » quibus in verbis notandum est præterea eo tempore nomen Colaris adhuc viguisse, licet Carolus Bonus anno 1518 novis conditis statutis decreverit ut deinceps diceretur Ordo Annunciationis. In antiquo Codice ms. hujus Domus legitur quod « Capitulum generale Ordinis Cartusiensis concessit omnibus dominis Militibus de Colare Sabaudiæ plenam et perpetuam participationem omnium bonorum spiritualium. Et pro eisdem dominis Militibus protectoribus et fautoribus hujus Domus dicebat quilibet sacerdos unam missam defunctorum. »

Molin. Histor. Cartusiana ms. p. 665.

Jam diximus supra hujus Ordinis militaris sedem ab Amedeo fundatore in hac Domo collocatam fuisse. Sed quia nec leges nec Statuta suis condiderat Militibus, hunc defectum Amedeus VIII nepos illius supplevit, scriptis anno 1410 penultima Maii, Castilione in Dombis, constitutionibus quindecim complectentibus articulos ; ex quibus plures cartusiam Petræ-castri spectantes hunc habent tenorem :

ANNUS
1383

De Constitutionibus Militum Collaris.

1. « Unusquisque Miles post suam creationem, in eleemosynam Domui Petræ-castri conferre tenebitur calicem, casulam, cæteraque ad Missæ sacrificium necessaria ornamenta, suis armis insignata.

2. « Pro fabrica ecclesiæ Petræ-castri, post mortem uniuscujusque Militis centum tradentur floreni in manus Prioris.

3. « Item, post mortem Militis ad cartusiam Petræ-castri cæteri Milites quam citius advolabunt, ut ibidem, more Cartusiensium, albis induti vestibus exequias defuncti cum omni devotione persolvant ; quibus expletis, easdem vestes albas Monachis relinquent ; et pro defuncti animæ absolutione reddantur centum Missæ sumptibus aliorum Militum. » Ex hoc articulo putavit Guichenonus eosdem Milites vestem non solum albam, sed Cartusianæ vestis formam habentem gessisse ; verum hæc verba potius de colore quam de specie videntur esse interpretanda.

Histor. Bress. in descriptione Petræ-castri.

4. « Quilibet Eques suum collare sive torquem dabit eidem cartusiæ cum vexillo, armis et paludamento. Quæ omnia offeruntur in die sepulturæ ut appendantur in ecclesia in sui memoriam ; ibique quamdiu durare poterunt, appensa remaneant. »

Hæc omnia per plures annos religiose a Militibus observata sunt, ut ex antiquo ejusdem Domus calendario liquet, in quo obitus eorum sic recensebatur : « Die 24 Octobris obiit Dom. Stephanus de Balma miles de Collare, qui dedit centum florenos et collare suum ac vexillum et vittam armorum, qui habet Anniversarium. » Et sic de cæteris. Porro, etsi præfata Statuta diximus scripta anno 1410, die penultima Maii, constat tamen ea jam antea instituta fuisse et observata, ut probamus ex altero calendario, in quo duorum Militum obitus sic designantur. « Anno 1409, 25 Septembris obiit Eballus (alias Ybletus) dominus Montis Joveti, miles de Colare, cui sepultura secundum ordinationem Colaris fuit prima celebrata in Adventu Domini, anno prædicto. » Et : « Anno 1410, 22 Februarii, obiit dominus Joannes de Vineto, miles de Colare, cujus sepultura secundum formam

ANNUS 1383

Ordinis Colaris fuit intus celebrata in mense Maii, anno prædicto ; » quo quidem tempore Statuta hujusmodi nondum scriptis mandata fuerant. In eodem calendario reperiuntur 23 Militum nomina usque ad annum 1451, quo ultimus ad diem 13 Aprilis notatus vocabatur Gerardus Montis-Canuti. Attamen post hæc, Conventus generales ejusdem Ordinis semper in eadem cartusia habiti sunt usque ad tempora Caroli Emmanuelis ducis, qui Bressiam ac Beugesiam (in qua est Petræ-castrensis Domus) pro marchionatu Salutiarum commutationis titulo regi Galliæ Henrico IV anno 1601 cedens, sui Ordinis sedem ad Dominicanos Mommelianenses primum, tandemque ad Camaldulenses Taurinenses transtulit, ubi etiamnum Capitula Militum generalia celebrari solent, licet eidem Dux suo dicatur cavisse testamento, ut post constructionem cartusiæ Taurinensis is honor Nostris restituatur.

DOMUS DIVIONENSIS FUNDATUR.

Molin. Hist. Cartus. p.658.

VI. Eodem ferme tempore, altera nostri Ordinis Domus prope Divionem, Burgundiæ ducatus caput, construitur in suburbio Oscarensi et diœcesi Lingonensi, in loco cui olim nomen Campus mollis. Fundatorem habuit toti Orbi notum Philippum Audacem, Joannis Francorum regis ex Bonna, priore conjuge, ultimum filium, Burgundiæ ducem. Inchoatum fuit opus hoc anno, die 20 Augusti ; et in sequentibus comitiis : « Incorporamus Ordini, inquiunt Patres, fundationem domini Ducis Burgundiæ quæ modo Domus S. Philippi nuncupatur prope Divionem, et præficimus ibidem in Priorem Domnum Gerardum. » Sed anno sequenti, mutata sancti Philippi appellatione, Sanctæ Trinitatis titulo, quem etiamnum conservat, insignita est ad petitionem ipsius fundatoris ut patet ex Chartæ verbis : « Fundatio nova potentis Principis et illustris domini Ducis Burgundiæ, quæ fundatio est prope Divionem, quam anno proxime præterito, Ordini incorporavit Capitulum generale, Domus S. Trinitatis amodo nuncupetur, non obstante alio nomine per dictum Capitulum olim sibi imposito, quia dominus fundator prædictus hoc requirit. » Etsi juxta morem Ordinis his temporibus raro

violatum, plures quam duodecim Monachos in unaquaque Domo habitare fas non esset, attamen ut tanti Principis fundatoris studio fieret satis, admissi sunt in hanc novam plantationem præter Conversos et laicos, viginti quatuor Monachi cum Priore, ut in Literis fundationis gallico idiomate exaratis ipse Princeps declaravit die 15 Martii anni 1484, cuncta approbante et confirmante Margareta illius uxore. Ad quorum instantiam Clemens VII eodem anno, data bulla Avenione tertio calendas Decembris, Pontificatus sui anno septimo, fundationem et omnia ac singula in Literis fundationis contenta, rata habuit et grata, atque autoritate Apostolica communivit, omnes supplens defectus si qui forsan intervenissent. Deinde eorumdem Principum fundatorum efflagitatu concessit ut « hæc Domus omnibus privilegiis et gratiis, libertatibus, franchisiis et immunitatibus Majori Cartusiæ ac toti Ordini Apostolica vel alia quacumque autoritate concessis et concedendis imposterum, uti posset pariter ac gaudere. »

ANNUS 1383

Ex Bulla data 3 Julii 1386.

Incœpta hoc anno, ut jam diximus, hujus cartusiæ fabrica et infra quinquennium perfecta, templum die 24 Maii (quæ tunc SS. Trinitatis Dominica occurrebat) anno 1388 consecratum est ab Episcopo Trecensi, ut ex sequenti inscriptione apparet : « In honore sanctæ et individuæ Trinitatis, die 24 Maii, dedicata fuit hæc ecclesia a R. P. D. Joanne Trecensi episcopo, anno Domini 1388. Inchoata vero ab illustrissimo principe Philippo, filio Regis Franciæ, anno Domini 1384, mensis Martii die xv, constructa et ædificata ab eodem domino Duce : ejus vestigia fideliter et devote prosequente Joanne filio suo primogenito. Quorum corpora in præsenti requiescunt ecclesia, etc. »

SS. Trinitati dicatur.

Molin., ubi supra.

Nicolaus Camusatus et qui post eum seriem descripserunt Episcoporum Trecensium affirmant Petrum de Arceis eidem præfuisse Ecclesiæ ab anno 1377 ad annum 1395 : unde præfata inscriptio videtur merito corrigenda et ibidem Petrus restituendus pro Joanne. Facile enim autor inscriptionis qui eam tantum exaravit post mortem Joannis Ducis, id est tri-

Sammarth. et N. Desguerrois in Catal. Episcoporum Trecens.

ANNUS
1383

ginta annis et amplius post factam ecclesiæ consecrationem, facile, inquam, in nomine Præsulis allucinari potuit, cum soleant Episcopi a suis sedibus quam a propriis nominibus vulgo esse notiores. Ut ut sit, idem Episcopus Trecensis, dedicationis tempore nostrum Ordinem cœpit adeo carum habere, ut singulis annis ad obitum usque suum, preces ejus emendicare non erubuerit. Cujus pio desiderio Patres annuentes, præcipiunt ut « pro domino Episcopo Trecensi, qui magnam devotionem habet ad Ordinem cujus precibus se humiliter recommendavit, singuli Monachi dicant psalmum *Miserere mei,* Laici vero *Pater noster* et *Ave Maria.* Nomen quidem Episcopi non indicatur, quem tamen Petrum vocatum fuisse discimus ex Charta anni 1395, in qua denunciatur mortuus cum tricenarii beneficio. Paradinus et Gollutius scribunt ecclesiam Cartusianorum Divionensium consecratam a Joanne Lingonensi episcopo, quod non ferens Claudius Robertus, qui sciebat Bernardum sive Bertrandum non vero Joannem in Cathedra Lingonensi sedisse quando erecta ac consecrata fuit Nostrorum ecclesia, consecratorem illum suspicatus est fuisse Joannem de Boissiaco eo tempore Matisconensem episcopum. Sed certe standum potius credimus inscriptioni præfatæ Præsulem Trecensem designanti.

Ex Chartis Capit. ab ann. 1389 ad ann. 1394.

Parad. Ann. Burgund. Lib. III ad ann. 1384. L. Gallut, de libera Burgund. Lib. IX c. 2.

Fundator hujus Domus erga totum Ordinem liberalis.

Nunc revertamur ad Principem fundatorem quem reperimus diu antequam de construenda cartusia cogitaret, erga totum Ordinem nostrum beneficum et liberalem. Quandoque enim in nostris Chartis vocatur benefactor et amicus Ordinis precesque pro eo instituuntur, quod « multas eleemosynas misisset Capitulo generali et pro reparatione Majoris Cartusiæ ». Nec propter dotatam novam Domum stetit ejus erga totum corpus liberalitas, imo et ipse suaque uxor et liberi, ad utriusque parentis imitationem, beneficia nobis sua ita copiose largiebantur, ut gratiæ causa unicuique Monacho per totum Ordinem unius Missæ celebratio indiceretur « pro Duce et Ducissa Burgundiæ eorumque liberis, magnis benefactoribus et devotis Ordinis nostri ». Et post mortem quam subiit anno 1404, habuit plenum monachatum, sub die 27

Chartæ ab ann. 1372 ad 1378.

Ibid. ab anno 1384 ad 1404.

Aprilis; præcedentem diem signat Divæus, sed ejus epitaphium, Domusque Divionensis necrologium ac chronicon cartusiæ Capellæ cum Charta Capituli generalis conveniunt. Citatum chronicon sic habet : « Dom. Philippus Hardy, dux Burgundiæ et comes Flandriæ, obiit Hallis v calendas Maii, vestitusque habitu Ordinis nostri ex hac Domo (Capellæ) qui adhuc non est solutus, transvectus est Divionem, ac ibidem in Domo Ordinis nostri quam ipse fundaverat, conditus. » Intestinis ad Virginis Matris Hallensis tumulatis, cor ejus ad Dionysii, Regum conditorio adjunctum est; licet contrarium a quibusdam scriptum sit, asserentibus corpore ejus Hallis sepulto, cor ad hanc cartusiam transportatum fuisse. Necrologium hujus cartusiæ ejus obitum sic refert : « Die 27 Aprilis obiit illustrissimus Princeps dominus Philippus, filius Regis Franciæ, dux Burgundiæ, fundator hujus Domus, sepultus in medio chori, in habitu Ordinis nostri, » sub mausoleo marmoreo sumptuoso ac magnifico. Et circa truncum æenei pulpiti (seu lectorii, ut vocamus) antiqui operis et elegantis formæ, quod in medio choro positum est, gothico dimidiatæ eminentiæ charactere inscriptum legitur quod hujus Domus constructionem inceperit, ut jam non semel monuimus, anno præsenti, die vero 20 Augusti. A scriptoribus Belgis laudatur Philippus tanquam Princeps moribus victuque temperatus, affabilis, providus ; et a nostris Gallis dicitur sapiens, magnanimus, justitiæ amans, et in omnibus continens ac liberalis, etc.

ANNUS 1383

Chronic. ms. Capell. ad ann. 1405.

Ægid. le Bouvier in Histor. Caroli VI.

In cartusia sua Divionensi sepultus.

Sanderus. Flandria illustrata. Sammarthani, lib. XIX. Genealogia Franc.

Margareta ejus conjux, altero post maritum anno Attrebati apoplexia oppressa, apud patris Ludovici Maleani, comitis Flandriæ, monumentum Insulis sepulta est. Habuit tricenarium per totum Ordinem, et in necrologio hujus Domus dies mortis ejus notatur 29 Aprilis. De posteris eorum, suis dicemus locis.

Ex Charta 1405.

Inter singulares Benefactores hæc Domus annumerat : Joannem ducem Bituricensem, Philippi fundatoris fratrem ; Ludovicum ducem Aurelianensem, Caroli V regis filium ; Ludovicum Ebroicensem Stamparum comitem, sancti Ludo-

Benefactores præcipui.

ANNUS
1383

vici regis abnepotem ; et quosdam alios Principes. Plures quoque Nobiles Nostri habuerunt fautores et amicos beneficos ; quorum præcipui sunt : Guido de Trimollia, fundatoris cubicularius, qui sacellum sancti Petri construxit, et post mortem, quam ex vulneribus sibi contra Leodienses pro Joanne duce dimicanti inflictis incurrit anno 1409 mense Maio, in hac Domo sepultus est. Hunc etiam inter suos fundatores recensent Luviniaci Cartusienses. Guillelmus de Trimollia, Guidonis frater, aliud sacellum ædificavit. Utrumque germanum adeo diligebat Philippus dux, ut suo testamento anno 1386 condito jusserit eis ac domino de Sully, Georgio videlicet de Trimollia præfati Guidonis filio, sepulturam ad pedes ejus disponi. Petrus de Trimollia, dominus de Dours, alter Guidonis frater, capellam S. Martini dotavit. Margarita de Trimollia denunciatur mortua in Charta anni 1475, ubi dicitur « Militissa. » Eodem ferme quo præfata Margarita tempore, obiit Petrus de Villeta, domicellus et civis Bizuntinus, benefactor. Hos præterea recenset necrologium Domus, Joannem de Vienna, Odoardum de Chaserron, Joannem de Sauvegrain et Joannem de Sancta Cruce, omnes Milites.

Monstrelet ad ann. 1408.

Sammarth. Geneal. Trimoll. fol. 119.

PRIORATUS APUD TOTENESIUM ORDINI CONCEDITUR.

VII. Hoc etiam quem decurrimus anno, Urbanus VI, agente Willelmo Suchio milite, quem vidimus ante biennium fundationem Domus Coventrensis non parum promovisse, Prioratum Ordinis S. Benedicti abbatiæ S. Sergii Andegavensis membrum, apud Totenesium, oppidulum comitatus Devoniensis in Anglia situm, Cartusiensibus sua bulla addixit, ut his verbis asseverat Harpsfeldius : « Circiter hæc tempora (anno 1383) Cartusiani apud Totenesium in hac diœcesi (Exoniensi) ponuntur. Extiterat ibi quidem prius Benedictinorum cœnobium, quod ab illustribus viris Suchiis jam olim conditum et idoneis possessionibus dotatum erat. Fuit vero cœnobium sub tutela et potestate monasterii divorum Sergii et Bacchi in suburbiis Andegaviæ ; atque ob hanc causam, monachi ipsi fuere Galli. Atqui, cum inter Gallum et Anglum diuturna et immania illa, præsertim regnante Eduardo III, bella ferverent, monachi partim exacti, partim ultro alio se

Hist. Angl. Sect. XIV, c. 22.

ANNUS 1383

proripuere, resque et possessiones monasterii miserum in modum pessum iere. Versati tamen sunt ibi tres aut quatuor Cluniacenses monachi, sed et ipsi frigidi in suis institutis servandis, et bona cœnobii parum accurate administrantes. Quare dominus Gulielmus Suchius volens et Majorum beneficiorum et suæ pietatis aliquod vestigium manere, supplex egit apud Urbanum VI ut ipsius autoritate cœnobium Cartusianis addiceretur ; cujus ille desiderio prolixe et cumulate satisfecit, Exoniensique Episcopo mandatum dedit ut videret rem confici et omnia bene et noviter expediri, monachis illis ad alia sui Instituti cœnobia remissis. » At hujusmodi consilium inane fuit nec ullum effectum fuisse sortitum videtur. Suchius enim difficilioribus tunc aulæ negotiis intentus, et triennio post ex odio procerum facessere est aula jussus, ac paulo post mortuus, anno videlicet 1387, die S. Georgii, Nostros in possessionem loci inducere non potuit, aut certe si unquam inducti fuerint, statim post mortem Suchii nullum novum nacti patronum recesserunt. Constat quippe ex catalogo Prioratuum alienigenorum Leicestrensi parliamento anno 1414 suppressorum, cœnobium Toteneiense tunc temporis ad abbatiam S. Sergii Andegavensis adhuc spectasse, de quo nusquam in actis Capitularibus nostri Ordinis ulla habetur mentio.

Monastic. Anglic. I. p. 1036.

Porro Suchiorum familiam nobilissimam et antiquissimam esse, ac genus ex Gaufrido Britanniæ Armoricæ comite anno 1008 defuncto duxisse reperio, quam et hoc quo scribimus seculo septimo decimo adhuc vigere scribit Godwinus in *Archiepiscopis Eboracensibus*, agens de Guillelmo Zuchio, viro nominatissimo, qui eamdem Ecclesiam sub medium seculi quarti decimi sapienter regebat.

CARDINALIS DE ALENCONIO DOMUI SEIZENSI PRODEST,

VIII. Philippus de Alenconio, Caroli comitis Valesii, cartusiæ Fontis B. M. fundatoris nepos, cardinalis et patriarcha Aquileiensis, hoc anno cartusiam Seizensem in sua diœcesi positam invisens, Indulgentias centum dierum ut Cardinalis, quadraginta vero dierum ut Patriarcha ecclesiam ejusdem Domus pie visitantibus concessit. Scribunt

ANNUS 1383

plerique autores Philippum præfatum primum episcopum Bellovacensem, deinde Rothomagensem et Auxitanum archipræsulem, Caroli V regis Franciæ iram declinantem, Romam petiisse et ab Urbano VI cardinalem episcopum Sabinensem, Patriarcham Aquileiensem ac legatum Patrimonii nominatum fuisse et creatum ; at paulo post summo Pontifici velut austeriori rebellem factum, ab eo purpura et beneficiis privatum ; tandemque a Bonifacio IX, Urbani successore, pristinum in statum reductum fuisse. Quidam etiam volunt eum Clementi aliquando adhæsisse, ac tantum post suam restitutionem, Ostiensem episcopum ab ipso Bonifacio fuisse institutum, anno videlicet nonagesimo secundo ut habet Ughellus. At contrarium discimus ex chronico Erfordiensis cartusiæ in quo dicitur annis 1388 et 1389 summi Pontificis (scilicet Urbani) in partibus Saxoniæ legatum, et in quibusdam Literis eodem tempore ab eo datis, jam episcopum Ostiensem se appellat. Hæc autem de eo narrat autor præfati chronici sub Hermanno Wolfhagen tertio Priore :

Gallia Christian. in Archiepiscopis Rothomagens.

Italia sacra. Tomus I. in Episc. Ostiens.

et Erfordiensi.

Chronic. Erford. subiens. III Priore.

« Anno 1388, x calend. Decembris, ad Domum nostram divertit ex itinere Reverendissimus D. Philippus de Alenconio, cardinalis et episcopus Ostiensis, apostolicæ Sedis legatus, quem dictus Domnus Hermannus debita reverentia excepit, cum collatione *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Cui Cardinalis apposite et pulchre respondit : *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus*. Exstant ejus præclara et nulla unquam merito justoque oblivione delenda in Domum nostram collata beneficia, fusius in calendario ecclesiastico nostro veteri in membrana descripta, ex quibus paucula hæc exscripsisse sufficiat. Quamdiu Erfordiæ moratus est, Domum nostram valde glorificavit et Ordinem, tam præsentia sua regali quam donis spiritualibus et corporalibus. Præter alia, ecclesiam S. Bonifacii Domui (anno 1389, 30 Decembris) incorporavit. Emptionum contractus cum Abbatibus SS. Petri et Pauli Ordinis Benedictini et Portensi Cisterciensis autoritate Apostolica confirmavit. Arcam quamdam muro Domus conjunctam a Senatu impetravit. Tandem post alia summæ

demissionis et benevolentiæ signa Fratribus et Domui præstita, ducentos florenos supererogavit. » Et inferius : « Dictus Cardinalis aliquando P. Priorem diu non rasum intuens, dixit : Non verecundaris tu transire barbatus ut latro in sylva ? atque ex illo tempore et deinceps rasura quæ singulis mensibus consueverat fieri, quintodecimo die fiebat. Eumdem Priorem pro modica culpa reum se apud præfatum Cardinalem proclamantem, Cardinalis pugno manus suæ verberans, Priorem absolvit dicens : Absolvo te autoritate qua fungor. Sciscitantibus etiam Conventualibus ab eo, et quærentibus quantum vespere pro collatione liceret alicui sumere, respondit : Quanto minus tanto melius jejunabis; affirmans strictissimam observantiam optimam esse pitantiam. » ANNUS 1383

Preces Ordinis petit.

Anno 1390 Romam ad Bonifacium recens electum pergens Venetiasque transiens, preces a Patribus in Montelli cartusia pro comitiis Ordinis congregatis petiit, et per Chartam tricenarium de Spiritu Sancto in Domibus hujus obedientiæ persolvendum obtinuit.

ANNALES

SECULUM QUARTUM

1384 — 1429....

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM QUARTUM

JESU CHRISTI ANNUS 1384.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 301.	Ann. 18.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, cum Indictione septima excurrente, quartum Cartusiense exoritur seculum. Quis non crederet jam tum fuisse faciem Ordinis mutatam et ex vexationibus quibus eam non semel verberatam ac colaphisatam vidimus, suum nativum colorem amisisse ? Sed etsi non denegemus illam cum Matre Ecclesia tum ex teterrimis schismatis ardoribus, tum ex totius sui corporis divisione contraxisse deformitatem, satis tamen decoris sibi conservavit, ut in eam merito illud Sponsæ dictum possimus transferre : *Nigra sum sed formosa*. Hanc ejus pulchritudinem hoc ipso tempore Episcopus Leodiensis* admirans, Cartusienses vocat « viros sanctissimæ vitæ qui per nullos terrores nullasque minas contra suam conscientiam flecti possunt ;

VIRORUM EGREGIORUM DE ORDINE CARTUSIENSI SENTENTIÆ.

Cantic. I. 5.

* Arnold. de Horn.

ANNUS 1384

eosque propterea, ut testatur in quibusdam literis, a Prælatis, Principibus, Magnatibus ac popularibus terrarum in quibus degunt, fuisse adeo reputatos et adamatos ut populus eorum opinionem de schismate insequeretur. » Guillelmus quoque de Lettrangiis, Rothomagensis archiepiscopus, unam Domum nostri Ordinis hoc anno fundans, ut paulo post videbimus, declarat se ad id fuisse impulsum « ex Nostrorum religionis zelo, vitæ et conversationis puritate, munditia et honestate, ac famæ laudabilis testimonio quibus commendabantur. » Thomas a Kempis, insignis ille pietate vir, in Vita Gerardi Magni hoc anno sancte defuncti, quasdam deformitates in Religiosis hujus temporis deplorans, cœlestem ac jucundam licet austeram et occultam in Cartusiensibus laudat dignitatem. « Eo siquidem præcipue tempore, inquit beatus ille vir, mundi status in maligno videbatur undique positus, ita ut pauci essent qui verbum vitæ, moribus ac vocibus prædicarent. Pauciores vero qui continentiam sectarentur; et, quod dolendum erat, nomen sanctæ Religionis et status devotionis præ inopia spiritus, a Patrum præcedentium vestigiis nimium claudicabat. Apud Cartusienses vero lux vitæ cœlestis remansit occulta, et carnalibus videbatur satis austera. Erat tamen Deo gratissima et spiritu ferventibus optabilis atque jucunda. »

Vita Gerardi Magni, cap. IV.

Cartusienses laudat Thomas a Kempis.

Ex his Kempensis verbis, et ex duabus præfati Gerardi literis, quidam hæreticus occasionem arripuit Religiosorum Ordines carpendi, quos omnes nullis exceptis in barathrum omnium vitiorum tunc temporis incidisse scribit. Et ad majorem sibi fidem conciliandam chronicon citat Windesemense, cujus tamen verba supprimit quibus Joannes Buschius illius autor, Cartusiensem, Cisterciensem et quosdam alios licet paucos Ordines ab hac generali excludit depravatione. Sic igitur Buschius, de corruptione cujuslibet status, non monachorum modo sed et secularium inter cætera loquitur : « In terra nostra deserta, sterili et infructuosa, locus quondam non erat confugii, quo salvarentur animæ, salutemque propriam possent operari nec in seculo nec in Religione : viris et

Jacob. Revius, Historia Daven. Lib. I, ad ann. 1340.

Chonicon Windes. Lib. I. c. 47.

feminis, senibus cum junioribus latam viam et spatiosam ad perditionem ducentem communiter ingredientibus. Pauci quoque Ordines, Cartusiensibus et quibusdam Cisterciensibus exceptis, regulæ et constitutionum suarum tunc temporis erant observatores, sed magis earum et trium totius Ordinis substantialium, in omni pene Religione aperti transgressores, etc. » Hæc ille cum Kempensi malum paulo nimium exaggerans : nec enim tanta erat inter Religiosos concionatorum paucitas, quandoquidem hoc ipso anno Urbanus VI, universis Religiosis cujuscumque Ordinis prohibuit ne ante Missarum curialium celebrationem in suis templis sermonem ad populos haberent, aut etiam ad ipsas parœcias sine curionis licentia accederent concionandi gratia.

ANNUS 1384

Raynald. ad hunc ann. n.5

II. Porro cum jam aliquam de Gerardo Magno mentionem fecerimus, præstat hic seriem subjicere illius conversionis, quam post Deum, cujusdam Cartusiensis precibus et adhortationibus deberi fatetur Thomas a Kempis. Hic enim res gestas describens, primo ostendit quomodo in seculari vita insolens ac vanus incesserit, deinde quomodo per viscera misericordiæ suæ Dominus in illum respiciens, per Priorem cartusiæ Arnhemensis, eum a mundi vanitate abstraxerit, ita dicens : « Cum omnipotens et misericors Deus hunc doctum et famosissimum Magistrum a præsentis sæculi nexibus solvere decrevisset, modum conversionis ejus duxit ad effectum. Cujus tamen conversio hominibus inopinata et incognita, cuidam solitario in Colonia prius fuit revelata et prædicta. Cum enim quodam tempore Coloniæ esset et secularibus ludis intenderet vagabundus, præfatus solitarius nomen et habitum magistri Gerardi expresse designans, prædixit ejus conversionem cito complendam et multis profuturam. Unde quidem hoc sciens, venit ad eum ubi stabat et ait : Quid hic stas vanis intentus ? alius homo fieri debes. Quod ille de se dictum tanquam puerile existimavit, nec tunc quidem multum advertit. Sed Deus præscius futurorum, qui non fallit, in brevi tempore implevit prædestinationis suæ verbum, revocans dilectum sibi Gerardum a via iniquitatis ad sanctæ con-

GERARDUS GROOT CARTUSIANORUM AMICUS.

Cap. I et II.

ANNUS 1384

A quodam Cartusiano ad Deum convertitur.

Ibid. c. IV.

versationis statum per quemdam religiosum Cartusiensis Ordinis virum. Erat namque in terra Gelrensi apud oppidum Arnhemense religiosus quidam Prior Ordinis Cartusiensis in Monichusen, vir literatus et devotus, magistro Gerardo olim in seculo familiariter notus. Hic charitatis visceribus plenus et zelo animarum erga proximum concitatus, cœpit cogitare qualiter cum magistro Gerardo posset habere sermonem et secreto de ejus tractare salute, ne tantus vir eruditusque Magister in seculo deperiret, sed de diaboli laqueis ereptus Dei auxilio, electorum numero jungeretur.... Interea accidit ut prænominatus Prior, causa emergente Trajectum tenderet, ibique dilectum magistrum Gerardum esse percipiens, ad ejus colloquium desideranter properat, moxque ad extrahendum magnum hunc piscem de seculi fluctibus sanctæ exhortationis rete opportune relaxat. Aggreditur ergo familiarem amicum, salutat sodalem antiquum, hortatur sapienter hospitem benignum.... Inter hæc sancta mutuaque colloquia sæpius repetita, adest gratia divina, mollitur animus audientis.... tandem præponit vitam mutare in melius. His Prior perceptis exhilaratur altius quod semen Dei in terram bonam cecidit, gaudetque gaudio magno de cœte grandi, Christi hamo capto, citius de marinis fluctibus extrahendo. Redit lætus ad socium, gratias agit Deo a quo omne bonum, fatetur se non frustra tenuisse sermonem. Quia cepi, inquit, ut spero, magistrum Gerardum, et confido de ejus conversione, quod bonum propositum velit tenere et factis comprobare... Sed ne semen sanctum in corde viri Dei plantatum a transeuntibus secus viam conculcaretur, aut a volucribus cœli non opertum carperetur, elegit humilis Magister ad tempus latere, et ab humanis aspectibus seculariumque colloquiis se caute segregare. Secessit igitur a civitate sua (Daventria) et de domo paterna, venitque in partes Gelriæ ad religiosos Fratres Cartusienses in Monichusen, in Christi charitate sibi dilectos. A quibus reverenter susceptus, cellam accepit ut hospes amandus; quam lætus et desideranter ingrediens cum B. Petro in mentis excessu ait : *Domine, bonum est nos hic esse.*

Ibid. c. VI.

Ibi namque recollegit cordis sui dispersiones, ibi veteris vitæ detersit rubigines, atque interioris hominis imaginem reformavit ad purum. Ibi insurgentes passionum motus jejunando vigilandoque confregit, et dæmonum varios insultus orando flendoque devicit.... Vidi et ego habitationis ejus locum in quo lucerna Dei et amicus Omnipotentis ad tempus latuit, donec super candelabrum poneretur ut omnibus lucis exempla monstraret.... Novus igitur miles Christi, sub castris Cartusianorum stabat intrepidus. Nec tædio cellæ vincitur intus, nec laboris exercitio frangitur foris, sed sicut bonus claustralis fit custos cordis et oris.... Fuisset bonum quod vir magnæ facultatis Deo et sibi continue vacasset in solitudine claustrali, sed majus bonum et altior laus Dei inde sperabatur, quod Magister ad prædicandum idoneus, et ad ferendum onus Ordinis (Cartusiensis) minus validus, pluribus proficeret animabus verbum vitæ palam prædicando. »

ANNUS 1384

Apud Nostros cellam accipit ut hospes, per triennium.

Ibid. c. VII et VIII.

Tribus annis in cella inter Nos conversatum fuisse scribit Jacobus Revius, qui licet hæreticus, Gerardi laudes summo honore prosequitur : « Relictis omnibus beneficiis (inquit ille) sive præbendis quas et Trajecti et Aquisgrani habebat, patrimonii etiam, quod satis lautum habebat, exigua ad frugalem vitam parte retenta, ad tempus se subduxit in cœnobium Cartusianorum quod est apud Monichusen Geldrorum. Ubi postquam triennium animum sacrorum librorum lectione pavit, quam Dominus sibi impartiverat scintillam lucis ad quamplurimos diffundere statuit per oppida et vicos concionando, et ad emendationem vitæ omnes omnis generis mortales vocando. Sicque in lucrandis Deo animis, residuum vitæ suæ feliciter consummavit, et sancto fine complevit. »

Histor. Daventr. Lib. I. ad ann. 1390.

« Sentiens itaque, ait Thomas a Kempis, fidelis et prudens servus Domini magister Gerardus, dierum suorum adesse finem, utpote communi mortalitatis fulmine perculsus, salutare Viaticum petiit et accepit. Insuper plagam Domini patienter tolerans, cum electis non refugit flagellari, ut iram omnipotentis Judicis tanto facilius placaret, quanto humilius et libentius præsentia flagella sustineret. Igitur omni modo

Sancte obiit.

Vita G. Magni, cap. XIV.

ANNUS 1384

voluntati divinæ se resignans, et ordinationi supernæ sponte se subjiciens, agonem suum fiducialiter Domino commendavit, ita ad astantes sibi Fratres breviter loquens : En, vocor a Domino, et tempus resolutionis meæ instat. Augustinus et Bernardus pulsant ad ostium, non possum præterire terminum a Deo constitutum. Cogor cum mortalibus cæteris debitum persolvere carnis. Deus tueatur exitum meum, pergat spiritus ad Dominum qui fecit illum. Tegat terra corpusculum de terra sumptum, non diu ibi mansurum. Det mihi Deus invenire requiem post mortem, pro cujus amore laboravi, scripsi et prædicavi. Contristati vero nimis discipuli ejus, et profunde ingemiscentes dixerunt : Quid jam ultra faciemus, et quis de cætero nos informabit ? Tu pater et defensor noster fuisti, et ad Dominum nos traxisti. Jam adversarii nostri lætabuntur, et seculares nos subsannabunt dicentes : Non habent isti ducem et principem, ideo cito redigentur in nihilum. Si te vivente ausi fuerunt nos deridere et maledicere, quid facient te decedente ? Cedat oratio tua pro nobis, et fer cito auxilium filiis derelictis. Tuo consilio nos emendare incepimus, adjuva ut perseveremus. Videns pius et misericors Magister corda filiorum suorum de suo transitu graviter constristari, benignam consolationem intulit

Ejus ultima verba.

dicens : Habete fiduciam in Domino, carissimi, nec timeatis seculares homines contra vos garrientes. State firmiter in proposito sancto, Dominus erit vobiscum in loco isto ; non enim prævalebit homo infringere quæ Deus decrevit operari. Ut primum venero ad Dominum, spero quod projiciam vobis flores de cœlo, ut gratiam sentiatis, et fructum faciatis in mundo. Commendo autem vos omnes Deo et Sanctis ejus. Et ecce dominus Florentius dilectus discipulus meus, in quo vere Spiritus Sanctus requiescit, erit vobis pater et Rector vester. Ipsum loco mei habeatis, ipsum audite et ejus consilio obedite. Non novi consimilem ei, de quo talia sentio et cui tantum confido, quem sicut patrem diligere et honorare debetis. Sicque benigne consolatus est discipulos suos gravi mœrore affectos, spondens auxilium Dei eis certissime

affuturum. Quibus non aurum nec argentum, nec prædiorum copias reliquit in testamentum, sed sacros codices et pauperculas vestes, ac alia quædam vilia et antiqua utensilia, in signum contemptus mundi et ad consequendum facilius regnum Dei. Igitur post festum Assumptionis beatæ Mariæ semper Virginis, cum jam natalis dies beati Bernardi illuxisset, venerabilis pater magister Gerardus, speciali devotione sancto Bernardo affectus, sole advesperascente, inter quintam horam et sextam, tradidit Deo animam suam Sacramentis ecclesiasticis munitam, fide pretiosam, ac multis virtutibus claram, anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo octogesimo quarto, die 20 Augusti, ætatis suæ quadragesimo circiter quarto. » Cujus obitus in Charta Capituli anno sequenti Florentiæ habiti honorifice sic designatur : « Obiit magister Gerardus Groot de Daventria, magnus Ordinis benefactor et amicus, habens tricenarium, etc. » Quam vero posthac inter ejus discipulos et Cartusienses arcta fuerit necessitudo, dicemus anno hujus sæculi ultimo.

ANNUS 1384

In die S. Bernardo sacro moritur.

Ejus obitus in Carta Capituli generalis designatur.

III. Fundatur hoc præsenti anno Domus Ordinis juxta urbem Rothomagum totius Normanniæ caput, in ejus suburbio quod vulgo Sanctus Hilarius nuncupatur. Nomen cartusiæ *Rosa nostræ Dominæ* ab ipso fundatore Guillelmo de Lettrangiis, Rothomagensi archiepiscopo, inditum est, ut legimus in ejus Literis dotalibus quæ sic habent, inter cætera : « Ad perpetuam rei memoriam. Guillermus de Lectrangiis, Lemovicensis diœcesis, miseratione divina archiepiscopus Rothomagensis. Dum conditionem humanæ fragilitatis attendimus, et qualiter omni creaturæ tam sublimi quam humili, prætereuntibus sine cursu diebus, præsentis vitæ finis appropiat intenta consideratione pensamus; sic, quantum nobis ex alto permittitur, prævenire cupimus diem mortis, ut æterni clementia Judicis, apud quem exceptio vel provocatio locum sibi non vendicant, omisso rigore judicii, dignetur nostri, de suæ gratiæ plenitudine, misereri. Verum cum ad ipsius Judicis misericordiam impetrandam Missarum et devotarum orationum suffragia, inter alia pietatis opera, mul-

DOMUS ROTHOMAGENSIS FUNDATUR,

ANNUS 1384

tum prosint, universis Christi fidelibus, præsentibus pariter et futuris, notum facimus per præsentes, quod ad Ordinem Cartusiensem et Fratres ejusdem religionis, apud nos de religionis zelo, vitæ et conversationis puritate, munditia et honestate famæ laudabiles et testimonio commendatos, aciem mentis nostræ extendentes, atque ferventibus in Christo desideriis affectantes prædictum Ordinem in diœcesi Rothomagensi (cui præsidemus) fructuosius dilatatum, et diebus nostris augmentari et per operis exhibitionem honoribus prosequi fructuosis, ad laudem, gloriam et honorem divini nominis summæ et individuæ Trinitatis, et specialiter beatissimæ et gloriosissimæ virginis Mariæ, pro sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI, nostræ ac progenitorum, amicorum, benefactorum et successorum nostrorum animarum remedio et salute ; et ut Fratres collegii seu conventus inferius designandi ac totius Ordinis Cartusiensis in Missis, orationibus et servitiis, per ipsos deinceps celebrandis, eorum memoriæ dictum sanctissimum patrem Dominum, D. Gregorium Papam XI, nos, progenitores, benefactores et successores nostros habeant specialiter commendare, ipsique de dicto conventu, per nos in modum qui sequitur fundato et ordinato, apud æternum et summum atque solum Judicem devotis et assiduis intercessionibus ac supplicibus orationibus pro nobis insistere propensius astringantur : unum conventum perpetuum tresdecim Fratrum dicti Ordinis Cartusiensis cum Conversis et aliis servitoribus ibidem necessariis juxta usum et morem dicti Ordinis, per Priorem ibidem instituendum, regendum et gubernandum, in nostra diœcesi et prope civitatem Rothomagensem in loco seu territorio communiter vocato de Nido canis, videlicet in quodam manerio quod quondam fuit Johannis de Vallericherii et Johannis Villani, per nos sub proprio nomine cum pertinentiis ejusdem acquisito, fundamus, statuimus et ordinamus. Et primo dictum locum seu manerium cum capella, domibus, ædificiis ibidem existentibus, et uno magno gardino prope muros dicti loci situato ab uno latere ; et ex alio ad aquam seu rippariam de

pro remedio animar. Gregorii XI et fundatoris;

in loco vocato de Nido canis,

Rodobecco et ex uno butto ad semitam per quam ingreditur ex dicto loco de Nidocanis apud sanctum Hilarium, una etiam cum pratis, terris, vivariis, arboribus, rippariis et aliis pertinentiis quibuscumque, per nos a dicto de Vallericherii acquisitis pretio octo centum florenorum auri francorum, ut in Literis super hoc confectis plenius continetur; pro dicto Conventu faciendo, sibi donamus, concedimus, relinquimus et in dicto Ordine transferimus per præsentes, pure, simpliciter et absolute, per ipsos Religiosos et eorum successores ex nunc et imperpetuum pura donatione inrevocabili tenendum et possidendum; cui loco seu conventui nomen imposuimus Rosa nostræ Dominæ, et ita vocabitur de cætero; quem quidem locum eisdem Religiosis promittimus deliberare et acquitare ab omni onere, censu, tributo, reditu et servitute quibuscumque et etiam a jure parrochiali juxta posse. Item pro victu et sustentatione dictorum Fratrum et Conventus, sibi donamus et concedimus viginti libras turonen. annui et perpetui reditus per nos Rothomagi acquisitas, non admortizatas, in et super bonis seu hereditagiis magistri Johannis de Bajocis et Agnetis ejus uxoris, specialiter supra eorum domum situatam in parrochia sancti Macuti Rothomagensis, ad signum Floris Lilii, et etiam supra aliam eorum domum ubi sunt sturæ in parrochia sancti Audoeni Rothomagensis. Item centum libras renduales per nos in feudis ecclesiæ Rothomagensis acquisitas privato nomine in villis Deppe, de Douverendio et locis circumvicinis admortizatas. Item quatuor millia florenorum auri francorum de cugno domini nostri Regis, boni auri et recti ponderis pro aliis reditibus emendis et acquirendis ac etiam admortizandis, saltem usque ad perfectionem summæ quater centum librarum turonen. annuatim rendualium, tam in prædictis per nos acquisitis quam aliis per ipsos acquirendis, de quibus reditibus sibi tradidimus literas admortizationis ducentum et decem librarum turonen., una cum aliis Literis acquisitionis prædictorum manerii seu loci centum et viginti librarum turonen. Item sibi donavimus et realiter tradidimus sex millia

ANNUS 1384

sub vocabulo Rosæ nostræ Dominæ.

Reditus stabiliuntur,

ANNUS 1384

florenorum auri francorum ex alia parte, pro ædificationibus domorum et aliorum ædificiorum dicti conventus per ipsos Fratres citius quam fieri poterit debite faciendis seu fieri procurandis, absque eo quod de hoc ulterius nos intromittere teneamur. Quæ præmissa realiter et de facto tradidimus et assignavimus religiosis viris fratribus Heliæ Priori Vallis viridis juxta Parisius, et Johanni Priori Fontis nostræ Dominæ, Suessionensis diœcesis, prædicti Ordinis Cartusiensis, præmissa recipientibus nomine Ordinis prælibati, et ad hoc potestatem habentibus a Magno Priore ejusdem Ordinis; necnon ponendi et instituendi in dicto loco sex Fratres cum duobus Conversis ejusdem Ordinis qui ibi instituentur infra festum beati Andreæ proximo venturum, et facient divinum servitium juxta usum et morem dicti Ordinis in capella nunc ibidem existente; de quibus sex Fratribus erit unus Prior ordinatus per Priores superius nominatos, qui dabit operam ut quam citius fieri poterit ædificia incipiantur et continuentur, et coadjuvante Domino, compleantur infra duos annos proximo sequentes; et cum illo Priore poterimus ordinare, si nobis expedire videbitur, unum Clericum secularem qui cum ipsis Religiosis poterit vacare et intendere in perfectione dicti operis. Item faciemus reparare quamdam domum situatam in dicto loco pro mansione seu habitatione dictorum sex Fratrum et duorum Conversorum, taliter quod ibidem possint habitare quousque dictus locus principalis fuerit constructus; et eisdem sex Fratribus et Conversis solvemus expensas quas facient usque ad unum annum postquam ibi intraverint, ultra prædictas sex viginti libras, per nos, ut præfertur, sibi assignatas; et etiam in alio secundo anno sequenti, si non suppeterent reditus acquisiti vel interim acquirendi cum prædictis sex viginti libris. Item recognoscimus et confitemur habere, nomine precario, a dictis Fratribus mille florenorum auri francos boni auri et recti ponderis, pro libris necessariis in dicto conventu acquirendis. Item perfectis in dicto loco tresdecim cellis pro tresdecim Religiosis et alio loco apto pro divino servitio celebrando, conven-

pro sex Fratribus primum,

et dein pro tredecim.

ANNUS 1384

tus tresdecim Fratrum perpetuo ibi erit per gratiam Dei, residuis etiam ædificiis non completis; quæ ad longius complebuntur, cum Dei auxilio, infra duos annos proximo sequentes, ut præfertur. Item inter nos et Priores præfatos actum fuit et expresse concordatum quod in dicto loco, vita nostra durante, habebimus in privata persona domum quæ est in superiori parte dicti loci, scilicet galeriam supra vivarium et coquinam, et alibi poterimus ædificare, seu ipsam domum, si nobis videatur expediens, ampliare in domibus contiguis conventus extra claustra Monachorum, et habebimus liberum ingressum et exitum per portam magnam proximam dictæ galeriæ pro nobis et gentibus nostris, et moram ibi facere pro nostræ libito voluntatis. Et insuper nos et Priores præfati volumus et ordinamus quod summæ florenorum præfatæ ab ipsis manualiter receptæ ponantur in uno coffro, et totum ponatur in deposito in uno loco securo, de quo coffro et deposito venerabiles Patres dominus Johannes abbas de Gemelicis habebit unam clavem, et dominus G., abbas de Validomonte, habebit aliam, et Ordo duas alias, et in omnibus acquisitionibus terrarum, ordinationibus et ædificationibus faciendis, vocabuntur dicti duo domini Abbates vel saltem unus ex ipsis, et secundum eorum vel alterius eorumdem consilium et ordinationem omnia fient et ædificabuntur. Quæ præmissa omnia et singula dicti fratres Priores supradicti, nominibus suis propriis et etiam totius Ordinis supradicti, laudaverunt, ratificaverunt et approbaverunt, et adimplere, tenere et observare promiserunt; atque per eorum Priorem, superiorem dicti Ordinis, facere laudari, ratificari et approbari, et super hoc ab ipso procurare, recipere et habere Literas approbatorias in forma debita, infra festum Purificationis B. Mariæ virginis proximo sequens. Quod si prædicta omnia per modum suprascriptum ipse Magnus Prior dicti Ordinis pro se et suis successoribus nollet ratificare, consenserunt expresse dicti Priores, nominibus quibus supra, quod nobis liceret summas florenorum supradictas, manerium, reditus, hereditagia et alia supradicta,

Fundator habitationem sibi relinquit supra coquinam.

ANNUS 1384

propria autoritate incontinenti recuperare et habere. In quorum fidem et testimonium et ad majorem roboris firmitatem, præmissa recipi et in hanc publicam formam redigi per Notarios publicos infra scriptos, ad hoc præsentes, fecimus et mandavimus, ac magni sigilli nostri appensione communimus. Actum et datum in manerio nostro de Deyvilla prope Rothomagum, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo quarto, die quinta mensis Octobris, hora prima vel circa, Indictione octava, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis, summa Dei Providentia Papæ septimi, anno sexto. Præsentibus ad hoc dictis dominis abbatibus de Gemelicis et de Validomonte; venerabilibus et discretis viris magistris, Guillelmo de Montealtaris officiali nostro Rothomagensi et Vincentio de Briendas, consociis nostris; dominis Adam de Troncheyo de Sarcofagis, Ingerrano Benedicti de Bournevilla, Mauritio de Malcione Sancti Petri de Curanno parrochialium ecclesiarum rectoribus, Rothomagensis et Ruthenensis diœcesum ; domicellis Johanne Hamello (alias Favas) et Hugone Jaiez servitoribus nostris, Tholosanensis et Lemovicensis diœcesum, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. »

Ex Charta 1385. *Prædicta ratificantur ab Ordine.*

Cuncta quæ his Literis caventur, non solum a Priore Cartusiæ Majoris statuto tempore approbata sunt, sed in sequentibus Ordinis comitiis incorporatæ juxta morem novæ plantationi Prior institutus est Joannes Daviti, quem interea Patres Commissarii in Rectorem præfecerunt. Per sex annos curam illius gesserunt Picardiæ Visitatores, donec tandem per Chartam anni 1390 Provinciæ Franciæ subjiceretur. Ædificiis nondum completis, obiit pius fundator apud Castrum-Gallionense anno 1389, die undecima Martii, non vero secunda, ut apud quosdam scriptores ponitur. Idem dies designatur in Charta ejusdem anni obitum illius sic denuntiante : « Obiit R. in Christo Pater dominus Guillelmus de Lettrangiis die XI mensis Martii, qui fuit archiepiscopus Rothomagensis, fundator Domus Rosæ nostræ Dominæ prope Rothomagum, et habet per totum Ordinem monachatum

Franciscus Pomeraye, Historia Archiepiscoporum Rothomagens.

Fundatoris obitus.

cum psalteriis, et ideo scribatur dies obitus ejus in calendariis conventualibus Domorum Ordinis. » Ejus cadaver e Gallione Sequana fluvio Rothomagum transvectum, in æde episcopali Beatæ Virginis depositum, post perfectam ecclesiæ Cartusiensis constructionem in eam humandum translatum est, ubi ante tumultus seculo sexto decimo ab Hæreticis excitatos, ejus epitaphium prope altare majus a parte Evangelii visebatur, hæc verba continens : « Hic jacet R. in Christo P. et Dominus Guillelmus de Lettrangiis, diœcesis Lemovicensis, archiepiscopus Rothomagensis, fundator a primo lapide istius Domus, qui obiit in Gallione die XI Martii anno MCCC. XXC. VIII. »

Dies et annus discutiuntur.

Pro notis numeralibus romanis XI, exscriptor quidam incaute posuit numeros arabicos 11, qui pro romanis habiti revera secundam diem denotant. Sed præter autoritates jam allatas, extat etiamnum codex rationum a Guidone Rabasthier canonico Ebroicensi redditarum testamenti fundatoris curatoribus, qui eum administratorem constituerant omnium bonorum defuncti Archipræsulis ; in quo codice dies undecima distincte exprimitur. Imo cum præfatus Canonicus in eodem codice mentionem faciat expensarum, mense Novembri anno 1388, pro ipso Archiepiscopo adhuc vivente factarum, inde patet eum tantum obiisse anno sequenti, ac proinde epitaphii autorem more Gallorum annum a XXV Martii vel a Paschate auspicatum fuisse.

Franc. Far. Antiquitates urbis Rothomag.

Nova beneficia ex ejus testamento Nostris largiuntur.

Præter pecunias in ædificiis consumptas et reditus pro dote assignatos, tria librarum millia et amplius moriens Nostris dimisit. Insuper cum Rudolphum de Lettrangiis fratrem suum primogenitum et Conventum novæ suæ cartusiæ, quemlibet ex semisse, hæredes instituisset ; solutis post illius mortem legatis et expensis, ex summa 20,000 librarum ad quam pervenerant bona ab eo relicta superfuerunt quatuor millia quadringenta librarum, ex quibus duo millia ducenta Nostris obvenerunt. Et ex mobilibus : librum vocatum *Catholicon Bibliorum ;* alium librum appellatum « Hugo de sancto Victore ; » item casulam candidam nigro intus mu-

nitam, albam unam cum amictu, duo vestiaria altaris ornamenta ejusdem coloris ac casula ; calicem et crucem ex inaurato argento cum cæteris altaris instrumentis. Ex venditione vestium quibus solum ad tegendum corpus, non vero ad dignitatem episcopalem usus fuerat, percepta est summa 520 librarum, de consensu executorum et hæredum pauperibus erogata, ex qua quadraginta quinque libræ sex Domibus nostri Ordinis, videlicet Villænovæ prope Avenionem, Vallis viridis prope Parisios, Fontis beatæ Mariæ in Valesio agro, unicuique decem libræ; Domibus vero S. Ludovici prope Noviomum, Monsterolensi et Rosæ nostræ Dominæ, scilicet cuilibet earum, quinque libræ distributæ sunt.

Fundatoris laudes.

Porro nostrum Fundatorem, patria Lemovicem, gratia valuisse apud Gregorium XI suum gentilem, imo et cognatione eum attigisse existimat Farinus ; nec quidem temere, aliquid enim rei cum præfato summo Pontifice sibi fuisse ipse Archiepiscopus indicavit, cum moriens jussit octogentas libras magno Cartusiensium Prælato, id est Majoris Cartusiæ Priori solvi, quas ei debere professus est ratione Gregorii XI Papæ. At vidimus anno 1378 Gregorium suo testamento anno 1374 scripto, Domui Cartusiæ legasse decem florenorum millia, ex quibus forsan præfata octingentarum librarum summa, pars erat residua nondum soluta ; unde non absurde posset quis conjicere nostrum fundatorem unum fuisse ex Gregorii testamenti executoribus, ac proinde eum esse Guillelmum tunc Carpentoractensem episcopum, quem ideo anno 1375 ad sedem Rothomagensem crederem translatum fuisse, licet id scriptores hactenus ignoraverint. Ad eum jam factum Archiepiscopum et tanquam Sedis apostolicæ nuncium, et ad Petrum Magalonensem episcopum, suum thesaurarium et alterum sui testamenti executorem scripsit Gregorius anno 1378, mandatque sedulo agere apud Carolum Imperatorem quem audierat Parisios adventare, et Carolum Francorum regem, ut ipsi Pontifici et Ecclesiæ succurrerent. Post hæc inter sanctioris consilii ejusdem Regis senatores assumptus, eo munere fungebatur anno 1381. A sacra fonte suscepit

Spondan. ad an. 1378, n. 1.

Carolum principem anno 1386. Quidam eum autorem fecerunt deportuum seu annatorum quos Archiepiscopi Rothomagenses e curialibus beneficiis, cum vacant, repetere solent. At Behotius, magnus Rothomagensis archidiaconus, tractatu particulari ostendit jam diu ante hujusmodi jus concessum fuisse quam noster fundator ad sedem hujus Ecclesiæ promoveretur. ANNUS 1384

Benefactores cartusiæ Rothomagens.

Ex Guillelmi successoribus, Georgius, cardinalis Ambosianus nominatissimus, Rosæ dotem auxit. Carolus Borbonius et ipse cardinalis, Henrici Magni regis Franciæ patruus, cartusiam prope Gallionem fundavit. Franciscus Rourellus, præsul prudentissimus, translationem Rosæ e Nido-canis ad Sancti Juliani prioratum ante aliquot annos ab antiquis Benedictinis Ordini concessum, nuper factam, suo consilio consensuque necessario promovit. Quæ quidem omnia fusius suis locis enarrabimus.

Insigniores hujus Domus amici et benefactores extitere : Guillelmus de Hetrewos, anglus, dominus de Lithumeria et de Sancta Maria de Monte in Normannia, dedit anno 1394 centum libras annui reditus super duo præfata dominia percipiendas, quibus postea Nostri spoliati sunt. Joannes Le Blond, mortuus et in ecclesia sepultus anno 1418. Nicolaus Hemericus, Vicarius generalis et officialis Rothomagensis et archidiaconus Bajocensis obiit anno 1455, et die 2 Aprilis sepulturam inter Nos accepit. Guillelmus Canevote, collector Cameræ et Joannes de Veules civis Rothomagensis, denunciantur defuncti in Charta 1493. Jacobus Richard, quondam novitius, multa bona fecit, mortuus anno 1589. Catharina de Boury, vidua Petri Ygou de Boisnormand, Nicolai Ygou hujus Domus monachi mater ; dicitur specialis benefactrix Majoris Cartusiæ in Charta 1603, ubi designatur inter mortuos cum tricenario ; ex eadem fuit familia Joannes Ygou de Boisnormand in cœmeterio Rosæ sepultus anno 1617. Ejus uxor Anna Le Blanc, anno 1607 defuncta, habet cum eo anniversarium perpetuum. Magdalena Belin, uxor clarissimi viri de la Turgère in suprema Juvaminum Rothomagensi

ANNUS 1384

curia consiliarii, inter defunctos Chartæ 1608 commendatur. Nicolaus de Bauquemare, dominus de Franqueville, singularis totius Ordinis amicus dicitur in Charta 1621. Nicolaus Robillard in supremo senatu Rothomagensi consiliarius, habuit anniversarium per totum Ordinem anno 1627.

Bohic ad ann. 1384.

Accidit autem ut postremis bellorum civilium inter Gallos temporibus Domus hæc penitus everteretur. Unde Capitulum generale celebratum anno 1593, curam et administrationem ipsius D. Adamo Oyer Priori Domus Borboniensis commisit his verbis : « Domus Rosæ penitus destructæ relinquimus administrationem Priori Gallionis, donec de loco, modo et mediis eam reparandi deliberatum et provisum fuerit. »

DOMUS HORTI CHRISTI ÆDIFICATUR,

IV. Circa eadem tempora fundatur Domus Horti Christi, sesquihora tractum versus occiduum ab imperiali urbe acatholica Nerolinga sive Nordlinga, in Suevia, nobilissima superioris Germaniæ provincia et comitatu Œtingensi, sub diœcesi Augustana, distans; ab Hæreticis modo occupata. Ejus fundationem quidam ad annum 1381 referunt, quidam ad præsentem annum, quorum opinio nobis verisimilior apparet, cum prima ejus mentio habeatur tantum in Charta 1386, ubi absoluto novo Rectore, alter præficitur, Sifridus nomine, e prioratu Domus Grunawensis propterea assumptus, « cum potestate tot Monachos et Conversos recipiendi quot Domus posset sustentare. » Comites ab Œttingen eam fundasse nullus ambigere potest, cum hic honor eis per nostrum Capitulum generale tribuatur. Sic enim legimus in ejus Chartis : « Committimus Priori et Procuratori Domus Nurembergæ quatenus personaliter se transferant ad dominos Comites fundatores Domus novæ plantationis Horti Christi, rogantes ipsos ut dignentur circa eam opere perficere quod oretenus promiserunt pro sua et suorum salute et honore ; alias dicta nova plantatio Ordini minime incorporabitur, sed amoto inde Rectore, Monachi in aliis Domibus Ordinis collocabuntur. Committimus etiam Priori Herbipolensi quod in casu quo dicti Fundatores faciant suum debitum, licite valeat illuc aliquos Monachos secundum quod sibi videbitur necessarium

A Comitibus Œttingensibus.

Ex Charta 1388.

destinare ; possit etiam prohibere ne Vicarius Missam celebret in ecclesia parochiali quam Ordinarius ad dictam novam plantationem transtulit. »

ANNUS 1384

Comites quorum hic fit mentio videntur esse Ludovicus comes et filii sui, videlicet Ludovicus Barbatus et Fridericus. Ludovici patris obitus non reperitur in nostris Chartis, sed Ludovicus Barbatus designatur mortuus in Charta anni 1441, quem ex Chronico Elwangensi et Nicolao Rittershusio discimus obiisse anno præcedenti, die 28 Octobris. Fridericus frater ejus obierat anno 1439, ut constat ex citato chronico, cujus tamen obitus non fuit denuntiatus nisi post mortem Joannis primogeniti et Margaretæ nurus ejus, qua defuncta anno 1450, tricenarium per totum Ordinem tam pro præfatis Ludovico Barbato et Friderico fratre licet diu ante mortuis præcipitur, quam pro uxoribus eorum et liberis. Sic autem habet Charta : « Obierunt generosi domini Comites de Ottinga, Ludovicus et Fridericus filii fundatoris Domus Horti Christi, necnon uxores eorum et quidam ex filiis ipsorum, pro quibus fiat tricenarium, etc. » Ludovicus nullum post se reliquerat filium hæredem, sed Fridericus ex Euphemia Munsterbergia plures genuit liberos, Joannem jam nominatum, Fridericum cum matre anno 1447 defunctum, Willelmum hujus Domus benefactorem qui propterea cum uxore Beatrice per Chartam 1467 habuit tricenarium defunctorum, et Ulricum qui simile beneficium obtinuit anno 1478. Duo præterea ex eodem genere reperio hujus Domus benefactores : unus dicitur mortuus in Charta 1486, ubi vocatur « magnificus dominus Ludovicus comes de Ottingen, » quem scriptores videntur ignorasse ; nisi sit filius Joannis de quo supra, quem tamen Bucelinus et Rittershusius volunt tantum decessisse anno 1517. Alter his verbis commendatur in Charta anni 1522 : « Obiit generosus et magnificus dominus Wolfgangus, comes de Ottingen, magnus fautor Ordinis, benefactor et protector Domus Horti Christi. » Is erat Willelmi prælaudati filius, cujus posteri, renuntiata Majorum pietate, non solum hanc Domum nostro Ordini eripuere, sed quod pejus est, hæresi Lutherana

Multi ex hac familia Nostris favent.

Chronicon Elwangens. ad ann. 1440.

Rittershus, in Genealog. Œtting.

Ex Charta 1451.

Chronicon Elwang. ad an. 1447.

Bucelin. in Stemmatogr. German. ubi supra.

ANNUS 1384

complexa, veræ Religioni nuncium remiserunt; quibus lite aliquando in Camera Spirense a Nostris intentata ac sententia decretoria obtenta, Domum quidem per aliquot annos iterum possedimus, quam tandem, anno 1651, per pacem Monasteriensem penitus amisimus.

Benefactores et amici Domus.

Benefactores et amici Domus hi occurrunt in Chartis : Dominus Conradus, dictus Hamer, Antoniensis in Nordlinga sacerdos, 1409. Bartholomæus Rost civis Nordlinganus, 1420. Domina Barbara de Lieteussen, benefactrix Horti Christi et Aulæ B. Mariæ, 1441. Dominus Fridericus de Ottinga sacerdos, et Andreas Riessman plebanus Nordlingus, 1452. Georgius plebanus in Dukelpuhel, 1456. Joannes Felbert 1505, et Georgius Kayser, civis Reutlingensis, qui legavit huic Domui mille florenos, et habuit missam de Beata Maria in provincia Alemaniæ Inferioris, 1524.

ACTA CAPITULI GENERALIS,

V. In Chartis utriusque Capituli generalis hoc anno, tum Bononiæ ab Urbanistis Cartusiensibus, tum Cartusiæ pro more solito a Clementinis habiti, multa occurrunt satis digna quæ hic notentur. Et primum, in Charta Cartusiæ inter mortuos signantur « R. P. ac dominus Joannes, Lemovicensis cardinalis. » Vocabatur Joannes de Cros, semper dictus Cardinalis Lemovicensis, licet episcopatum diu ante

Clementinorum.

abdicasset. « R. P. ac Dominus Guillelmus, Mimatensis cardinalis, » cognomento de Chanac, mortuus tertio calendas Januarii, anno præcedenti, non præsente ut vult Ciaconius; non enim potuisset in præfata Charta denunciari.

« Magnificus Princeps et illustris dominus Ludovicus comes Flandriæ » ; mirum certe quod in præfata Charta

Meyer, Lib. XIV.

denuntiatus sit, cum semper Urbano VI adhæserit; nisi dicamus eum anno præterito paulo ante mortem ab exercitu ex Anglia Urbani nomine adversus Gallos educto, derepente injusto bello petitum et a Carolo Francorum rege liberatum, grati animi ergo, partes Clementis secutum fuisse : licet contrarium colligi possit ex Charta Patrum Urbanistarum, in qua etiam obitus illius cum « Christianissimi Principis » titulo designatus fuit.

« Dominus Otho, sacerdos et scholasticus ecclesiæ Moguntinensis. » Hic videtur relicta sua ecclesia quæ Urbano obsequebatur, in Gallias aufugisse ac Clementem tanquam verum Papam habuisse.

Preces indicuntur pro Reverendo Patre et Ecclesia.

Porro nostrum Generalem Guillelmum Raynaldi, ad promovenda non solum Ordinis sed et Matris Ecclesiæ negotia multum desudasse, discimus ex eadem Charta quæ jubet ut « pro R. P. nostro Domno Cartusiæ qui multos sumptus, damna et labores dudum sustinuit et adhuc sustinet incessanter pro factis Romanæ Ecclesiæ et Ordinis, unde multum est afflictus, ut Deus ipsum in omnibus dignetur dirigére ac etiam confortare, dicat quilibet celebrans unam missam de B. Maria. » Et inferius : « Omnes tanquam membra de corpore capiti suo et corpori, id est Domno Cartusiæ et Capitulo generali condoleant, quorum onera propter mandata Apostolica quæ fuerunt dudum facta Domno Cartusiæ ac schismata Romanæ Ecclesiæ et Ordinis sunt gravia, et emolumentum quasi nullum quoniam a tribus annis citra nullam eleemosynam recepit Capitulum generale. Et quædam provinciæ ac nationes, quæ solebant expensas Capituli multum alleviare, et a suis Principibus et Prælatis eleemosynas procurare, ab obedientia nostra et Patris nostri Domni Cartusiæ diu est recesserunt. » Deinde preces pro schismatis extirpatione edicuntur sub hac forma : « Ordinamus quod quamdiu schisma currens duraverit, per totum Ordinem semel in die, in missa conventuali, sive de vivis sive de mortuis, statim post *Pater noster* cum Conventus responderit : *Sed libera nos a malo,* procumbentibus omnibus super formas, dicatur Psalmus *Ad te levavi oculos meos,* cum *Gloria Patri, Kyrie eleison* et precibus descriptis in secunda parte Statutorum ; sed orationes erunt : *Ecclesiæ tuæ, Prætende famulis et famulabus, Deus a quo,* et in fine, *Per Christum Dominum nostrum ;* respondebitur a Conventu : *Amen.* Tuncque Conventu super formas revertente, sacerdos dicto in silentio *Amen*, prosequetur Missam suam. Item obsecramus in Domino et monemus omnes sub nostra obe-

ANNUS 1384

dientia constitutos, ut quilibet, secundum gratiam a Deo sibi datam, jugiter et devote ad Dominum fundat preces et gemitus pro reparatione et unitate ipsius Romanæ Ecclesiæ, nostrique Ordinis ac totius populi christiani. »

Bulla Clementis VII qua Nos declarat exemptos

Absolutis his comitiis, quidam e Nostris, Curiam adeuntes Avenionensem sequentes a Clemente obtinuere Literas, quibus declarat omnes Ordinis personas, ipsos etiam Donatos, cum omnibus bonis illorum esse sub protectione Sedis apostolicæ, et eximi ab omni quacunque alia jurisdictione. « Clemens servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Licet omnia Ecclesiæ monasteria, prioratus, Domus et alia loca ecclesiastica per universum orbem diffusa Sedi apostolicæ, quæ super illis obtinet principatum, disponente Domino sint subjecta, Sedes tamen eadem nonnulla ex ipsis et personas degentes in illis aliquando specialiter sibi subdit, ea ab aliorum quorumlibet eximens potestate, ac statuens ipsa (quadam honoris prærogativa) fore libera pariter et exempta. Unde nos ad monasteria, prioratus, Domos et alia loca Cartusiensis Ordinis et personas in eis degentes, Apostolicæ considerationis intuitum convertentes, illaque volentes Apostolicis præsidiis communire et gratiis honorare condignis, ut personæ ipsæ eo libentius ministeriis divinis intendant, dictamque Sedem eo majoris devotionis promptitudine studeant revereri quo ipsæ ac eadem monasteria, prioratus, Domus et loca, majori fuerint libertate donati : universos et singulos Priores, Monachos, Conversos et Donatos dicti Ordinis qui sunt et erunt pro tempore, ac monasteria, prioratus, Domos et loca dicti Ordinis quæ nunc sunt et in posterum fuerint, ac eorum bona ubique consistentia, præsentia et futura, sub nostra et Sedis prædictæ ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum protectione suscipimus. Eaque a quorumcumque Metropolitanorum locorum, Diocesanorum et aliorum ordinariorum judicum, lege, dominio, potestate, coercitione, compulsione, censura, jurisdictione, etiam per appellationem vel alias pro quavis causa, autoritate Apostolica prorsus eximimus et totaliter liberamus ; ac Priores, monachos,

Bohic Annales manusc. II. ad an. 1384. 1.

Conversos et Donatos necnon monasteria, prioratus, Domos et loca hujusmodi nobis et Sedi præfatæ immediate subesse decernimus et etiam ordinamus. Ita quod iidem Metropolitani, Diocesani aut alii ordinarii judices, ratione delicti vel contractus seu quasi, aut rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus vel res ipsa consistat; non possint in Priores, Monachos, Conversos, Donatos, monasteria, prioratus, Domos et loca prædicta; excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias fulminare; aut quamcumque aliam jurisdictionem, dominium, potestatem, cognitionem, decisionem, coercitionem, compulsionem vel censuram quomodolibet, etiam per appellationem aut alias exercere; felicis recordationis Innocentii Papæ quarti prædecessoris nostri, et aliis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Districtius inhibentes eisdem Metropolitanis, Diocesanis, ordinariis judicibus et quibusvis aliis communiter vel divisim, ne ipsi contra tenorem præsentium aliquid attentare præsumant; ac decernentes ex nunc irritum et inane quicquid in contrarium a quocumque quavis autoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nostræ tamen intentionis existit, quod per susceptionem, exemptionem, subjectionem et ordinationem nostras hujusmodi, nullum Prioribus et aliis Præsidentibus in dicto Ordine quominus jurisdictionem eis alias in Monachos, Conversos et Donatos prædictos quomodolibet competentem in eosdem Monachos, Conversos et Donatos libere exercere valeant sicut prius, præjudicium generetur. Nulli ergo... Datum Avinione, IV Idus Junii, Pontificatus nostri anno sexto. » Hactenus Clementis codicilli.

a jurisdictione Diocesanorum.

Urbanus vero suos Cartusienses non minori benevolentia complectens, privilegiis eleemosynas addebat. Quamobrem per Chartam Capituli Bononiæ hoc anno celebrati præcipiunt Patres ut in oratione *Deus omnium fidelium pastor,* quæ singulis diebus in missa Conventuali durante schismate dicenda erat, nomen Urbani designaretur; significantque eum « centum florenos eleemosynaliter misisse Capitulo, et in-

Acta Capitularia Urbanistarum.

ANNUS 1384

super insigne privilegium Ordini concessisse videlicet absolutionis a pœna et culpa quibuscumque personis in dicto Ordine professis et qui profitebuntur, imperpetuum semel duntaxat, in articulo mortis, prout in bulla patenti seriosius continetur. Fratri vero Benedicto, Converso Ordinis defuncto, qui morabatur cum eodem Domino nostro Papa conceditur tricenarium ; et Domnum Athanasium monachum Ordinis nostri qui penes Dominum nostrum Papam residet, constituunt prædicti Ordinis Procuratorem. »

Ordinationes.

Ordinationes et dispositiones :

1. « Confirmamus et approbamus omnes et singulas Ordinationes in generali Capitulo Romæ olim celebrato factas, quæ loquuntur de fidelitate SS. Papæ Urbani VI, et de errore et schismate eorum qui sequuntur et adhærent Roberto Gebennensi antipapæ et obediunt Capitulo schismaticorum nostri Ordinis.

2. « Inhibemus expresse quod amodo in Ordine non fiant donationes præcariæ et præbendæ et ad commodum secularium cohabitantium infra septa monasterii. » Hæc inhibitio videtur facta occasione Prioris et Conventus cartusiæ Trevirensis, quos specialiter per eamdem Chartam Patres alloquuntur.

3 .« Denique ordinamus ex consensu et Diffinitione totius Capituli generalis, non obstante quacumque alia ordinatione in aliquo Capitulo facta, quod de cætero Capitulum generale fiat in loco videlicet ubi Domnus Cartusiæ residebit; ad quod Priores Alemaniæ superioris et inferioris teneantur venire de biennio in biennium, aliis vero annis veniant duo Visitatores vel duo Priores de qualibet Provincia sub expensis Provinciarum suarum.»

Monachi sine pedibus historia.

Interea quidam monachus cartusiæ Parisiensis professus, Guido de Jardino nominatus, nimia salutis suæ tentatus religione quasi inter schismaticos viveret, Bononiam versus, ubi audierat comitia Urbanistarum celebranda, confugere cœpit. In itinere ex devexo cujusdam montis latere in præcipitium delapsus, quinque dies totidemque noctes jejunans

ANNUS 1384

transegit, tandemque a prætereuntibus inter nives, totis artubus frigore obrigescentibus inventus, ad cartusiam Argentinensem deportatur; ibique pedibus præcisis, per biennium totius Ordinis sumptibus sustentatus est, de quo Charta Capituli Florentini hæc habet : « Illi præcipue charitatis et compassionis beneficia obtinere cum omni subventione merentur, qui zelo rectitudinis et amore justitiæ, non solum damna rerum sustinere, verum etiam corporis damna noverunt. Sane cum D. Guido monachus Parisiensis, de schismaticis ad unitatem Ecclesiæ se convertens, iterque faciens ad nostrum Capitulum generale, ex declivo cujusdam montis latere una cum equo suo inopinate ceciderat inter nives, et inde exire non prævalens ullo modo, mortuo equo, sub iisdem nivibus præfatus monachus per quinque dies et totidem noctes sine aliqua sumptione cibi vel potus permansit : tandem per transeuntes, Deo miserante, extracto, totaliter in membris virtus vegetativa defecerat, ut oportuerit per manus chirurgi trina vice putridos pedes crudeli sectione præscindi. Et quia quælibet Domus Ordinis hominem ita inutilem recipiens nimium gravaretur, ideo injungimus expresse omnibus et singulis Domibus Ordinis, ut anno quolibet mittant ad Capitulum generale medium florenum pro sustentatione dicti monachi, persolvendum illi Priori in cujus Domo dictus monachus permanebit. » Et in dispositione Domus Argentinensis : « Priori Domus Argentinensis non fit misericordia, et pro expensis factis pro D. Guidone monacho Parisiensi, habeat pro nunc patientiam quia in præsenti Capitulo subventiones vel eleemosinas non habuimus. In futuro tamen Capitulo, si Deus dederit, fiet ei recompensatio de præmissis. Et nihilominus volumus et ordinamus quod Domus Parisiensis cujus monachus professus præfatus Guido esse dignoscitur, reducta pace Ecclesiæ, teneatur Domui Argentinæ in dicti Guidonis expensis satisfacere, et commendamus multum humanitatem et charitatem quam Prior et Conventus dictæ Domus Argentinæ exhibuerunt præfato D. Guidoni, præceptis Domini firmiter inhærentes. »

Ex Charta 1385.

Charitas Prioris Argentinens. in eum laudatur.

ANNUS 1384

Pecunia communi Ordinis sustentatur.

Ex Charta Capituli in Domo Montelli, an. 1386.

Anno vero sequenti, ad Priorem Leodii, Picardiæ Visitatorem, mittitur in aliqua Domo cœli salubrioris collocandus : « Domnum Guidonem sine pedibus, monachum Domus Parisiensis, mittimus ad Priorem Leodii qui in aliqua Domo Alemaniæ vel Picardiæ eum collocet autoritate Capituli generalis ; injungentes expresse Priori et Conventui Domus ad quam mittetur præfatus D. Guido sine pedibus, ut ipsum recipere teneantur, et ibidem remaneat ad Ordinis voluntatem hospes. Et nihilominus injungimus omnibus et singulis Prioribus Ordinis, ut pro subsidio infirmitatis suæ semiflorenum eleemosynalem mittant anno quolibet Visitatoribus Provinciarum Ordinis, per eosdem postmodum ad Priorem Domus illius ubi præfatus D. Guido hospitabitur fideliter transmittendum tempore Capituli generalis, cum propter aerem et insueta cibaria in partibus Longobardiæ nequaquam vivere possit. »

Sic annorum duodenum spatio, communibus Domorum istius obedientiæ eleemosynis, quæ singulis annis pro eo sub nomine *Monachi sine pedibus* a quolibet Priore cogebantur, nutritus fuit; donec tandem ad Domum Parisiensem nescio quo motu reportatus, a Nostris non fuit receptus, nisi ad carcerem; cui, ex ordinatione Capituli generalis Cartusiæ anno 1398 celebrati, juxta Statutorum rigorem ad tempus nuncupatus est tanquam schismaticus, et qui propter fugam offensioni fuerat Ordini, dure fuit correptus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1385.

Urbani PP. VI Ann. 8. | Ordin. Cartus. Ann. 302. | Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 18.

I. REDEMPTORIS annus millesimus trecentesimus octuagesimus quintus, Indictione octava, sequitur, quo ad summum Pontificem Clementem VII, respectu Franciæ et aliarum Provinciarum quæ ejus obedientiæ subjectæ erant, a Patribus Cartusiensibus eidem adhærentibus querelæ delatæ sunt adversus eos qui molestiam ipsi inferebant. Audivit clementer Pontifex gemitum filiorum et accinctus est ad faciendam vindictam in hujusmodi quietis nostræ perturbatores, scribens ad eos per manus Francisci de Consiaco, episcopi Gratianopolitani sui camerarii, in ea forma quæ sequitur, juxta autographum in Domo Parci asservatum :

BULLA CLEMENTIS IN FAVOREM ORDINIS.

Annal. ms. Ordinis Cartus., Clement. Bohic.

« Franciscus miseratione divina episcopus Gratianopolitanus, Domini Papæ camerarius, universis et singulis Nunciis aliisque commissariis, collectoribus, subcollectoribus Apostolicis bonorum et jurium cameræ Apostolicæ debitorum, in quibuscumque provinciis, civitatibus et diœcesibus constitutis, salutem in Domino. Pro parte venerabilium et religiosorum virorum Prioris et Conventus Majoris Domus Cartusiæ cæterorumque Priorum et Conventuum universi dicti Ordinis, Sanctissimo Domino Papæ nostro extitit expositum, conquerendo quod licet idem Dominus noster universo Ordini supradicto concesserit et indulserit ut ipsi Priores, Conventus, monasteria, Prioratus, Domus et alia loca dicti

Extat in Repertorio Liter. Domus Parci fol. xxii.

Vide supra ad ann. 1381.

Nonobstante exemptione olim concessa,

ANNUS 1385

Ordinis ad aliqualem contributionem seu solutionem decimarum, procurationum, subsidiorum, seu impositionum quarumcumque, quocumque nomine nuncupentur, autoritate Apostolica impositarum seu imponendarum, minime teneantur; vos tamen seu aliqui vestrum, propter dictionem « Cartusiensium » et quædam alia scripta seu contenta in certis Literis apostolicis super exactione decimarum, procurationum seu subsidiorum aut impositionum prædictarum, post concessionem dicti privilegii dicto Ordini indulti, vobis seu aliquibus vestrum missis et directis, ad contributionem et solutionem ipsarum Domos et personas dicti Ordinis in diversis partibus compellere nitimini et compellitis de facto, in magnum præjudicium et dispendium dicti Ordinis et personarum ejusdem ac læsionem privilegii memorati. Quare vobis nuntiis, commissariis, collectoribus et subcollectoribus præsentibus et futuris, et vestrum cuilibet, de expresso mandato Domini nostri Papæ facto nobis super hoc oraculo vivæ vocis, scribimus et districte præcipimus et mandamus quatenus ab inquietatione et molestatione prædictis totaliter desistatis et cessetis; nec a monasteriis, Prioratibus, Domibus vel personis dicti Ordinis aliquid exigatis seu exigi faciatis de decimis, procurationibus, subsidiis seu impositionibus supradictis, vel aliis quibuscumque quocumque nomine nuncupentur, dictione « Cartusiensium » et aliis in prædictis Literis contentis, et quibuscumque aliis in contrarium facientibus nequaquam obstantibus, imo privilegio eis et dicto Ordini indulto ipsos uti et gaudere permittatis pacifice et quiete : nam de intentione dicti Domini nostri Papæ non existit nec unquam fuit, quod ab Ordine prædicto seu ejus membris vel personis aliquid de impositis seu imponendis exigatur. Et si quos forsan processus, monitiones seu sententias contra personas dicti Ordinis seu earum aliquot fecistis seu promulgastis occasione prædicta, tollatis et amoveatis; quos et quas nos etiam de mandato quo supra tollimus et amovemus, et ad pristinum statum, si quid contra dictum privilegium per vos vel alterum vestrum attentatum fuerit,

Collectores apostolicæ Sedis decimas a Nostris exigebant,

de quo eis iterum interdicit Pontifex.

reducimus per præsentes. Mandamus insuper quod si qui vel aliquis vestrum aliquid ab eis vel ab altero eorum receperitis de decimis, procurationibus, subsidiis seu impositionibus supradictis post indultum privilegium supradictum, illud quod vos recipere contigit, illis seu illi a quo vel a quibus recepistis, de mandato quo supra indilate restituere curetis ; taliter quod dicto Domino nostro in sui displicentiam vel nobis pro parte dicti Ordinis non referatur querela. Datum Avinione anno a Nativitate Domini MCCCLXXXV, Indictione VIII, Pontificatus Summi Domini Clementis anno VII. »

Clemens se precibus Ordinis commendat.

His patentibus bullis privatas videtur Clemens adjecisse, quibus petiit sive rogando jussit ut consuetis orationibus, quæ pro eo per totum Ordinem fundebantur, aliæ adderentur ; quamobrem per Chartam capitularem indicunt Patres ut pro summo Pontifice « qui se multum recommendavit Ordini, dicant sacerdotes duas Missas, unam de Spiritu Sancto et alteram de B. Virgine. Et pro eodem sanctissimo Patre Clemente septimo et pro reformatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et totius populi Christiani miserabiliter lacessiti et discissi, fiat in qualibet Domo tricenarium de Spiritu Sancto. Et fiant et dicantur in missis conventualibus et aliis divinis Officiis pro schismate currente preces et alia suffragia quæ anno proxime præterito fuerunt ordinata. »

Quorumdam amicorum Ordinis obitus.

Histor. Neapol. Lib. V.

Deinde inter obitus hujus Chartæ reperitur : « Potens et illustris dominus Ludovicus de Francia, rex Jerusalem et Siciliæ, dux Andegavensis et Calabriæ, » quem omnes Autores conveniunt obiisse in Septembri ; sed quidam hunc annum designant, quidam (inter quos Collenutius) superiorem et quidem melius : nam si præsenti anno obiisset non potuisset denuntiari in Charta. Ejus uxor in eadem Charta commendatur cum Ludovico filio, qui etiam ibidem dicitur Rex Jerusalem et Siciliæ, sicut et in Charta anni sequentis in qua cum eadem matre sua habet tricenarium de Spiritu Sancto. Eleonora quoque Petri regis Aragoniæ uxor mortua recensetur his verbis : « Attentis multis beneficiis et eleemosynis

ANNUS 1385

Capitulo generali et Domui Cartusiæ per Dominum Regem Aragoniæ factis, concedimus Dominæ illustrissimæ Alionoræ reginæ quondam Aragoniæ plenum monachatum, cujus anniversarium singulis annis celebrandum scribatur sub 20 Aprilis. » Et præterea in eadem Charta et sequenti « pro ipso Domino Rege Aragonum et filiis ejus, et pro omnibus principibus et Prælatis et aliis quibuscumque sub obedientia Domini nostri Papæ Clementis constitutis et adhærentibus, fiat tricenarium de Spiritu Sancto. » Ex his et ex illius obitu qui signatur in Charta Capituli generalis Cartusiæ celebrati, posset quis probare eum non semper neutralitatem tenuisse nec in ea obiisse ut quidam affirmant. Filii Regis superius commendati, hi erant : Joannes primogenitus ut regni immediatus successor, et Martinus tunc comes de Exerica*.

* *al.* Xerico vel Xericio.

INITIA CARTUSIÆ VALLIS CHRISTI.

Jos. de Valles, in fundatione Vallis Christi, p. 191.

II. Hic alter Petri filius, Bernardum Zafabrega piissimum cartusiæ Scalæ Dei monachum, sui quondam patris ephebum honorarium, singulari prosequebatur benevolentia; cujus et aliorum ejusdem Domus Patrum sanctis colloquiis mirifice captus, dies integros ibidem transigebat. Ex hac frequenti consuetudine crevit in nos Principis amor, cumque ei aliquando dormienti horrifica Vallis Josaphat ac judicandorum in ultimo Dei judicio hominum objecta fuisset imago, expergefactus præ timore, paulatim redeunte animo, cartusiam divini Numinis placandi gratia quantocius se constructurum vovit. Nec mora, obtentis a Rege patre, a Clemente VII summo Pontifice, necnon a Guillelmo Majoris Cartusiæ Priore necessariis licentiis, locum quem peregrinus qui Terram Sanctam peragraverat Valli Josaphat satis similem esse affirmabat, in Patrum domicilium designavit. Vallis est in regno Valentiæ, pulchra, amœna, spatiosa, quam cingunt undique montes, alterna sese in æqualitate in modum coronæ attollentes. Recessit a civitate episcopali Segobrica in partem australem unum fere milliare, et ab oppido de Altura circa occasum solstitialem posito quingentos circiter passus. Eo in loco Princeps inclytus Domum quam ideo Vallem Christi voluit appellari, hoc anno auspicatus est ut discimus

Alfaura, Origin. Cartusiarum, n. CXI.

ANNUS
1385

Fundationis Instrumentum.

Ex archiv. Vallis Christi.

ex Literis dotalibus, in quibus inter cætera sic loquitur : « Nos Infans Martinus, illustrissimi Domini Petri regis Aragonum filius, et Dei gratia comes de Exerica et de Luna, ac Dominus civitatis Sugurbii, attendentes quod solum ex perpetuo acquiruntur quæ ad laudem et honorem Regis Altissimi piis operibus et affectionibus largiuntur ; contemplantes divinam majestatem, ut meritis et gratia Passionis Domini nostri Jesu Christi valeamus nobis paradisi cibaria præparari ; cupientesque ædificare ædificium in terris, quod nobis præparet habitaculum in cœlis ; divino flamine moti et inducti, de et pro fundatione et constructione monasterii cujusdam Ordinis Cartusiensis, quod sub nomine *Vallis Jesu Christi* ædificari cupimus in termino loci nostri de Altura, ob magnam devotionem quam ad dictum Ordinem gerimus et habemus : gratis et ex certa scientia.... damus eidem monasterio Vallis Jesu Christi, et ejus Conventui et suis Monachis ad imperpetuum... primo unam mansatam cum certis pratis et possessionibus cultis et incultis, in quibus ædificari debet Domus seu monasterium prædictum. Item quamdam vineam, quasdam domos, quemdam trocium terræ et multas alias possessiones ibidem designatas. Promittentes in nostra bona fide, ac etiam jurantes per Dominum Deum et ejus sancta quatuor Evangelia corporaliter per nos tacta, prædictam donationem et omnia et singula ipsa contenta tenere et observare, attendere et complere, et nunquam contra facere vel venire aliqua causa vel ratione, mandantes firmiter et expresse procuratori nostro generali in regno Valentiæ, expensori nostro et bajulo et alcaido dicti loci de Altura, aliisque nostris officialibus, quatenus donationem et omnia alia supradicta teneant firmiter et observent, etc. Actum est hoc in sede civitatis Sugurbii, die 18 Martii 1385. Testes sunt Joannes episcopus de Bonavoya, F. Petrus episcopus de Quesamen(?), Franciscus de Mora archidiaconus, Martinus Lalidana thesaurarius, et Dominicus Rosello operarius sedis Sugurbicensis ; nobilis Berengarius de Vilariacuto majordomus, Bernardus de Tohus, Manciel de Entenea et

Filius Regis Aragonum, Infans Martinus fundator.

ANNUS 1385

Andreas Martin de Vallterra milites, prædicti Domini Infantis consiliarii. »

Donationem accipit Ordo noster.

Ipsa dati diplomatis die, quæ fuit vigilia Dominicæ Passionis, Simon de Castellet et Joannes Berga, Priores Portæ Cœli et Scalæ Dei, in ecclesia Segobricensi constituti, adstantibus Infante institutore, Enecone (sive Innico) de Vallterra Tarraconensi archiepiscopo, Segobricensi et Oscensi Præsulibus, multisque aliis proceribus, donationem ipsam nomine Ordinis acceperunt. Tertia vero Pentecostes feria ejusdem anni, accitos e Scala-Dei ad Portam-Cœli Arnoldum Arduegni, Joannem Fernandum, Franciscum Saplana, et Bernardum Zafabrega fundatori intimum, monachos sacerdotes, cum duobus Conversis Guillelmo de Espuch et Antonio Saplana, ipse Martinus Infans ibidem excipiens, ad novam gratulabundus deduxit plantationem quam anno sequenti Patres in Domum Ordinis adscripsere his verbis : « Incorporamus Ordini fundationem novam illustris Principis domini Infantis Martini, Domini Regis Aragonum filii, quam Vallem Jesu Christi decernimus nuncupandam, et Domnum de Berga Rectorem modernum præficimus in Priorem ejusdem Domus. » Posthac multa beneficia prioribus adjecit liberalis Princeps, qui priori etiam hujus Domus appellationi nomen Dei Genitricis addi voluit, in quodam decernens diplomate, ut ea ex impositione novi nominis de cætero monasterium *Beatæ Mariæ Vallis Jesu Christi* perpetuis temporibus nominaretur. Si quid gravissimi contingebat negotii, ad suam divertens cartusiam, Monachos sibi apud Deum in patronos adsciscebat, eorum precibus divinam Majestatem exorari ratus. Josephus de Valles, Tarraconensis Canonicus, in Historia fundationis hujus Domus rem narrat plane mirabilem, qua patet quanta fuerit pii Infantis in Cartusiensium orationibus fiducia. Anno 1393, in Siciliam cum exercitu trajiciens, exorta repente atroci tempestate, ventisque adeo sævientibus ut nihil ante omnium oculos nisi præsens ac miserandum versaretur naufragium, quota esset hora Princeps percontatur; quopiam mediæ noctis respondente,

Primi Domus incolæ.

Valles, ut supra.

Ex Charta 1386.

Precibus Monachorum valde confidit Fundator.

subjunxit contenta voce : Macte animis, socii carissimi, nihil est cur contremiscamus, quandoquidem Vallis Christi synascetæ mei hoc ipso temporis articulo pro nobis cœlum pulsant suis precibus. Vix talia plenus spe protulerat, cum statim fit tranquillitas, non secus ac si ventis marique imperasset. Factus post mortem patris et fratris Rex Aragoniæ, auctus divitiis et potestate, suam quoque erga Nos munificentiam amplificavit ut suis videbimus locis.

ANNUS 1385

Maria, Lupi comitis Lunæ filia et hæres, nostri fundatoris uxor, mariti sui liberalitatis æmula, sub ipso Patrum in hanc Domum ingressu, fundationem auxit donatione quorumdam redituum super aliama * Sarracenorum civitatis Sugurbii, concessorum per cartam in villa Liviæ datam secunda die mensis Maii hujus præsentis anni. His reditibus, tria millia solidorum annui ac perpetui census pia mulier addidit anno 1387, unde post mortem (quam appetiit anno 1406) plenum meruit monachatum sub die 29 Decembris.

* Templum, *gallice* mosquée.

Porro ut nihil ad stabiliendam novæ Domus dotem desideraretur, rogavit Infans fundator Regem patrem ut vellet cum eo fundatoris nomen communicare, quod non respuens Rex, cuncta ab Infante acta et data regia roboravit autoritate, scripto sequenti diplomate : « In Dei nomine et beatæ Virginis Mariæ ejus matris, et omnium civium supernorum. Pateat universis quod nos Petrus, Dei gratia rex Aragonum, Valentiæ, Majoricensis, Sardiniæ et Corciæ, comesque Barcinonæ, Rosilionis et Seritanæ, proinde attendentes quod, cum ab adolescentia prona sit natura hominis ad peccandum et diversis inquinamentis obnoxia vitiorum, paravit nobis clementia Creatoris opera charitatis per quæ nostros possemus delere reatus, et ad vitam æternam gloriosius pervenire : inde est quod nobis semper persuadere intendimus quæ nobis magis expedire ac Deo magis grata cognoscimus et accepta ; quam gratum ergo et quam placibile Deo sit orationis ædificare Domum et ipsam condecentibus reditibus præmunire, ut Fratres ibi Altissimo servientes vitam sustentare possint eorum : quam-

Rex Aragonum Cofundator.

Molin. Histor. Cartusiana ms. p. 674.

ANNUS 1385

Domum orationis ædificare, quam proficuum.

obrem, ob devotionem quam ad Ordinem Cartusiensem a multo citra tempore gerimus, scientes quod inclytus Infans Martinus, natus noster carissimus, comes de Xerico et de Luna et Dominus civitatis Sugurbii, obtinuit concessionem a Venerabili fratre Guillelmo Priore Cartusiæ construendi et ædificandi unum monasterium Ordinis supradicti ; tenore præsentis publici Instrumenti sive privilegii perpetuo valituri, consentiente et approbante dicto Infante Martino, instituimus, construximus et fundavimus Domum seu monasterium quoddam Ordinis prælibati, in loco videlicet nuncupato vulgariter Caïrones, sito in area loci de Reura, Segobricensis diœcesis, qui est prædicti Infantis. Quæ quidem Domus seu monasterium Vallis Jesu Christi ex nunc omni tempore nuncupetur et volumus nuncupari, ad instar et devotam memoriam illius vallis sanctissimæ Josaphat, in qua indubitanter atque fideliter credimus Dominum Jesum Christum personaliter super nubem candidam, in die Judicii cum Angelorum et Beatorum multitudine apparere, ut pro bonis gratia Dei factis et omnimode faciendis per nos, ad dexteram collocari nos faciat cum Beatis. Et pro vita et sustentatione Monachorum et Fratrum qui nunc sunt et erunt pro tempore in monasterio ipso, concedimus et donamus ac devote offerimus omnipotenti Deo et monasterio supradicto et ejus Conventui perpetuo, donatione pura, perpetua et irrevocabili inter vivos duo millia solidorum regalium Valentiæ. Donamus et molendinum dictæ villæ de Xericio... Quod est actum et datum Barchinonæ, die septima Januarii 1386. »

Joannes frater Martini fundationem confirmat.

Joannes quoque Regis primogenitus, fratris Martini fundationem ratam habuit, scriptis paulo ante ad illius instantiam sequentibus Literis : « Nos Infans Joannes, serenissimi Domini Regis primogenitus, ejusque regnorum et terrarum generalis gubernator, votis Deo placitis quæ vos inclytus Infans Martinus, comes de Exerica et de Luna, frater noster carissimus, geritis circa novam ædificationem et constructionem monasterii Vallis Christi ad laudem Altissimi et animæ vestræ salutem ; dare locum et operam in hac parte

ANNUS 1385

vestris quidem intercessibus cupientes, tenore præsentis cunctis valituri temporibus, donationem, concessionem, et assignationem perpetuo faciendas per vos, aut forte jam factas sub spe hujusmodi licentiæ nostræ dicto monasterio de duobus mille solidis regalium, etc., gratas habemus pariter et acceptas, etc. Datum 23 Augusti, anno 1385. » Sic subscriptum : « Primogenitus » ; sicut et in aliis datis Cæsaraugustæ anno sequenti, die 28 Aprilis, in quibus dicitur Dux Gerundæ et Comes Cervariæ. Multa etiam post adeptum regnum novæ Domui imo et toti Ordini contulit, ut alibi videbimus.

Benefactores Domus.

Ex amicis et benefactoribus hujus Domus hos reperimus in Chartis capitularibus : R. D. magistrum Antonium Bonis anno 1462. Catharinam Bon 1476. Jacobum Stephani 1506. Illustrissimam dominam Yomar, ducissam Segorbii 1517. Henricum Infantem Aragonum, ducemque Segorbii 1523. Franciscum Tharreza celebrem Doctorem, qui habuit anniversarium per totum Ordinem sub 21 Februarii 1597. Josephum Stephanum episcopum Oriolanum 1608. Petrum Martinum vicinum villæ de Xerico, habentem missam de B. Maria in Domibus Hispaniæ 1614. Philippum Tronchon, civem Valentinum 1623.

CAPITULUM CLEMENTINORUM.

III. Interea coguntur comitia generalia in Majori Cartusia, ibique inter cætera præcipitur ut « pro R. Patre Domino Cardinali Pampilonensi, magno et specialissimo benefactore Ordinis qui infirmatur, dicant celebrantes unam missam de Beata Maria, etc. » Hic erat Petrus de Monte Ruco, alter fundator Domus Villænovæ quam avunculum ejus Innocentium Papam VI a fundamentis erexisse diximus anno hujus seculi quinquagesimo sexto; sacellum in quo humatus est, claustrum superius, cellulæ aliaque plura ædificia sumptibus ejus constructa sunt. His adjecit palatium suum apud Avenionem, Domum in oppido de Roquemort, fundum quoque, vineas ; multosque reditus annuos contulit præter decem millia et amplius florenorum aureorum quæ semel iterumque largitus est. Cumque demum Nostros hæredes ex triente scri-

ANNUS
1385

psisset, prædictorum omnium liberationem a caduco sive amortizationem a Carolo V rege Francorum obtinuit. Unde non immerito secundi fundatoris nomen habet, quod ei per Chartam anni sequentis attributum legimus : « Obiit R. P. Dominus Petrus de Monte Ruco, titulo S. Anastasiæ, aliter Pampilonensis presbyter Cardinalis, qui fuit promotor Ordinis singularis et fundator secundus conventus Vallis benedictionis, habens plenum monachatum sub die penultima Maii, » quo decesserat hoc præsenti anno, ut etiam constat ex necrologio Domus, licet dies ultima signetur in illius epitaphio recentiori, quod nos hic subjiciendum duximus, tanquam ipsius laudum epitomen complectens : « Hic jacet R. in Christo P. ac Dom. Petrus cardinalis Pampilonensis, secundus fundator hujus Domus Vallis benedictionis, nepos Papæ Innocentii VI, qui fuit amator ac defensor pauperum, orphanorum ac viduarum, necnon Religiosorum Ordinum præcipue Cartusianorum, et obiit anno Domini 1385, ultima Maii. » Petrus Frizonius distinguit Petrum cardinalem S. Anastasiæ a Petro cardinali Pampilonensi, sed unus idemque fuisse probatur ex citatæ Chartæ verbis ubi dicitur « Cardinalis S. Anastasiæ, aliter Pampilonensis. »

Obitus Cardinalis de Monte Ruco denuntiatur.

Frizon, in Vita Greg. XI.

Nihil in his comitiis de schismate actum est præter orationes renovatas, sed illustre sui circa observantiam studii monumentum Patres reliquerunt, declarantes « Priorem Vallis Paradisi prope Terraciam fore absolutum ab officio Prioratus, quia permisit, non resistendo, Infantem Martinum (fundatorem Vallis Christi) et Dominam consortem ejus, cum familia et comitiva eorum, intrare cum aliis Dominabus et comedere carnes in Domo sua. Habilitamus tamen ipsum, et cum eo dispensamus ac rursus præficimus eum in Priorem dictæ Domus ; clementius cum eo agentes quia culpam suam clamavit coram Capitulo, sed dicat duas Missas et sit extra sedem suam quindecim diebus. »

Prior qui Reginam permisit monasterium intrare absolvitur.

Deinde decernunt ut « ad sequens Capitulum generale non veniant nisi Visitatores Provinciarum expensis ipsorum, qui portent negotia sua et aliarum Domorum ut sibi prædictum

Capitulum possit respondere. Et qui propter guerras et alia discrimina non possint venire, mittant ipsi Visitatores (scilicet de qualibet Provincia, qui prout supra non potuerint venire) unum nuntium tantum, sive Conversum sive famulum discretum, qui habebit literas et negotia Ordinis ipsi Capitulo congruo tempore præsentare, et inde responsa per ipsum Capitulum reportare. »

URBANISTARUM DECRETA.

IV. Juxta decretum Capituli generalis anno superiori Bononiæ habiti Patres Urbanistæ, præsenti anno in Domo Florentiæ ubi residebat eorum Minister Generalis congregati, post injunctas preces, et repetita contra non adhærentes Urbano decreta, minas et censuras, « confirmant omnium Domorum Ordinis licentias ante schismatis interventum ab antiqua Cartusia concessas et Capitulo Generali scriptas, præter illas quas aperte reprobarant. » Siquidem anno superiori sancitum fuerat quod « quæcumque persona Ordinis, sive esset Prælatus sive subditus, haberet licentias generales sive speciales pro se vel Domo sua a Capitulo generali vel a Priore Cartusiæ concessas ante schisma, eas mitteret ad sequens Capitulum confirmandas, alioquin ex nunc prout ex tunc dictæ licentiæ irritæ et inanes declarantur. »

Procurator generalis, D. Athanasius, exauctoratus,

Deinde Athanasium professum cartusiæ Neapolitanæ et Procuratorem Ordinis generalem apud Sedem apostolicam creatum, sua nobilitate et maxima qua apud Urbanum pollebat autoritate nimium confidentem ac potestate sibi per ultimum generale Capitulum facta abutentem, dure corripiunt et ni resipiscat omnium beneficiorum Ordinis privationem et ab eo expulsionem minantur ; quod quidem Urbano consentiente et exhortante Nostri videntur pronuntiasse, ut ex sequenti decreto apparet : « Procurator Ordinis in Romana Curia est D. Robertus, monachus Domus sancti Martini prope Neapolim. Et quia D. Athanasius cartusiæ Neapolitanæ monachus, in sua contumacia obfirmato animo perstans, salutariaque summi Pontificis aspernatus monita et Ordinis disciplinam, non ad bonam frugem se recipit, sciat se omni beneficio Ordinis privatum, atque tandem

ANNUS
1385

loco Ordineque ipso, summo annuente Pontifice, dejectum. »

Hujus monachi meminit autor Vitæ B. Stephani Maconi tunc cartusiæ Pontinianæ præfecti, cujus precibus et adhortationibus Athanasium a soluta vitæ disciplina ad bonam perfectamque frugem divinitus traductum his narrat verbis : « Romæ tunc agebat Athanasius quidam cartusiæ Neapolitanæ monachus, vir summo loco natus, et quod pluris erat, egregiis a natura et industria instructus muneribus. Is igitur adeo gratiosus apud Pontificem Urbanum erat, ut eum opportune gradum fecisse ad honestissimam sibi dignitatem parandum sui propinqui putarent, nisi ipse sibi offuisset... Quoniam prava animi affectione ductus, quorumdam maxime virorum Principum fretus autoritate et potentia, non optime eximia illa animi bona et quasi talenta collocabat interdum. » Deinde refert quomodo a Patribus Ordinis graviter increpatus, nostrum Stephanum (suadente sibi Christophoro Magianæ Domus Priore, Romæ per id tempus moram trahente) adierit ; subditque : « Ut primum enim in beati viri Stephani ruit amplexus, tanta repente in eo aspiciendo voluptate animi perfundi se sensit, quantam nunquam antea se fatebatur expertum..... Ergo captus mirabiliter Stephani sanctimonia, et priorem deponere perversæ mentis pertinaciam, et ad bonam frugem se recipere animum induxit. Quem optima consilia capere cogitantem non mediocriter juvit id quod contigit, exoratæ divinæ Mentis ac subsequentis gratiæ clarum indicium, eodem Stephano Sacris operante. Cui B. Patri in abditissima illa Eucharistiæ mysteria sese effundenti, in mentem venit lacrymis madido Athanasii statum Christo præsenti quam ardentissimis precibus commendare ; nec irrita missa obsecratio. Exauditas enim Stephani preces ab ipso, quem tremebundus manibus tractabat, generis humani Salvatore, Athanasius ipse qui sacrificanti intererat admiranter expressit, quando in salutarem fletum erumpens, ostendit valde compunctus pii sacerdotis lacrymis emollitam fuisse sui pectoris duritiam ; et ex animo anteactæ vitæ noxas continuo detestatus, re sacra peracta, misericor-

Vita Steph. Maconi, Lib. II, cap. 9.

ad meliorem frugem convertitur prece Stephani.

ANNUS 1385

dem flaminem sacrificali adhuc decorum habitu gemebundus convenit, atque ejus pedibus toto corpore præ metu ac reverentia contremiscens provolvitur; nullum tum loquebatur verbum, nullam edebat vocem. Quem Stephanus peramanter amplexus jubet bono esse animo, eoque lubentius quod cœlesti Patri tuam non ignoro, aiebat, salutem esse cordi, modo apud te statuas laudabiliorem vivendi modum in posterum tempus inire, qui sit ex Ordinis disciplina. Quibus transactis Athanasius in spem erectus Divinæ impetrandæ veniæ, omnia pollicetur quæ ab eo sibi fuerint imperata, atque dehinc ad nutum arbitriumque Stephani totum se fingens, novos induit mores; et qui fuerat modo cæteris offensioni, fit repente cultu virtutum admirationi, pariter et exemplo. Quem igitur flectere non potuerunt vel monita summi Pontificis, vel Patrum consilia, vel denique metus terrorque pœnarum censorio ex Ordinis decreto, flexit per unius Stephani sanctimoniam Deus, adeo in ingratissimum quemquem effundit maximæ suæ Clementiæ thesauros. Hæc ut Pontifex Urbanus audivit non mediocriter affectus est gaudio pro sua in Athanasium benevolentia. »

Propter guerras conventus dividuntur in Germania.

Cum in his comitiis Patres audivissent Anglos milites irruptionem in Germaniam Inferiorem minitari, « Visitatoribus committunt ut in casu necessitatis, imminentibus periculosis guerris Domibus contrariis, possint conventus maxime Domorum Trevirensis et Ruremundensis dividere per alias Domos Ordinis, vel aliter disponere prout eis secundum Deum videbitur expedire. » Britonibus itaque (ut habet ms. codex) circa S. Joannis Baptistæ natalem in diœcesim Trevirensem effusis, vastitatemque rebus omnibus inferentibus, nostri Trevirenses præfata licentia necessario usi, solitudine sua relicta, ab archiepiscopo Cunone benigne invitati in archiepiscopium per aliquod tempus se recepere Ruremundenses vero non videntur tunc loco movisse, sed postea Guillelmo Juliaco Gelriæ duce Joannæ Wenceslai Brabantiæ ducis viduæ bellum ob veteres querelas indicente, Nostri per quindecim annos continuo metu perculsi rursus conventus

Manuscript. Domus Trevirensis.

ANNUS
1385

Ex Chartis ab anno 1385 ad 1400.

Chronic. Lib. V, cap. 20.

sui divisionem non semel petere coacti sunt, licet a Duce protegerentur contra milites quibus aliquando Cartusiensium cibaria rapientibus jussit Dux omnia restitui. Cumque quidam e prædonibus vas vini sibi reservasset, illud plaustro vectum ad januam suæ Domus non sine miraculo amisit. Rem sic lepide narrat Dorlandus : « Olim accidit (ut scriptum reperi) quod viri militares Ducis Juliacensis, vina quæ Procurator Domus nostræ Ruremundæ Fratribus infirmis coemerat duratura in annos plurimos, prædones ad se raperent suisque usibus manciparent. Movit Procurator querimoniam Duci, supplicans sibi vina restitui. Mandat Dux ocyus ut restituantur. Verum is qui hujus mali caput extiterat, pressus Ducis imperio, vina reddidit ; uno tamen retento vase quod dulciori vino et suaviori plenum erat : hoc namque sibi et uxori prægnanti statuit reservandum. Adducitur vas plaustro vectum ad januam prædatoris. Agnoscens uxor, referente marito, optima vina præ foribus esse, læta jubet ocyus sibi inde propinari ut appetitum satiaret suum. Accessit unus ut hauriret, mirabile dictu ! Statim ut homo vas attigit, quod fortissimis tunc erat vinculis colligatum, ita subito vincula ejus nexusque omnes dirupti sunt, ac si asciis aut securibus scinderentur. Repente tabulæ omnes dissiliunt, et vinum quod in longos usus prædator aptaverat, magno profluvio decurrit in terram. Sic cassata est rapina maligni, et nihil invenit qui sibi plurimum visus est acquisisse. Fiunt hæc nota civibus, et tota civitas admirans gratulatur Dominum pro suis famulis Cartusiensibus depugnasse. Hinc in majori reverentia et honore Fratres ipsi deinceps sunt habiti. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1386.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 9.	Ann. 303.	Ann. 20.

PRIVILEGIUM ALTARIS PORTATILIS A CLEMENTE NOSTRIS CONCEDITUR.

I. ANNO millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, Indictione nona, Clemens Pontifex « qui seipsum, ut habet Charta hujus anni, et statum Ecclesiæ instanter et humiliter recommendaverat Ordini, » magis ac magis de nostro Ordine bene mereri studens, hoc ei privilegium donavit quod Bohicius noster e tabulario Parci erutum suis Annalibus inseruit ut sequitur : « Clemens, etc.., dilectis filiis Cartusiæ et universis aliis Domorum Ordinis Cartusiensis Prioribus et Fratribus sub obedientia et devotione nostra et Romanæ Ecclesiæ persistentibus, præsentibus et futuris, salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur ut petitiones vestras quantum cum Deo possumus ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut ubicumque (in locis tamen congruis et honestis) extra loca et oratoria vestra cum altari portatili Missas et alia divina Officia celebrare, absque juris parochialis ecclesiæ præjudicio valeatis, quibuscumque constitutionibus Apostolicis ac Statutis et consuetudinibus Ordinis vestri Cartusiensis contrariis non obstantibus, vobis et cuilibet vestrum tenore præsentium de speciali gratia licentiam elargimur, etc. Datum Avinione, II Nonas Junii, Pontificatus nostri anno octavo. »

Annales Ordin. Cartus. ms. ad hunc annum.

II. Urbanus vero non minus propense in suos Cartusienses

ANNUS
1386

NECESSITATES CAPITULI GENER. SUBLEVAT URBANUS.

animatus, non Ordinem modo benignis condecoravit Indultis et munivit privilegiis, Angelo cardinali Acciaiolo nostrorum amantissimo deprecante, verum etiam annuum quingentorum florenorum congiarium Patribus in generalibus coactis comitiis ex ærario Pontificio quotquot annis ultro persolvendum mandavit, schismatis duntaxat insania grassante; certior factus benignus Pontifex quibus premerentur angustiis in generali de more cogendo Cœtu intra fines Italiæ, exitioso bello per eos dies maxime flagrante. Quamobrem per Chartam Capituli apud cartusiam Montelli hoc anno celebrati, preces juxta consuetudinem indicuntur « pro beatissimo Papa Urbano VI qui pergrandem gratiam nostro Capitulo generali solita benignitate concessit, quingentos videlicet florenos annuatim pro necessariis expensis fiendis in dicto Capitulo, durante duntaxat schismate. » Et quia anno superiori Franciscus Prignanus, Urbani nepos, Princeps Capuæ nominatus, in carcerem a rege Neapolis Carolo trusus fuerat, preces quoque singulares ordinantur « ut Deus liberet eum de manibus hostium, restituatque in pristinam dignitatem et gradum. » Quæ etiam repetuntur anno sequenti, et post suam dimissionem ad obitum patrui, his verbis commendatur : « Pro domino Principe, nepote Domini nostri Papæ, quod Deus det sibi prosperitatem, fiat tricenarium de Spiritu Sancto. » Sed ipse ob res adversas sibi consciscere necem conatus, curatusque e vulnere, tandem una cum matre et prole universa, Venetias navigaturus, homo inutilis et libidinosus mari mersus est, divino judicio vindictam in reliquiis Urbani exercente.

Vita Stephan. Maconi, Lib. II, cap. 9.

Gobelinus Persona, Cosmodr. Ætat. VI., cap. 78.

Raynald. ad ann. 1395, n. 16.

H. Meibom, append. ad Cosmodrom. Gobelini.

URBANISTARUM ORDINATIONES CAPITULARES.

III. In comitiis Majoris Cartusiæ, nihil hoc anno singulare aut notatu dignum sancitum est. Patres vero Urbanistæ intenta jam antea in Clementinos maledicta atque ecclesiasticas censuras solito decreto restaurant, multaque ad tuendam regularem observantiam tum generaliter tum peculiariter disponunt.

Et primum : « Ordinamus, inquiunt, quod in Provinciis Alemaniæ Superioris et Inferioris nullus de cætero recipiatur

ANNUS 1386

ad Ordinem, qui antea professus fuit in Ordine Cisterciensi vel etiam Præmonstratensi, sine Capituli generalis vel Domni Cartusiæ licentia speciali. » Quod quidem anno sequenti extenditur ad omnes Ordines, sed in Provincia Alemaniæ Inferioris tantum.

« Quando communicant Conversi ex ordine, Conventus stat in choro, nudatis capitibus, versa facie ad Altare. » Jam olim hæc ita fuerant disposita.

« Priori Argentinæ conceditur quod D. Unricum (ex alio Ordine ad nostrum translatum ut verisimile est) possit licite promovere ad officia Ordinis, Prioratu excepto ; et scribat Capitulo generali sequenti qualiter præfatus Unricus se in suis gestis habuit circa fidem Domini Papæ.

« Priori Herbipolensi injungitur ut citius quam commode poterit ad novam plantationem Horti Christi se personaliter conferat cum socio quem duxerit eligendum, et ibi terminos assignet minores et majores ; et alia ordinet et constituat quæ secundum Deum et nostri Ordinis propositum in novis Domibus sunt necessario ordinanda.

Lex abstinentiæ a carnibus egregie vindicatur.

« Priori Portæ B. Mariæ fit misericordia. Et quia non fecit debitum suum, videlicet prohibendo vel saltem aliquam aspernentiam resistentiæ faciendo, ne mulieres intrent monasterium, et ne carnes non solum infra septa monasterii, verum etiam in Monachorum cellis et refectorio comederentur, secundum quod in nostris Constitutionibus seriosius continetur : ordinamus et volumus quod ad Prioratus officium de cætero eligi nequaquam possit sine Capituli generalis licentia speciali, et remaneat in dicta Domo ad Ordinis voluntatem. Et quia Conventus ejusdem Domus particeps in hujusmodi transgressione fuisse dignoscitur, quod evidenter apparet quia nullus ipsorum ausus fuit Visitatoribus revelare, adjicientes peccatum peccato in accusando Priorem Capitulo generali ; ideo præfatum Conventum eligendi ac vocis potestate privamus, et bini (hoc est duo post alios duos) successive per ordinem, in refectorio ad terram, super asserem nudum, uno die comedere sine pitantia teneantur.

ANNUS 1386

Monentes insuper et injungentes Priori qui pro tempore fuerit et Conventui, ut in re simili apponere omnem diligentiam studeant, et facere debitum suum sicut quod nobis præcipitur in Statutis, ne hujusmodi talia in dicta Domo de cætero perpetrentur. Credimus enim Barones de Meyssaw (ejusdem Domus fundatores) recipere bonam ædificationem ab omnibus, si hujusmodi rigor et honestas Ordinis ostendatur. Et præfirmamus in Priorem dictæ Domus Domnum Michaelem, monachum Domus Pragæ.

« Priori Bellævallis in Anglia conceditur quod possit recipere dominum Adam clericum Regis Angliæ ad Ordinem. » Cognominabatur Horkes; cujus obitus signatur in Charta anni 1424.

« Omnibus et singulis Prioribus in Hungaria injungitur quod omnia facta Domorum suarum et personarum Ordinis reformatione seu salubri ordinatione indigentia, quantocius poterunt studeant Domno Cartusiæ intimare.

« Denique notum facimus omnibus et singulis Prioribus Ordinis, quod præfatus Pater Domnus Cartusiæ pro isto anno versus Domum Vallis omnium Sanctorum prope Viennam nostri Ordinis intendit personaliter se conferre, ubi proximum futurum generale Capitulum celebrabitur divina gratia concedente. »

D. ELIAS PRIOR PARISIENSIS MORITUR.

IV. Hoc anno die 7 Octobris vivere desiit Helias professus et Prior Vallis viridis, qui cum prius præesset Fonti B. Mariæ adeo Principibus Valesiis erat charus, ut propter eorum reverentiam prohibuerint Patres per Chartam anni 1384 ne posset eligi in Priorem Domus suæ professionis absque licentia Capituli generalis. Eodem tamen anno (scilicet 1384) autoritate Prioris Cartusiæ ad regimen Parisiense translatus, Domus Rothomagensis fundationem Ordinis nomine accepit. Sæpe fuit Visitator ac Diffinitor Capituli generalis, et maxime anno 1380 quo Universitatem Parisiensem imitatus, Clementis partes plenis comitiis tuitus est. In rebus Ordinis agendis, prudentiæ simul ac singularis religionis semper præbuit argumenta. Paulo ante ejus obitum, ad illius renun-

Histor. Univérsit. Parisiens. sect. VI, pag. 614.

ciationem Statuta pro Collegio de Hubanto, vulgo *de l'Ave Maria,* in Academia Parisiensi condita sunt. Ejus obitus cum pleno monachatu recensetur in Charta anni sequentis.

ANNUS 1386

Eodem quoque anno pie in Christo obdormivit Gerardus Petrarcha, Clericus Redditus Domus Montis Rivii.

CAPELLA MORTUORUM FUNDATUR,

V. Exeunte hoc anno Franciscus de Conziaco, episcopus Gratianopolitanus et Clementis VII camerarius, Majoris Cartusiæ studiosissimus, et erga sanctos Patres nostri Ordinis fundatores singulari pietate affectus, sacellum in loco ad quem post casum nivium eorum reliquiæ translatæ fuerant ab annis circiter ducentis et quinquaginta, majoris venerationis gratia, construi jussit, scriptis Literis quarum hic fragmentum subjicimus.

in Domo Cartusiæ,

ab Episcopo Gratianopol. Francisco de Conziaco,

« Anno 1386, Indictione nona cum dicto anno sumpta, die vero 12 Decembris, pontificatus SS. in Christo Patris et Domini nostri, Domini Clementis divina Providentia Papæ septimi anno nono, Reverendus in Christo Pater et Dominus, dominus Guillelmus Dei gratia Prior majoris Domus Cartusiæ, ex parte una; et venerabilis et discretus vir Joannes de Chissiaco, canonicus Tarentasiensis, procurator et receptor generalis Reverendi in Christo Patris et Domini Francisci, Dei gratia episcopi Gratianopolitani, Domini nostri Papæ camerarii, ex parte altera : dictus, inquam, Dominus Prior prædictæ Domus Majoris Cartusiæ, ad instantiam et requisitionem dicti domini Joannis de Chissiaco, promisit et convenit bona fide, sub voto religionis suæ, facere construere et ædificare, nomine ad opus et ad intentionem prædicti domini Episcopi et camerarii, unam capellam ad honorem et titulum beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ, de lapidibus talliatis extra sive a parte exteriori, videlicet in cœmeterio dictæ majoris Domus Cartusiæ, *in loco in quo sunt sepulta corpora Sanctorum* qui fundaverunt dictam Religionem prædictæ majoris Domus Cartusiæ, de longitudine XXIV pedum et de latitudine XVI pedum, et de altitudine XX pedum; et muros ejusdem capellæ de latitudine et grossitudine IV pedum cum testudine seu crota, et cum duabus crucibus, et cum

juxta sepulturam fundatorum Ordinis nostri.

ANNUS 1386

uno arcu, et cum tribus angelis ab extra de lapidibus talliatis: et super dictam capellam facere unum campanile pro una campana, et in eadem capella facere unum altare, et ante dictum altare super terram ponere unum lapidem planum talliatum, in quo erit scripta, depicta et impressa imago unius Episcopi. Et ulterius, prædictam capellam munire bene et sufficienter de fenestris, ferraturis et verreriis in eadem necessariis, et providere in eadem de uno missali novo ad usum dicti Ordinis Cartusiensis. Et quod in ipsa capella celebrabitur et celebretur qualibet die in perpetuum una Missa per monachum dictæ Domus ad intentionem prædicti Domini Episcopi et Camerarii, nisi forte propter casum necessitatis oporteret quod dicta Missa remaneret aliquoties ad celebrandum. Et quod prædicta capella erit facta et completa hinc ad proximum festum Omnium Sanctorum. Item promisit et convenit præfatus Dominus Prior acquirere et emere census et reditus ad opus dictæ capellæ et pro dicta Missa in eadem omni die perpetuo celebranda, usque ad summam et valorem triginta librarum bonæ monetæ censualium, vel quantum poterit habere pro quingentis florenis auri de camera. Et pro præmissis omnibus recognovit se habuisse et realiter numerando recepisse a dicto domino Joanne de Chissiaco solvente et tradente, nomine prædicti domini Episcopi, videlicet undecies centum florenos auri de camera, et quadraginta florenos auri currentis, scilicet sexcentos florenos auri de camera, pro ædificatione dictæ capellæ; et quingentos florenos auri de camera pro dictis triginta libris bonæ monetæ censualibus pro prædicta Missa; et quadraginta florenos auri currentis pro dicto missali ponendo et emendo ad opus dictæ capellæ. Prædictus vero dominus Joannes de Chissiaco, nomine prædicti domini Episcopi promisit et super sancta Dei Evangelia juravit, providere in dicta capella de una campana et de vestimentis et ornamentis in eadem capella necessariis, etc. Acta sunt hæc in Prioratu dictæ majoris Domus Cartusiæ, præsentibus venerabili et religioso viro Girardo de Passu, eleemosynario Domini

Qualiter ædificanda sit et ornanda.

Pecuniam numerat Fundator.

ANNUS 1386

nostri Papæ; nobilibus et discretis viris Petro Mistralis courrario Gratianopolis et Joanne Chiccoti consigillifero Gratianopol. »

Donatio confirmatur.

Et ad calcem ejusdem Instrumenti, confirmatio anno sequenti ab ipso Episcopo facta legitur his verbis : « Anno 1387, Indictione decima et die penultima Martii, in mei Notarii præsentia personaliter constitutus R. Pater et dominus Episcopus et Camerarius in Instrumento supra descripto nominatus, omnia et singula in eo contenta fundavit, ratificavit, etc... ac ulterius pro feliciori et citiori complemento supra per præfatum Domnum Priorem promissorum, eidem licet absenti et mihi Notario, nomine ipsius Domni Prioris stipulanti ac recipienti, ultra summam ut supra dictum est habitam, summam CCL florenorum auri, floreno pro XXIV solidis monetæ currentis computato, dedit et concessit... etc. Acta fuerunt hæc Avinione in domo habitationis præfati domini Camerarii, præsentibus venerabilibus viris dominis Aymone de Chissiaco, Priore Megenæ*, Gebennensis diœcesis, et Nicolao Morelli canonico Ecclesiæ Lingonensis, testibus, etc. »

* Megevæ vel Magevæ.

Plura de Fundatore exponuntur.

Consecratus fuerat Franciscus in episcopum Gratianopolitanum anno 1380, post translationem Rodulphi de Chissiaco ad archiepiscopatum Tarentasiensem, cujus nepos dicitur in catalogo ms. Præsulum Gratianopol. ; antea Clementis VII capellanus, Palatiique apostolici auditor, tandemque ejusdem Pontificis camerarius. Anno 1388 Arelatensis factus archiepiscopus, Cartusiensium non est oblitus; nam biennio post quasdam pecunias in subsidium Capituli generalis largitus est, de quibus fit mentio in Charta his verbis : « Pro R. P. ac Domino Archiepiscopo Arelatensi, Domini nostri Papæ camerario, qui misit Capitulo generali XXV florenos, dicat quilibet sacerdos unam Missam, etc. » Paulo post ad sedem Tolosanam translatus eamdem stipem ad comitia generalia misit, simili Missæ beneficio ut anno superiori ab Ordine donatus. Deinde obtenta Narbonensi Ecclesia, ab anno 1392 ad annum 1421 commendatur in Chartis sub Archiepiscopi

Ex Charta 1390.

Ex Charta 1391.

ANNUS 1386

Narbonensis et camerarii Domini Papæ titulis, et dicitur consuetam misisse eleemosynam. Denique post suum obitum, sub iisdem nominibus denunciatus est in Charta anni 1432 cum pleno monachatu sub die prima Januarii : unde arguendi sunt qui 31 Decembris signant, vel certe si hac ultima die anni obiit necessario restituendus erit annus 1431, alioquin non potuisset denunciari in præfata Charta Capituli generalis quod anno trigesimo secundo celebratum est die 19 Maii. Quidam etiam inter Cardinales eum annumerant, licet apud Ciaconium et ejus Continuatores non reperiatur, et revera nunquam in nostris Chartis hoc nomine designatus fuit.

Petr. Saxius in Histor. Primat. Arelatens.

JESU CHRISTI

ANNUS 1387.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 10.	Ann. 304.	Ann. 21.

I. ANNO a christiana salute millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, Indictione decima, multi Principes et Prælati, ardenti schismatis extirpandi studio commoti, legatos ad utrumque Pontificem misere, qui modos pacis et unionis proponerent, quorum una maxime erat via cessionis ab Universitate Parisiensi Regi Galliæ suggesta. De concordia sollicitatus Urbanus a Germaniæ Principibus, respondet se esse verum Pontificem nec expedire ut res certa in controversiam vocetur. Clemens vero, datis ad omnes Principes et Prælatos Literis declaravit, sincere an ficte Deus scit? se Concilii generalis autoritati et definitioni libenter submissurum, imo cessurum si sic Ecclesiæ videretur. Et ad id citius sanctiusque promovendum Indulgentias cunctis fidelibus largitus est, qui preces ad Deum pro pacificanda Ecclesia effunderent. Quas vero preces ad eas gratias consequendas singuli Nostrum recitarent, tali decreto declarat Charta Capituli Majoris Cartusiæ hujus anni : « Pro sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro, Domino Clemente Papa septimo, qui in concedentis gratiis et beneficiis temporalibus et spiritualibus fuit et est semper continue toti Ordini favorabilis et benignus, qui valde humiliter se et statum Ecclesiæ recommisit Capitulo generali, et eidem centum florenos pro eleemosyua transmisit ; et ut Deus sub suo regimine statum sanctæ Romanæ et

PRECES PRO PACE ECCLESIÆ,

Raynaldus ad hunc annum, n. 9.

decernuntur a Clementinis nostris.

ANNUS
1387

universalis Ecclesiæ et totius Christianitatis miserabiliter lacessitum dignetur reparare ac etiam reunire, fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium de Spiritu Sancto, et omnes sacerdotes celebrantes dicant quilibet unam missam de B. V. Maria pro eodem ; non celebrantes septem Psalmos pœnitentiales cum Litania, et Laici 100 *Pater noster* et totidem *Ave Maria,* ultra illa ad quæ tenentur singuli pro dicto tricenario de Sancto Spiritu. Et nihilominus in una Missa conventuali, dicant quotidie pro pace Ecclesiæ suffragia alias ordinata post *Pater noster ;* et quilibet secundum gratiam a Deo sibi datam jugiter et devote ad Dominum fundat preces et gemitus pro præmissis. »

In eadem Charta ponitur obitus illustrissimi Principis Petri regis Aragonum, magni benefactoris Ordinis et Capituli generalis, qui habet plenum monachatum sub 5 Januarii. De ejus beneficiis jam alibi diximus. Joannes, filius ejus primogenitus et successor, cum fratre suo Martino comite de Exerica ac duce Montis Albi, cartusiæ Vallis Christi fundatore, his verbis in hac Charta commendatur : « Pro inclyto Principe domino Joanne, moderno rege Aragoniæ et pro domino Duce Montis Albi fratre suo, magnis benefactoribus nostri Ordinis, et eorum conjugibus ac liberis, et ut Deus illos et eorum subditos et terras in pace custodiat.... »

Nihil præterea in ea Charta sancitum est nisi quod Priores monentur ut ad sequentia comitia, propter intercalarium annum venire non pigritentur.

URBANISTARUM ORDINATIONES CAPITULARES.

II. Idem quoque nostri Urbanistæ in cartusiam Vallis Omnium Sanctorum Pannoniæ provinciæ coadunati edixerunt, addentes quod « qui vera legitima causa interveniente venire non potuerit, mittat tres florenos pro expensis Capituli et unum pro Curatore Ordinis; » locumque assignant Domum Florentiæ, « vel in casu quo, propter guerras vel aliud impedimentum Domno Cartusiæ non videretur accomodatus locus, præfatum Capitulum in Domo Bononiæ celebretur. » Deinde « conceditur quod festis sanctorum Nicolai et Catharinæ quæ solemniter a clero et populo

communiter celebrantur, celebrentur etiam apud Nos cum Capitulo. » ANNUS 1387

Hæc ordinatio quoad festum sancti Nicolai confirmata fuit decennio post in comitiis Seizensibus. Sed utraque videtur postea revocata, ut colligimus ex Charta 1468 per quam datur potestas Domibus Picardiæ propinquioris « celebrandi amodo festa SS. Catharinæ et Nicolai cum Capitulo. » Et revera anno 1586, « festum sancti Nicolai quod antea (ut loquitur Charta) solum cum XII lectionibus celebrabatur, amodo cum Capitulo, quoad Monachos, celebrabitur ; » quod tamen post undecim annos ad priorem statum XII lectionum reducitur. Festum vero sanctæ Catharinæ sub initium seculi sexti decimi duodecim tantum lectiones communiter habebat, quod modo gaudet Capitulo.

Ex Charta 1397.

De festo S. Nicolai,

et S. Catharinæ.

In eodem Urbanistarum Cartusiensium cœtu, hæc contra quosdam abusus promulgantur decreta :

Reprehensiones.

1. « Inhibemus expresse quod amodo in Ordine nostro concedantur cohabitationes precariæ et præbendæ hominibus tam clericis quam secularibus volentibus cohabitare nobiscum infra septa monasteriorum, sine Capituli generalis licentia speciali.

2. « Ordinamus quod Priores de cætero non sint proni ad exeundum terminos Domus suæ sine evidenti et legitima causa, sed negotia quæ possunt per alios commode et fideliter expediri aliis expedienda committant, quia ex hoc Ordo noster vilescit.

3. « Cum alias fuerit ordinatum quod mulieres non habitarent in domibus vel grangiis in quibus personæ Ordinis de habitu morarentur, et non fuerit emendatio subsecuta, districte injungimus Prioribus et Procuratoribus ne omnino permittant mulieres in Domibus vel grangiis supradictis habitare ; qui contra fecerint vel permiserint, detrahentibus obedientias Ordinis, ab ipsis sint suspensi donec errata corrigant et emendant.

4. « Quia Conventus Domus Portæ Mariæ ordinationibus Capituli illico non acquievit, quærentes cavillationes et dila-

ANNUS 1387

tiones quominus Priorem eis datum per Capitulum reciperent et acceptarent, atque scribentes Domno Cartusiæ super his talibus provideri, nec Priorem receperunt donec iterum per Priorem Cartusiæ eis fuit injunctum ; volumus et ordinamus quod per annum, recepta præsentium in antea computandum, bis in hebdomada abstineant a vino, et semel in hebdomada in cellis recipiant disciplinam, a qua disciplina excipimus Priorem, et stet extra sedem suam in mensem ; et ordinamus quod honeste provideant Domno Michaeli, olim Priori de expensis. »

Denique ad calcem Chartæ, Joannes istius obedientiæ Generalis declarat Urbanum exemisse omnes Domos Ordinis a solutione cujusquam subsidii Pontificii.

D. JOAN. MEYNARDI DECESSUS.

Serm. XXXV in Oration. Dominica.

III. Circa hæc tempora, die 25 Junii, pie decessit Joannes Meynardi, professus Domus Trevirensis, ad quem videntur spectare quæ de quodam novitio refert Hermannus de Petra : « In Domo prope Trevirim, inquit, quidam Novitius, Meynardus nomine, fuit a diabolo tentatus sed non sic superatus ; nam sic tentatus fuit quod si aliquantum pecuniæ habuisset statim exivisset. Unde ex abundantia cordis etiam ore ad seipsum dixit : Si haberem decem florenos, ego non manerem hic diutius, sed exirem. Et cum in cella sua nescio quid quæreret, invenit in quodam loco decem florenos quasi recenter monetatos ex bono auro. Quos cum invenisset et fraudem diaboli cognovisset, confortatus fuit in Domino, et professionem faciens, quampluribus hoc ad ædificationem narrans, perseveravit in Ordine quadraginta tribus annis usque ad mortem. In cujus locum ego licet indignus receptus fui. » Hactenus Hermannus qui rem sibi compertissimam fuisse ex ipso suæ narrationis fine ostendit ; qui præterea dicens se in locum Meynardi fuisse receptum satis indicat eum defunctum fuisse circa hunc annum, cum ipse post quadraginta circiter annos in Ordine transactos, mortuus sit anno 1428. Porro eamdem historiam paulo elegantius, tacito novitii nomine, referunt Dionysius Rickelius et Petrus Dorlandus.

Lib. Religion. Chronic. Lib. VI, c. 7.

ANNUS 1387

OBITUS GUIDONIS DE PIXIS.

IV. In Charta Urbanistarum Patrum, inter mortuos denunciatur D. Guido, Vicarius Domus Belriguardi. Hic est Guido de Pixis (a Petreio de Pinis vocatus) qui factus Prior Domus Bononiæ anno 1365, ante revolutum annum abdicavit, prælato Vicariatus onere. Deinde, fundata cartusia Romana electus fuit qui novam hanc plantationem in utroque statu regeret ; at ille semper Mariæ quietem sollicitudinibus Marthæ præponens, rursus officium Præsidentis dimisit, ut matris sive Vicarii munus exerceret in Domo Belriguardi, ubi et defunctus est ut vidimus supra. Unde arguendus Petreius qui eum tantum floruisse anno 1427 scribit, nisi sit alter eodem nomine. Descripsit Tractatum satis prolixum *de Electione Prioris* aliaque nonnulla.

MONASTERIUM VALLUMBROS. APUD ASTAM ORDINI NOSTRO ADSCRIBITUR.

V. Duarum hoc anno cartusiarum fundamenta jaciuntur, una sub Urbani, altera sub Clementis obedientiis. Hæc apud Astam olim Liguriæ nunc Pedemontis urbem episcopalem, caputque Comitatus ejusdem nominis, in ejus suburbio sita est. Ibi quondam fuit monasterium Ordinis Vallumbrosani quod Urbanus VI, Genuæ tunc hærens, ab Astensibus civibus rogatus, ob regularis observantiæ bonorumque temporalium defectum, extinctis monachis soloque Abbate superstite, nostro Ordini adscribi permisit. Sed eo paulo post Genua recedente, Astenses a Clemente, ad quem, pro illorum temporum inconstantia mox defecerant, integrum hujus negotii effectum obtinuerunt. Data est bulla hujus concessionis hoc anno, 15 calendas Novembris, ad Priorem Cartusiæ, in quibus Clemens inter cætera sic loquitur : « Clemens, etc... Dilectis filiis Priori et Fratribus Domus Cartusiensis, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Inter cunctos religionis monasticæ professores quibus velut rutilantibus margaritis militans coruscat Ecclesia, vestri Cartusiensis Ordinis candidi Nazareni splendore illustrantes eximio Ecclesiam antedictam, vitæ quidem munditia nitidi, fervore charitatis igniti, continentiæ cingulo lumbos succincti, mundo mortui, Christo vivunt. Digne igitur Ordinem ipsum Apostolicæ benedictionis dulcedine prosequentes, illa

Instrumentum concessionis.

Apud Molin. p. 676.

ANNUS 1387

ei libenter concedimus quæ præsertim divini cultus augmentum et perseverantiam laude dignam respiciunt, et quæ ei fore conspicimus profutura... » Et inferius in eadem bulla : « Nos igitur diligentes dictum Ordinem vestrum in visceribus charitatis, autoritate Apostolica et Apostolicæ pietatis plenitudine, tenore præsentium donamus, concedimus et assignamus Ordini vestro cœnobium sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi Vallis-umbrosæ cum reditibus, facultatibus, juribus, etc... ; suppressis qui antea illud tenebant Vallumbrosanis.... Datum Avinione, anno Incarnationis dominicæ 1387, die XIV Maii. »

Ratificatio Capituli generalis.

Duobus post annis, R. P. D. Guillelmus Prior Cartusiæ cæterique Capituli generalis Diffinitores Domum hanc Ordini Cartusiano incorporaverunt his verbis : « Nos frater Guillelmus humilis Prior Domus Majoris Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, cæterique Diffinitores Capituli generalis ejusdem Ordinis, universis præsentibus et futuris, ad perpetuam rei memoriam. Cum monasterium S. Jacobi prope civitatem Astensem, olim Ordinis Vallis-umbrosæ per sanctissimum Dominum nostrum Clementem VII Ordini nostro fuerit incorporatum et unitum, titulo et nomine SS. Philippi et Jacobi ; et per certos Nobiles dictæ civitatis dicatur competenter dotatum existere, sive alicujus fideli cautione asseveratum de reditibus ejusdem et ædificiis construendis juxta modum et formam nostri Ordinis, ita dumtaxat quod dicta Domus sit et esse debeat unum membrum pro uno Conventu et Priore sive Rectore sicut aliæ Domus nostri Ordinis existunt, ac sub ejusdem Ordinis obedientia, protectione, gubernatione, regimine et voluntate perpetuis temporibus consistat : Nos præmissis omnibus consideratis diligenterque pertractatis et examinatis, ex nostra scientia, de communi consensu et voluntate dicti nostri Capituli, dictum monasterium sub nomine dictorum SS. apostolorum Philippi et Jacobi, ut præmittitur, per dictum Dominum nostrum Papam intitulatum, cum suis reditibus et emolumentis Ordini nostro incorporamus et unimus ; ipsumque sub obedientia,

protectione et correptione nostri Capituli generalis Priorisque Cartusiæ ac totius Ordinis ex nunc et imperpetuum recipimus. In cujus rei testimonium sigillum authenticum nostri Capituli generalis, quo in arduis utimur negotiis, præsentibus duximus apponendum, anno Domini 1389, 18 Maii, et dicto Capitulo nostro in dicta Domo Cartusiæ pendente, uti semper celebrare consuevimus. » ANNUS 1387

Fautores Domus,

Inter fideles qui bona sua ad condendam novam cartusiam dederunt, primum locum merito obtinent nobiles Jacobus et Bartholomæus de Scarampis, Astæ cives ; quibus et fundatorum nomen attribuere Patres Urbanistæ, ut apparet ex Chartis eorum, in quibus inter mortuos denunciantur. Et primum, anno 1391, in Charta Capituli generalis in Domo Montelli celebrati, Jacobi obitus his verbis legitur : « Obiit spectabilis vir, dominus Jacobus de Scarampis de Janua, magnus benefactor Ordinis et fundator Domus Astensis, qui habet monachatum sub die 1 Novembris. » Sed anno sequenti, dies septima ejusdem mensis designatur. Alterius obitus habetur in Charta Capituli Seizensis anni 1394. « Obiit dominus Bartholomæus de Scarampis fundator Astensis, habens monachatum cum perpetuo anniversario, etc... » Hanc Scaramporum familiam nobilissimam floruisse Astæ ex Ughello discimus variis in locis *Italiæ Sacræ*.

et Benefactores.

Inter illustriores hujus Domus benefactores, amicos et fautores hi enumerandi sunt : Theodoricus, marchio Montisferrati, qui habuit tricenarium per Chartam anni 1422. Ejus pronepos Guillelmus in Charta 1514 dicitur « multum affectus fuisse Domui Astensi. » Cujus uxor Anna de Alenconio annis sequentibus precibus Ordinis commendata fuit.

Franciscus Sansovinus, in famil. Montisferrati.

Scipio de Damianis, episcopus Astensis inter mortuos Chartæ 1474 reperitur ; et Jacobus de Ponte, archidiaconus ejusdem Ecclesiæ ex Charta 1594.

Magnificus et generosus dominus Franciscus Rotanus de Ast, dominus Remylasti, anno 1469. Nobilis Georgius Pelleta, civis Astensis, 1491. Illustris dominus Albertus Marie, 1574. Egregius dominus Antonius Sanga, habens missam

ANNUS 1387

de B. Maria in tribus Provinciis Italiæ, anno 1618. Nec locum hic denegare debemus ultimo Abbati hujus monasterii, cujus obitus signatur in Charta Capituli generalis in Domo Majoris Cartusiæ celebrati, anno 1390, his verbis : « Obiit dominus Abbas quondam Domus novæ Ordinis nostri Astensis, qui habet tricenarium. »

CARTUSIA IN HILDESHEIM INCHOATUR.

VI. Altera quæ hoc anno inchoatur cartusia vocatur *Domus Claustri B. Mariæ Virginis*. Hanc Gerardus de Monte super Mindam, Hildesemensis in Saxonia episcopus, in gratiarum actionem victoriæ de suis hostibus partæ ædificavit ad radicem Montis Speciosi olim (nunc sancti Mauritii) nuncupati, sub ipsius urbis episcopalis fossatis ad Occidentem.

Lib. IX, cap. 53.

Hujus fundationis occasionem variis in locis suæ *Metropolis* describit Krantzius; et primum agens de Alberto Halberstadensi præsule, victoriæ a Gerardo reportatæ sic meminit :

Qua occasione?

« Inter cætera memorabilia hujus Pontificis (Alberti) est bellum in quod se immiscuit, quod erat Magno Duci de Brunswick et Lunemburg adversus Gerardum Hildesemensem episcopum. Coierant in societatem ejus belli cum Magno Duce Theodoricus Magdeburgensis, Albertus Halberstadensis, duo comites de Anhalt, comites de Querforde, Barones de Hamerschleue, omnium armorum apparatu contracto. Id erat in agmine roboris, id fiduciæ, ut hostes obvios adspectu terrificarent. Quid faceret Gerhardus? In ejus ditione tonabant armis, incendio grassabantur; non erat quod diutius adspectaret. Armavit cives urbis suæ, et ex ministerialibus suis quantoscumque potuit evocavit; expeditum habuit exercitum, sed nequaquam numero aut viribus parem hostili. Sed erat fiducia magna et animus invictus : causam Ecclesiæ Deo et divæ Mariæ patronæ commendabat; et progressus in prælium, constitit ex adverso juxta Dingeber : signa sonuere, concurrunt hostes, miscent utrinque manus. Non longum tempus in medio pugnantium, Gerhardus numero inferior fit robore superior : cædit, capit obvios, Magnus ipse Dux capitur. Quod ubi innotuit, fuga de illius exercitu effusa committitur. Albertus quoque Halberstadensis capitur. Co-

mes de Querforde Magdeburgensis canonicus, et baro de Hamerschleue pugnantes cadunt. Victoria insignis erat Hildesemensium. Tantum auri collegit ex victoria de præda et de redemptione captivorum ut arces duas adderet his quæ ante multæ extiterant, et Domum cartusiæ fundaret ab imo; » ad quam missi sunt hoc anno Monachi e Domo Erfordiensi assumpti, ductore Henrico de Eschwen, quibus tandem per Chartam anni sequentis præfectus est Rector. Quinquennio post, pro more Ordinis, Domus toti corpori adscribitur his verbis notatu dignis : « Ad instantiam R. P. Domini Episcopi Hildesemensis, qui instantissime supplicavit iteratis vicibus Capitulo generali pro incorporatione Domus suæ Claustri beatæ Mariæ prope Hildesium, præsumentes multum denuo promissis, videlicet quod pro perfectione dictæ Domus novæ erit sollicitus, tam in ædificiis instruendis quam reditibus comparandis seu deputandis pro sustentatione Conventus et personarum Ordinis ac oneribus supportandis, præfatam Domum Ordini incorporamus, præficientes D. Joannem nunc Rectorem in Domus Priorem. Et si, quod omnino absit, quod et non speramus, prædicta Domus ad effectum debitum non sortiretur, Domus eadem sic deficiens deserta relinqueretur. »

ANNUS 1387

Ex Charta 1393

Anno denique 1398 ex hac mortali vita decessit Fundator sepultus in ecclesia hujus cartusiæ, cujus obitum anno sequenti Charta denuntiat : « Obiit R. P. D. Gerardus episcopus Hildesemensis in crastino sancti Britii, fundator Domus, ibidem habens tricenarium cum associatione primi anniversarii. » Ecclesiam Verdensem primum rexerat ad annum 1364 quo ad Hildesemensem translatus est. Post consecutam insignem illam victoriam, rebus jam aliquandiu pacatis, quieta gubernatione usus est, intentus interea observationi disciplinæ in monasteriis, maxime in Mariærodensi abbatia quam sua prudentia ad meliorem frugem revocavit.

Fundatoris obitus.

Beyerlinck, Theatr. Tom. III, in Eppis. Hildes.

Ex Gerardi successoribus, quidam multa Nostris beneficia contulerunt, inter quos eminent Magnus ex Ducibus Saxoniæ qui obiit anno 1452, Hemnengus qui magnus benefactor

Benefactores.

ANNUS 1387

nominatur in Charta anni 1490, et Bertoldus de Landsberg, qui propter bona collata anniversarium per totum Ordinem obtinuit post suum obitum qui signatur in Charta anni 1503, sub die 5 Maii.

Multi quoque Canonici pia quasi æmulatione moti, multa dederunt, quorum hæc sunt nomina : Johannes a Saneken-ſtadt, summæ Ædis canonicus, anno 1398. Theodoricus de Doffel ejusdem ecclesiæ præpositus, alter hujus Domus fundator, nominatur in Charta anni 1421 in qua habuit anniversarium sub die 4 Decembris. Dothmarus de Hardberge ibidem canonicus. Quidam etiam collegiatæ ecclesiæ Sanctæ Crucis Canonici in Chartis signantur. Hi videlicet : Conradus Sleidarn anno 1421, Henricus Munden qui obiit die 23 Junii anno 1492.

Ex civibus Hildesemensibus innumeri annotantur quorum præstantiores sunt Joannes Hoyen, miles, anno 1470 ; Theodoricus Quirer et Margareta ejus uxor anno 1473 ; dominus Henricus Gremat civis Lubecensis, 1493 ; dominus Brandes, anno 1624.

CARTUSIA IN AXPACH PERFICITUR.

VII. Hoc pariter anno cartusia Axpacensis in Austria, ante aliquot annos inchoata, sed quæ propter præmaturam fundatoris mortem lentissime hactenus assurgebat, magnum cepit incrementum ex ejusdem conditoris filiorum munificentia. Hi enim nomen quoque fundatoris sibi comparare cupientes (ut in subjectis Literis declarant), dotem quam pater tenuiorem reliquerat satis ample confecerunt, ut ex sequenti donatione apparet : « In nomine Domini. Amen. Labilis humanæ conditionis exsposcit memoria, gesta perennitus duratura scripturarum serie futurorum notitiæ reservari. Ego igitur Joannes de Meyssaw, pincerna supremus illustrissimi Principis Alberti ducis Austriæ, et ego Georgius de Meyssaw germanus ejusdem, terræ Austriæ barones, ad universorum tam præsentium quam futurorum notitiam cupimus pervenire, quod juxta doctrinam Evangelicam qua primum jubemur quærere regnum Dei, delectamur ex intimis ut pro terrenis bonis quibus dono pollemus Altissimi, per pietatis

Literæ dotales.

exercitia virtuosa ac per Divini cultus instaurationem et amplificationem attingere valeamus æternorum culmen bonorum, rite sic commutatione summe desiderabili, pro instabili statu stabilem, pro luteo incolatu sidereum, et pro terreno dominatu cœlicum lucraturi. Cum igitur pater noster felicis recordationis dominus Heydenricus de Meyssaw, pro tunc senescalcus provincialis terræ Austriæ, una cum conthorali sua, matre nostra domina Anna, et cum libera nostra ac cæterorum hæredum suorum voluntate et unanimi consensu, Domum Portæ B. Mariæ in Axpach, Ordinis Cartusiensis, in dicta provincia terræ Austriæ, Passaviensis diœcesis, fundaverit in laudem Dei, et ob honorem gloriosissimæ Assumptionis beatæ semper virginis Mariæ, necnon ad suam et progenitorum ac successorum suorum animarum remedium et salutem, et eamdem Domum Ordini Cartusiensi donaverit, quem præ cæteris Ordinibus speciali favore dilexit, ita ut integer Conventus una cum Priore perpetuo inibi Domino famulentur, nec tamen eamdem Domum prout necessitas exposcit sufficienter ante diem obitus sui dotaverit : hinc est quod nos devotum illius desiderium explere cupientes, necnon merito fundationis prædictæ participes esse volentes, sanctam et contemplativam virorum religiosorum Prioris et Conventus prædicti monasterii in Axpach devotorum nostrorum dilectorum conversationem, et cælibis ac monasticæ vitæ ipsorum rigidam observationem in Domino complectentes ; ipsosque tanquam Domini domesticos debitis donorum nostrorum sustentaculis confoveri cupientes, ut eorum interpellatione supplici commissorum facinorum nostrorum expiationem et omissorum bonorum suppletionem consequi mereamur : monasterio prænotato Portæ B. Mariæ in Axpach, sano et maturo usi consilio, non dolo seu adulatione circumventi, sed sponte et concorditer et ex certa scientia, in laudem Dei et gloriosæ virginis Mariæ, necnon ad nostrum et antecessorum ac successorum nostrorum remedium salutare, jus patronatus atque ecclesiæ nobis plano jure pertinens, ipsamque ecclesiam cum omnibus juribus,

ANNUS 1387

Filii fundatoris, attenta contemplativa vita Cartusiensium,

ANNUS
1387

Jus quoddam Domui tradunt,

pertinentiis ac proventibus suis quibuscumque, liberali donatione irrevocabili inter vivos decrevimus elargiri ; dando ac assignando, tenore præsentium, prædicto monasterio jus patronatus prædictum una cum ecclesia atque jure advocatiæ ac omnibus juribus, pertinentiis et proventibus quibuscumque, Domui seu usibus Prioris ac Conventus, Apostolica seu Ordinaria autoritate incorporandum, et pro sustentatione personarum inibi Deo famulantium tenendum et perpetuo possidendum ; neque jus advocatiæ neque aliqua jura seu postulationes de eadem ecclesia seu bonis vel hominibus ejusdem, nec in magno nec in parvo nobis duximus reservandum ; sed renunciamus pro nobis, hæredibus et successoribus nostris quibuscumque, omni juri jurisque subsidio tam canonici quam civilis, quibus contra donationem præmissam venire possemus imposterum seu ad præsens aliquo ingenio vel cautela. Adjicientes etiam quod Vicarius prædictæ ecclesiæ qui pro tempore fuerit, nullum alium advocatum quam monasterium prætactum super se ac bona et colonos ecclesiæ habeat seu habere debeat ; qui etiam advocatus, qui pro tempore fuerit, de rebus seu bonis ipsius Vicarii vel ecclesiæ mobilibus seu immobilibus auferre nullo modo vel intromittere se debeat sub aliquo juris prætextu seu consuetudinis, in vita ipsius Vicarii pariter et in morte. In quorum omnium et cujuslibet de præmissis evidentiam et perpetuam firmitatem, præsentem paginam fecimus conscribi, et sigillorum nostrorum appensionibus communiri. Datum anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, in die sancti Bartholomæi apostoli. » Hanc donationem anno sequenti approbavit Urbanus VI, datis binis Literis apostolicis, Pontificatus sui anno undecimo ; priore Perrusii tertio decimo calendas Junii, altera octavo calendas ejusdem mensis.

et advocatiam cujusdam ecclesiæ.

Ex Charta 1390.

Dicti donatores in Chartis nostris commendantur.

Georgius fratrum junior biennio post decessit, et ut cupierat et meruerat, fundatoris titulo cum tricenarii beneficio a Patribus cohonestatus fuit. Joannes vero post mortem fratris primæ donationi alia bona adjecit, ut discimus ex Charta

capitulari quæ « concedit Conventui Domus Portæ B. Mariæ quod licite possit possidere et tenere bona a domino Joanne de Meyssaw, fundatore eorum, ipsis perpetuo data et assignata : videlicet jus montium et decimarum in Stifen, non obstante quod extra terminos dictæ Domus sita sunt. Et Procurator qui nunc est, et qui pro tempore fuerit possit ordinate singulis annis illuc venire quoties necessarium fuerit pro vinis colligendis. » Joannis obitus triennio post, cum iisdem titulis et beneficiis denunciatus fuit ; et Annam uxorem ejus, quæ triginta quatuor annis ei superstes fuit, pari honore Patres affecerunt.

ANNUS 1387

Ex Charta 1395.

Ex Charta 1398.

Ex Charta 1432.

JESU CHRISTI

ANNUS 1388.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 11.	Ann. 305.	Ann. 22.

ACTA CAPITULI CLEMENTINORUM.

I. ANNO a partu Virginis octuagesimo octavo supra millesimum trecentesimum, Indictione undecima, Clemens Pontifex Indulgentias quas cunctis fidelibus in Universum anno præterito eum impertivisse vidimus, nostri Ordinis personis singulatim largitur, ut declarant Patres in Charta hujus anni, ubi post preces pro Clemente, qui centum florenos pro eleemosyna Capitulo generali transmisit, edictas, addunt : « Qui etiam Dominus noster Papa, attendens hujus mundi pelagum diabolicæ fraudis instinctu, sic positum in maligno quod tum propter scissuram diri schismatis, proh dolor ! nunc vigentis, tum propter dissentiones et guerras temporalium invicem collidentium Dominorum, fidei Catholicæ exulat bonitas atque libertas, Ecclesia multipliciter impugnatur, amareque dolens super tot et tantorum evidenti dispendio pereuntium animarum : concessit et concedit universis et singulis personis Ordinis nostri memorati in sacerdotio constitutis, qui pro extirpando schismate et unitate universalis Ecclesiæ, tredecim Missas, videlicet tres de Beata Trinitate, tres de Spiritu Sancto, tres de Cruce in memoriam dominicæ Passionis, tres de gloriosa Virgine Maria et unam de Angelis, infra duos menses post notificationem istorum immediate sequentes, devote celebraverint et devotas preces effuderint Summo Regi ; unicuique pro singulis hujusmodi Missis

Indulgentias largitur Ordini Clemens VII.

septem annos et septem dierum quadragenas, existentibus ipsis in statu gratiæ, ut in forma ; eis vero non sacerdotibus ejusdem Ordinis qui noverint legere, ter Psalteria intra tempus prædictum dixerint (quod juxta taxationem Ordinis æquiparare debeant Missis supra dictis), totidem sicut presbyteris supra dictis ; illis autem penitus ignorantibus litteras et lecturam, qui talem summam de *Pater noster* et *Ave Maria,* Deum pro prædictis orantes et in statu debito consistentes dixerint, quod æquipollere valeant, etc... annuit illis idem. »

ANNUS 1388

In eisdem comitiis iterum Nostris prohibetur aditus Curiæ Romanæ sive Avenionensis. « Cum alias fuerit ordinatum quod Priores et personæ Ordinis non frequentarent sive intrarent Curiam Romanam, et sub certis pœnis ; sed quoniam adhuc de tam nimia frequentia multi Prælati in dicta Curia scandalizantur, ideo dictam ordinationem ratificamus et fortius innovamus, nec de cætero sine maxima et evidenti necessitate aliquis talem licentiam petat vel per alios faciat procurari. »

Deinde quanti tunc pretii haberentur qualescumque libri, sequenti exhibent ordinatione : « Omnibus Prioribus et Conventibus ac personis Ordinis nostri, qui et quæ penes se vel in Domibus suis habent libros qualescumque Domus Cartusiæ vel quarumlibet aliarum Domorum eisdem mutuatos, injungimus firmiter et districte quatenus illos mittant vel deferant ad proxime sequens Capitulum generale, per Patrem nostrum Domnum Cartusiæ restituendos Domibus unde erant ; alioquin Priores et Procuratores Domos suas non exeant, et Monachi et Clerici spatiamenta non habeant donec præsenti ordinationi et injunctioni paruerint cum effectu, nisi causam rationabilem habeant quam in prædicto futuro Capitulo allegare teneantur. »

Cartusia Correriæ Majori Cartusiæ unitur.

Denique per eamdem Chartam Domus Correriæ sub regimine Cartusiæ Majoris addita est, pronunciato tali decreto : « Domum Correriæ infra terminos Domus Cartusiæ Matris nostræ constitutam, eidem Domui Cartusiæ incorporamus

et unimus, antequam majorem deveniat ad ruinam; et stent ibi ad minus ultra Rectorem duo Monachi vel plures juxta ordinationem et discretionem Domni Cartusiæ, Patris nostri. Et istam unionem facimus vigore privilegiorum Domini Papæ Gregorii undecimi, et de consensu et voluntate Conventus Cartusiæ. » Ab eo igitur tempore hæc Domus a jurisdictione Capituli generalis eximitur, solique Priori Cartusiæ subjicitur, qui Rectorem ad suum libitum instituit et destituit, monachosque illuc mittit et revocat, ac tandem cuncta ibi disponit nulla servata Capituli generalis autoritate.

Obitus cardinalis Anglici de Grimoard denunciatur.

Inter mortuos hujus Chartæ signatur « R. P. Angelicus, (sive melius Anglicus) cardinalis Albanensis, habens tricenarium defunctorum ; » quem sæpius precibus Ordinis commendatum annis superioribus tam ante quam post schisma legimus. Fuit iste singularis Cartusiensium Bononiensium benefactor, in quorum utilitatem puteum claustri molitus est, et eos anno 1368, 18 Martii, ab omnibus datis, gabellis et impositionibus exemit. In documentis ejusdem Domus vocatur Angelicus Grimoaldi de Grisaco, et dicitur Urbani V fratris filius; sed fratrem illius fuisse plerique volunt, ac proinde Elizarii Majoris Cartusiæ Prioris patruum*. Nostri Avenionenses eum inter suos benefactores etiam annumerant.

* *Verius diceres* : nepotem.

Rex Aragoniæ precibus Ordinis commendatur.

Joannes rex Aragoniæ qui pecunias ad sumptus Capituli generalis sublevandos miserat, et Violanta ejus uxor quæ fundationem novam meditabatur, his verbis in hac Charta commendantur : « Pro excellenti et inclyto Principe Rege Aragoniæ et Regina, magnis benefactoribus et devotis Ordinis nostri et eorum liberis, et ut Deus illos suosque subjectos fideles ac terras custodiat et conservet in statu pacis atque salutis et gratiæ, fiat in qualibet Domo Ordinis nostri unum tricenarium de Spiritu Sancto. Et quia prædictus Dominus Rex misit Capitulo generali centum florenos et Domina Regina vult statim fundare et sufficienter dotare unam Domum Ordinis nostri, universi et singuli Ordinis nostri sacerdotes dicant pro eis unam missam de B. Maria, et non sacerdotes unum psalterium pariter cum litania ; Laici vero 30 *Pater*

noster et totidem *Ave Maria,* ultra de Spiritu Sancto. » Consilium fundandæ cartusiæ ab ipsa regina Violanta conceptum statim evanuit, nec enim ulla illius mentio habetur in Chartis sequentibus.

ANNUS 1388

II. Noster Molinus meminit cujusdam parthenii Cartusiensis quod dicit fundatum anno 1389, sub invocatione Sancti Spiritus juxta Saguntam per reginam Aragonum Mariam, uxorem regis Martini, et postea ad Ordinem Sancti Francisci translatum; sed citato a Molino anno, nec Maria nec Martinus regnabant. Quamobrem Gaspar Escolanus, a quo Molinus sua videtur mutuatus, paulo correctius in sua Historia hispanice edita scribit Mariam de Luna, Infantis Martini uxorem, eodem tempore, nempe anno 1385, quo fundata fuit a marito Vallis Christi cartusia, demandasse constructionem monasterii Sancti Spiritus pro Monialibus Cartusiensibus in territorio Morviedro, quod et multis reditibus apud urbem Segorbiam vallemque de Almonazir sitis dotavit, constitutis ejusdem parthenii administratoribus et protectoribus præfatæ urbis Consulibus. Additque Escolanus nostras Virgines ibidem per multos annos perseverasse, donec crescente Maurorum sibi vicinorum timore, apud sanctimoniales Clarissas monasterii (tunc temporis Sancto Guillelmo, modo Sanctæ Trinitati nuncupati) in suburbiis Valentiæ positi sese recipere coactæ fuerint; quarum regulam et habitum suscipientes antiquum Sancti Spiritus cœnobium Fratribus Franciscanis cesserunt. Eadem refert Josephus de Valles canonicus Tarraconensis; sed quidam Monachus cartusiæ Portæ Cœli constanter affirmat hujusmodi monasterium nunquam nostris legibus subjectum fuisse, multisque probat illud primum a regina Maria de Luna fundatum circa annum 1404 pro Minoritis (Regularis Observantiæ), et sufficientibus reditibus contra Regulam S. Francisci dotatum, quod esset in loco ab hominibus semoto situm; sed aliquot post annis, juxta quosdam anno 1487, Superiores Ordinis non patientes sanctam suam paupertatem sic exulare ab hoc cœnobio, consensisse ut hujusmodi annui census parthenii

PARTHENIUM S. SPIRITUS IN HISPANIA.

Histor. Cartus. p. 677.

Liber VIII, cap. 10, 11, 12.

Fundat. Cartus. Hispan. pag. VII.

Ex mss. ex hac Domo ad nos missis.

An vere exstiterit?

ANNUS 1388

sui Ordinis recens sub patrocinio Sanctæ Trinitatis a Maria Castellana Aragoniæ regina erecto, pro dote assignarentur; quod et factum est autoritate regia, Callixto III insuper hanc bonorum translationem confirmante. His addamus nullam prorsus in nostris Chartis reperiri memoriam hujus monasterii, quod etiam pro solis Franciscanis conditum fuisse ab eorum Annalium scriptore discimus. « Ad tertium lapidem, inquit, ab antiquissima et bellis memorabili urbe Saguntina, in Valle Jesu ædificavit circa hunc annum (scilicet 1402) Maria a Luna, Martini Aragonum regis conjux, conventum sub titulo Sancti Spiritus, quem etsi a populo semotum, vicina oppida magna prosequuntur beneficentia. »

Wadingh. ad ann. 1402, n. 13.

Narrat tamen aliquis*, Patres Cartusianos Aræ Christi Domum suam, anno circiter 1610, mutare cum Sancti Spiritus monasterio voluisse; cujus translationis causa cum præcipuis conventus S. Francisci Valentini Patribus tractatu habito, facile probarunt eremum S. Spiritus solitariis plus quam viris apostolicis congruere, cartusiam autem Aræ Christi magis, utpote urbi viciniorem, Minoritarum Patrum usibus aptari. Franciscani consenserunt omnes, uno tamen excepto, unde res Capitulo provinciali delata fuit et ab eo plane rejecta. » Hæc apprime concordant cum his quæ narrat Molinus : « Venerabilis Pater D. Joannes Bellot, inquit, Prior cartusiæ Vallis Christi et provinciæ Cathaloniæ Visitator, cœnobium Sancti Spiritus Ordinis Franciscanorum cum hac Domo (Aræ Christi) permutare concupivit... tunc quia videbatur hæc mutatio rationi consona, quia hæc Domus S. Spiritus sancti Francisci fuit antiquitus constructa Monialibus Cartusiensibus...; hisque rationibus motus, assumpto suo Procuratore, ipsam franciscanam domum serio visitavit Domnus Bellot, et inquisivit an nostro esset proposito accomodata : Fratres enim Franciscani id valde cupiebant ut sic possent uberiores eleemosynas percipere ac fidelibus commodius ministrare, quæ in deserto fieri non possunt. Cum autem jam ex utraque parte conventio facta esset, nemine discrepante præter unicum solum francisca-

*R. P. Vinc. Martin. Colomer. Regular. Observant. in Provinc. Valentin. Histor. ms. Tom. II.

Revera in hoc loco Domum fundare tentarunt Nostri.

num fratrem N. Borrell, solummodo spectabantur comitia provincialia ejusdem Ordinis futura in civitate Valentiæ, ut hæc in ipsis omnino confirmarentur, nostris 4000 scuta Ordini S. Francisci tribuentis propter meliora ædificia quæ in dicto cœnobio reperiebantur. Venerunt quidem comitia, in quibus omnes conventuales S. Spiritus fuerunt disciplinati et ab illa Domo eliminati, præter fratrem Borrell. Iterum mota fuit translatio seu mutatio Domorum cum Franciscanis prædictæ Domus anno 1613, cujus exitus principio fuit simillimus; iterum omnes puniti et eliminati : hunc enim locum non elegerat Dominus. » Hinc videtur non inepte dictum Nostros, saltem aliquo modo, cujusdam cartusiæ fundationem in ædibus franciscanis Sancti Spiritus affectasse.

Molin, p. 890.

URBANISTARUM COMITIA.

III. Paulo longius digressi, nunc res hujus anni prosequamur. Urbanus VI æmulatione et exemplo Clementis, Principes sibi subditos in sui rivalis sectatores propositis Indulgentiis concitabat. Hinc conversis undequaque in mutuas cædes Christianorum armis, multa damna Nostri patiebantur. In Italia, maxime in regno Neapolitano, bona eorum ab utriusque partis militibus diripiebantur. Omnibus Domibus tum Picardiæ tum Alemaniæ Inferioris licentia dividendi conventus per Chartam Capituli in Domo Florentiæ congregati concessa est ob bella Anglos inter et Gallos, Flandros et Geldrenses. Cœnobia quoque nostra in ipsa Suevia sita tot mala perpessa sunt, propter fœdus seu ligam (ut vocat Nauclerus) civitatum Imperialium contra Comitem Witenbergensem initam, a quo civitates ipsæ hoc anno debellatæ sunt, ut Monachi non solum extra suum conventum, sed etiam extra Provinciam collocandi fuerint. Nihilominus, Urbanistæ Cartusienses observantiæ confirmandæ culpisque in eam commissis corrigendis intenti, in leviores etiam noxas statuendi exempli gratia severius animadvertunt, ut patuit in quodam Procuratore, « quem rehabilitamus, inquiunt, ad omnia officia et beneficia Ordinis, ratione excessus, quem non Statutorum contemptu, sed quadam incauta pietate incurrit. Volumus tamen, pro salutari pœnitentia ut dicat

Raynaldus hoc anno. n. 2 et 9.

Ob bella plures dividuntur Conventus.

Gener. XLVII, ad hunc annum.

ANNUS 1388

unum Psalterium, ter comedat ad terram in refectorio super asserem nudum, et tres in Capitulo recipiat disciplinas, et studeat in futurum cautius se habere. »

Ne quid in Chartis mutetur prohibent.

Deinde « prohibent expresse sub præcepto sanctæ obedientiæ, et sub pœna privationis officii et beneficiis Ordinis in æternum, ne ullus de cætero addat quidquam vel minuat per se vel per interpositam personam in Charta Capituli generalis, sine licentia speciali ipsius Capituli vel Domni Cartusiæ. Item, aiunt, ad obviandum periculis personarum propter multiplicium guerrarum dispendia, quæ nostris peccatis exigentibus, modernis temporibus ubique grassantur; ordinamus quod de qualibet Provincia unus Visitatorum ad sequens Capitulum ubi Domnus Cartusiæ residet, venire teneatur, portaturus literas suæ Provinciæ, ac reportaturus Chartam et literas responsales, ad expensas tamen ejusdem Provinciæ. »

Tricenarium quoque, ut vocamus, de Spiritu Sancto indicunt « pro illustri Principe domino Comite Virtutum, Domino Mediolanensi (videlicet Joanne Galeatio Vicecomite), qui intendit construere duo monasteria nostri Ordinis, et est favorabilis eidem nostro Ordini. » Quæ quidem duobus annis sequentibus repetuntur, unde patet eum jam non fuisse Urbano infensum, ut scribit autor Vitæ Stephani Maconi, cum Cartusiensibus ei adhærentibus ab eo tempore semper faverit, spretis Clementi studentibus. Et hæc fuerunt quasi præludia fundandæ illius famosissimæ Papiensis cartusiæ de qua iterum agemus anno 1390.

Lib. II, cap. 10.

Translatio Domus Rubi B. Mariæ ad Vallem Josaphat.

Denique translationem Domus Rubi B. Mariæ ad novam Domum Vallis Josaphat paulo ante factam confirmant his verbis : « Confirmamus et approbamus translationem factam de Domo Rubi ad Domum Vallis Josaphat, ubi ex nunc et in antea Prior cum Conventu moram trahant secundum nostri Ordinis instituta. Et Priori ejusdem Domus facimus misericordiam, præficientes in Priorem D. Stephanum monachum Pragæ, secundum quod alias Domnus Cartusiæ ordinavit. » Ad hunc igitur annum referenda est fundatio

Domus Vallis Josaphat, prope Olomutium urbem episcopalem et Moraviæ Provinciæ caput, in villa dicta Dolan* primum sitæ, deinde in ipsam civitatem translatæ velut in azilum adversum bella quibus a nativitate sua semper exagitata fuit.

ANNUS 1388

*al. Dolein.

Hic Nostri steterunt ad annum usque 1437, quo Hussitarum rabiem fugientes, in præurbium civitatis se receperunt, in locum quem cives intra suos muros postea conclusere. Porro etsi, ut diximus, translatio Rubi ad Vallem Josaphat hoc anno a Patribus approbata sit, non tamen ipsa Domus Rubi ab eis penitus tunc derelicta est, ut dicemus anno sequenti ubi et fundationem Olmucensem prosequemur.

Domus postea intra muros Olmucenses translata.

JESU CHRISTI

ANNUS 1389.

Urbani PP. VI	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Car.
Ann. 12.	Ann. 306.	Ann. 23.

URBANISTARUM DECRETA CAPITULARIA.

I. OCTOGESIMUS nonus post mille trecentos adest annus, Indictione duodecima, quo Patres Urbanistæ multa ad tollendos abusus sanxere. Et primum cum audissent plures schismatis obtutu ad Clementinos transire, ut Urbani præceptum prævenirent eos tanquam desertores ac votifragos ad carceres condemnant tali decreto : « Cum multi fugitivi et apostatæ Ordinis, quod dolentes referimus, gyrovagantur per mundum in præjudicium et vituperium Ordinis nostri et in præjudicium animarum ; et, quod pejus est, Priores dicti Ordinis nostri per quos hujusmodi transeunt, nullo zelo rectitudinis accenduntur, sed eos libere abire permittunt : ideo ordinamus expresse et injungimus omnibus et singulis Prioribus dicti nostri Ordinis, ut quandocumque et quotiescumque dicti pestiferi per eorum Domos vel loca vicina transeunt, eos capere juxta eorum posse procurent et incarcerent, ad Domorum suæ ultroneæ professionis expensas. » Cumque anno præterito prohibuissent (quod alibi referimus) ne ullus in quavis Religione professus ad nostrum reciperetur Ordinem, « declarant propter aliquorum dubitationem, præfatam prohibitionem seu constitutionem de omnibus Religiosis tam Mendicantibus quam claustralibus seu regularibus debere intelligi, quia lex quæ generaliter loquitur, generaliter debet intelligi ; et amodo in novis constitutionibus in titulo de diversis Institutis hæc ad

Qui ad aliam Obedientiam transire tentant, puniuntur.

rei memoriam adnotetur. » Hujus generalis omnium cujuscumque Ordinis Religiosorum rejectionis vera causa est, quod plerique hujusmodi hominum (prout frequentior nos docet experientia) ad sui status mutationem magis animi levitate quam sincero vitæ austerioris desiderio feruntur ; nostros etiam juniores Monachos in simplicitate cordis educatos et ambulantes, ad eamdem inconstantiam suo exemplo suisque susurris sæpissime conantur impellere : quod etiam his temporibus accidisse licet conjicere ex eadem Charta quæ statim post præfatam declarationem subjungit :

Horum qui ante XX ann. sunt professi, valida est professio ;

« Præterea, quia sunt quidam in Ordine nostro, qui diabolica fraude decepti ac minus stabiles in laudabili proposito quod voluntarie susceperunt, asserentes infra vicesimum annum ætatis suæ se professionem fecisse, et sic indebite et contra Ordinis Statutum quod incipit : Pueros et adolescentulos non recepimus, etc., ac Ordini nostro specialiter non obligari; non attendentes antiquissimam ejusdem Ordinis nostri consuetudinem, in cujus contrarium hominis memoria non existit, qua juvenes circa XVII et XVIII annum et ultra ad Ordinem recipi consueverunt ; et ideo ad auferendam omnem perversitatis adinventionem, præsenti constitutione confirmamus et ratificamus et approbamus omnes et singulas professiones in prædicto nostro Ordine, in quibuscumque monasteriis, in profitentium ætate infra XX annum hactenus factas : quanquam et SS. in Christo Pater et Dominus, Dominus Urbanus, divina Providentia Papa VI, per suam propriam bullam confirmaverit et approbaverit hujusmodi professiones in Ordine nostro factas et in posterum faciendas. Ordinantes expresse quod quicumque de cætero hujus rei causa suo Priori vel Conventui molestus fuerit, post tertiam admonitionem, si se emendare noluerit, carceri mancipetur ad Ordinis voluntatem. » Bulla Urbani, de qua loquuntur Patres, paulo ante cœtum obtenta fuerat; quam anno sequenti, Urbano jam defuncto, in comitiis apud Montellum habitis promulgarunt ut sequitur :

summo etiam Pontifice confirmante,

« Ad obviandum præjudiciis Ordinis et animarum indem-

ANNUS 1389

nitatibus consulendum, maxime circa instabilitatis morbum quo in sancto proposito plerique minus fundati laborare noscuntur, asserentes se nequaquam fore eidem nostro Ordini obligatos, suamque professionem non valere, nec etiam a primo valuisse, cum ad præfatum nostrum Ordinem infra tempus ætatis, videlicet 20 annorum, eam fecerint, prout in nostris Constitutionibus cavetur : dudum ab Ordine fuit super hoc felicis recordationis Domino Urbano VI Papæ humiliter supplicatum, qui de benignitate Apostolica eidem nostro Ordini privilegium concessit, tenoris et continentiæ subsequentis : Urbanus episcopus, servus servorum Dei, etc. ; dilectis filiis Priori et Fratribus Cartusiensis Ordinis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolicæ servitutis nobis injunctæ desuper officium mentem nostram incitat et inducit, ut circa ea quæ pro statu prospero Ordinis vestri et personarum sub religionis habitu vacantium in eodem, pro studio piæ vitæ, necnon ad perseverantiam divini cultus opportuna fore conspicimus, operosis studiis intendamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod licet in institutis ejusdem Ordinis caveatur expresse ut nullus eumdem Ordinem profiteri, vel ad professionis emissionem per Priorem pro tempore (et Fratres Ordinis prædicti) nisi saltem in vicesimo suæ ætatis anno constitutus fuerit, possit admitti; tamen multæ personæ quæ nondum hujusmodi vigesimum ætatis suæ annum attigerunt, eumdem Ordinem causa devotionis ingressæ, ipsum tamen alias rite et juxta ipsius Ordinis morem in diversis Domibus et locis ejusdem Ordinis professæ sunt et adhuc morantur in illis, et quædam aliæ personæ quæ etiam ætatem ipsam non attingunt, eumdem Ordinem ingredi et illum profiteri desiderant, si ad id licentia Sedis apostolicæ accedat. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, vos personas Ordinis hujus quæ vicesimum ætatis suæ annum non attingunt, et quæ Ordinem ipsum ingredi et illum profiteri desiderant (ut præfertur), ad emittendam professionem hujus admittere, sana conscientia, obstantibus institutis hujusmodi nequeatis : pro parte vestra

Bulla specialiter ad hoc concessa.

nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis et personis ejusdem de opportuno remedio super hoc providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationi inclinati, volumus et autoritate præsentium declaramus quod emissiones hujusmodi per quascumque personas, etiam quæ hujusmodi vicesimum annum non attigissent tempore quo professiones easdem emiserunt, et ad illas per vos receptæ fuerint, necnon receptiones ipsæ hactenus factæ perinde valeant, et personæ ipsæ per hujusmodi emissiones professionis eidem Ordini obligatæ, in eo remanere libere et licite possint ac debeant, ac si dum hujusmodi professiones emittebant et ad illas emittendas admissæ fuerant (ut præfertur) hujusmodi annum vicesimum ætatis earum attigissent; vobisque et successoribus vestris, ut etiam quascumque alias personas quæ de cætero dictum Ordinem ingredi et illum profiteri voluerint ad profitendum ipsum Ordinem, licet in hujusmodi vicesimo ætatis suæ anno non fuerint constitutæ, dum tamen octavum decimum vel decimum nonum annum hujusmodi ætatis suæ tempore quo hujusmodi professionem emittere voluerint attingant, ad profitendum eumdem Ordinem admittere valeatis autoritate prædicta nihilominus indulgemus, institutis hujusmodi necnon constitutionibus Apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Datum Romæ apud sanctum Petrum, calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo, 1389. »

ANNUS 1389

Admonentur Priores et Officiales.

Deinde hortantur imo et ordinant « quod de cætero Priores non sint proni ad exeundum terminos Domus suæ sine evidenti et legitima causa, sed negotia quæ possunt per alios commode et fideliter expediri, aliis expedienda committant. Statutum quoque quod loquitur de mantica portanda quando Priores equitant inviolabiliter observetur, alias qui contra fecerint per personas Ordinis Capitulo generali denuntientur. » De privatis vero disponentes, « concedunt cuidam Procuratori quod quando habet ascendere montem monasterio junctum, possit equitare propter difficultatem ejus as-

ANNUS 1389

census. » Hinc patet laudabilem consuetudinem adhuc viguisse qua Procuratores sua negotia pedites obibant. Præterea « declarant quemdam qui Conversorum habitum susceperat in Domo Vallis S. Antonii in Hungaria non obligari Ordini, nec esse Conversum, uxore manente in seculo, nisi esset tantæ senectutis quod de eo suspicio incontinentiæ nulla esset; consensu nihilominus dictæ uxoris ejus ad Religionis introitum mediante. » Biennio post, idem Conversus, inscio Ordine, summum Pontificem Urbanum adiit a quo licentiam inter Nos perseverandi a Nostris denegatam obtinuit. Unde per Chartam « declarant F. Nicolaum Conversum licite fecisse professionem, si de uxore sua quondam continentiam promittente, et per Diœcesanum legitime antequam ipse intraret Ordinem separata, propter magnam senectutem et decrepitam ætatem nulla penitus suspicio incontinentiæ præsumitur nec habetur. Insuper facimus gratiam dicto Nicolao de disciplina sua, ex eo quod Romanam curiam sine speciali licentia intrare præsumpsit. »

De Domo Vallis Josaphat iterum agitur.

De nova prope Olomutium in Moravia plantatione quam anno superiori inchoatam diximus, sic in hac Charta disponunt : « Priori Domus Vallis Josaphat non fit misericordia, et committimus Prioribus Portæ et Brunnæ quatenus personaliter se transferant ad eamdem Domum, et videant diligenter in quo loco monasterium debeat fundari et ædificari ; et secundum eorum arbitrium, locus dicti monasterii erigatur. De quorum consilio et voluntate, quidquid ad structuras pertinet præfatus Prior viam faciet et disponet. » Verum quia Episcopus Litomislensis recens electus ægre ferebat suam diœcesim Cartusiensibus privari, Domum Rubi quam sui antecessores adorti fuerant perfecturum se promittebat; eidem Priori Vallis Josaphat cura et regimen illius destitutæ cartusiæ per eamdem Chartam committitur, ac præterea Diffinitores, innovata utriusque Domus unione, consentiunt restaurationi Rubi B. Mariæ, modo novum nancisceretur fundatorem. Extant hujus consensus Literæ sedente Capitulo generali datæ in hanc formam :

« Frater Joannes humilis Prior majoris Domus Cartusiæ, necnon cæteri Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cartusiensis, notum facimus tenore præsentium universis, quod quia translationem Domus Rubi ad Domum Vallis Josaphat nostri Cartusiensis Propositi, justis et rationabilibus causis legitime factam, per diffinitionem generalis Capituli confirmavimus finaliter et approbavimus: autoritate ejusdem generalis Capituli nunc diffinitione declaramus, quod omnes facultates bonorum et rerum in grangiis, villis, censibus, hominibus, incolis, agris, silvis, piscinis, ad dictam Domum Rubi hactenus incorporatis, cum omnibus aliis rebus, sive ad ritum ecclesiasticum in libris vel ornamentis aliis, sive ad hospitalitatem seu domesticam sustentationem in pecudibus vel pecoribus, et generaliter in quibuscumque rebus consistant, mobilibus vel immobilibus, nihil excipiendo, ipso facto cum eadem Domo translatis ad eamdem Domum Vallis Josaphat spectant et pertinent, et ex nunc perpetuis temporibus sine quorumlibet contradictione pertinebunt. Nulli igitur sive nostri Ordinis sive alterius conditionis personæ, huic generali nostræ ex justo ordinationi contraire liceat; et si secus attentatum fuerit qualitercumque, ipso facto sit irritum et inane. Salva tamen hac præsenti ordinatione nostra, non prohibemus, si salvo moderamine, aliquam partem facultatum prædictarum in diœcesi Luthomislensi habitarum, Prior et Conventus prædictæ Domus Vallis Josaphat etiam de consensu *Fundatoris* sui ad prædictum locum Rubi sponte obtulerint et libenter dimiserint, sine sui gravi dispendio ; in casu tamen si idem locus, successu temporis per aliquem certum fundatorem, disponente Domino, procederet perficiendus ; addito etiam si idipsum generale Capitulum legitime admitteret et approbaret in futurum. In cujus rei testimonium sigillum Capituli generalis manu Prioris Cartusiæ præsentibus est appensum. Datum Florentiæ præsidente generali Capitulo, anno Domini 1389, V Idus Junii. »

ANNUS 1389

Bona Rubi Mariæ huic novæ cartusiæ uniuntur.

Si autem Fundatorem habuerit, Domus Rubi denuo incoli poterit.

Fundator in his Literis sine nomine memoratus, ipse est Judocus marchio Moraviæ quem nostri Vallis-Josaphatei,

ANNUS 1389

licet sua debeant exordia Domui Rubi, primarium nihilominus fundatorem agnoscunt (cui et Procopium fratrem ejus addit Balbinus), Joannis fundatoris cartusiæ Brunensis filium; qui non modo locum ubi primum constructa fuit Domus, sed et multa alia bona contulit ac tanta etiam contulisset quanta necessaria fuissent ad sufficientem unius conventus Ordinis sustentationem, si Domus Rubi instauratorem habuisset.

Generale Capitulum in Domo de Montello indicitur.

Denique ordinant Patres Urbanistæ ad majorem venientium commoditatem, quod « de cætero singulis annis in Domo Montelli nostri Ordinis prope Tarvisium, generale Capitulum celebretur; committentes Priori et Procuratori dictæ Domus Montelli quatenus ædificia necessaria juxta eorum possibilitatem studeant reparare; ad quod Capitulum omnes Priores justo impedimento cessante, studeant tempore debito convenire. Priores vero qui ad dictum Capitulum venire non poterunt, mittant taxam Capituli (hoc est, tres florenos et unum pro Procuratore Ordinis) ad Visitatores Provinciæ suæ. » Hactenus ex decretis Urbanistarum.

Clementinorum Ordinatio.

Rebus vero inter Clementinos satis prospere procedentibus, unica in eorum comitiis pronuntiata fuit ordinatio qua suos a bonorum cupiditate et accumulatione arcere student. « Injungimus et districte præcipimus quod amodo nulla persona Ordinis procuret quamcumque unionem beneficiorum quorumcumque Ordini faciendam, absque licentia Diffinitorum. »

STEPHANUS MACONUS AD CARTUSIAM MEDIOLANENSEM DESTINATUR.

II. Per id tempus Joannes Galeatius, Mediolanensium Princeps, quem jam anno superiori vidimus bini Cartusiensium monasterii ædificationem meditantem, per literas Johannotum Florentiæ Priorem et pro Generali Urbanistarum gerentem se, rogat ad cartusiam Mediolanensem a majoribus suis constructam regendam Stephanum Maconum cartusiæ Pontinianæ tum præsidentem destinari, cujus religionis et virtutis excitus fama, cupiebat eo simul ad rem cultumque cœnobii augendum, simul ad publicum vel præcipue bonum promovendum avidissime uti. Annuit Johannotus. Ipseque Stephanus, omni abjecta cunctatione Primores urbis Senensis

adiit (ita enim habebat in mandatis), quibuscum gravissimis de rebus locutus quæ e re communi ducebat, has ad Principem ipsum Mediolanensium ab eis reportavit literas, quibus eximie ostendunt quam charus eis esset vir religiosissimus quantique eum æstimarent : ANNUS 1389

« Illustrissime Princeps ac magnifice Domine, et Pater noster colendissime, præmissa cum omni debita reverentia, salutatione. Postquam audivimus quod excelsa Dominatio vestra valde desiderabat apud se habere honestum virum ac venerabilem Religiosum fratrem Stephanum Cartusianum civem nostrum, lætati sumus, existimantes hoc a vobis provenire ex magna, quam ad nos et civitatem nostram geritis affectione. Et nos omnem diligentiam adhibuimus, ut quam primum ad excelsum conspectum Dominationis vestræ veniret. Cujus religiosi hominis a nobis discessum quamquam molestum judicamus propter ejus virtutes, et maximam probitatem nobis bene cognitam; tamen ut in omnibus Dominationi vestræ complaceamus, duximus posthabere quæ ab ipso fratre Stephano in utilitatem hujus civitatis commoda exibant quotidie; qui et nobis omnibus carus erat : sperantes illum Dominationi vestræ plenarie satisfacturum. Plura cum illo locuti sumus vobis insinuanda, ad pacem et gloriam hujus civitatis vobis valde devotæ. Fiduciam bonam gerimus quod favorabiliter in omnibus fidem illi habueritis. Deum oramus, ut Dominationi vestræ concedat augmentum felicitatis et pacis. Datum Senis, 22 Junii 1389. Priores et officiales Populi et Communis civitatis Senarum. » Vita Steph. Lib. II, c. 10.

III. Haud ita multo post, Urbanus summus Pontifex cum sedisset annis undecim, mensibus sex et aliquot diebus, obiit Romæ Idibus Octobris, ut constat ex Charta Capituli generalis anno sequenti apud Montellum habiti, per quam ei monachatus plenus conceditur sub eadem die. Tanta vitæ privatæ austeritate fuisse Urbanum ferunt, ut mores et consuetudines Cartusiensium, quantum officii pastoralis munera patiebantur, imitaretur. Unde quamdiu vixit in supremo Pontificatu aliquem Nostrum sibi socium privatim semper adjunxit.

URBANUS PAPA MORITUR.

Walsingh. in Ricard. II.

Bzov. ad hunc ann. n.3.

Moribus vere Cartusianus.

ANNUS
1389

In Cosmod. Ætat. VI, c. 81.

Aliquot ante suum obitum mensibus, plura ad augendum fidelium pietatem sanxerat, quorum duo præcipua, quæ etiam a Nostris postea observata sunt, Gobelinus Persona sic recenset : « Primum fuit quod annus Jubilæus per Clementem VI de centesimo ad quinquagesimum annum deductus, deberet temporibus inde futuris de trigesimo tertio in trigesimum tertium observari in honorem triginta annorum quos Christus inter homines conversatus est. Et statuit quod annus Nativitatis Domini tunc proxime venturus, videlicet 1390, deberet esse Jubilæus, et deinceps annus trigesimus tertius semper deberet esse Jubilæus. » Alterum quod sanxit Urbanus fuit festum Visitationis B. Mariæ virginis, « quod statuit crastino octavæ S. Joannis Baptistæ, singulis annis celebrari, ut beata Virgo suis precibus Ecclesiæ unionem reformare et reformatam conservare dignaretur. » Tertium, addit Gobelinus, circa festum Corporis Christi ab Urbano decretum quod nostro statui minus conveniens a Nostris prætermissum est; de duobus prioribus dicemus anno sequenti.

Bonifacius IX eligitur.

Urbano successit Petrus Thomacellus presbyter cardinalis, Romæ electus quarto Nonas Novembris et coronatus tertio Idus ejusdem mensis, sibi impertito nomine Bonifacii noni. Statimque volens suam erga Cartusienses benevolentiam declarare, postera die quam inauguratus fuerat bullam jussit scribi, qua personis nostri Ordinis majora suarum ecclesiarum altaria visitantibus, easdem Jubilæi impertitus est Indulgentias quas cæteri Catholicorum Romam proficiscentes promerituri erant. Hanc bullam, licet ut diximus data sit hoc anno, ad sequentem tamen, quo tantum post comitia generalia promulgata fuit, exscribendam differimus.

BURGUNDIÆ DUX NOSTROS FLANDRENSES AD CLEMENTEM VII TRAHERE NITITUR.

Haræus, Annales ad ann. 1389 et seqq.

IV. Inter hæc, Philippus Audax, Burgundiæ dux, cum Clementem septimum una cum Rege Franciæ Avenionem profectus invisisset, in Flandriam reversus, subditos suos, quos ante quinquennium Universale Concilium petiisse vidimus, variis modis conatus est ad partes Clementis traducere. Sed illi, numeratis sexaginta millibus nummorum, eam molestiam redemerunt, tacuitque Dux illa de re ad tempus. Sed

biennio post, non cessavit autoritate, gratia, minis, potentia, allicere, trahere, cogere Flandros, et imprimis ipsos Cartusienses in suam opinionem, ut ex Urbanistis (sic enim etiam post Urbani mortem dicti sunt Pontificis Romani sectatores) Clementini fierent, multosque ad hoc perduxit, compluribus tamen alio commigrantibus, ut post biennium dicemus.

ANNUS 1389

Meyer. ad annum 1390.

V. Circa hunc annum, die 13 Aprilis, decessit Nicolaus Helminey monachus Majoris Cartusiæ professus, et quondam Prior Domus Antwerpiensis, in cujus Calendario dicitur « multa bona scripsisse tam in Domo Antwerpiensi quam in matre Cartusia. » Unde conjicio eumdem esse quem Petreius vocat Nicolaum Gelmineum, natione Helvetium, patria Constantiensem, cui Herbipolenses Cartusienses tribuunt tractatum cui titulus *Formula spiritualium Exercitiorum,* sive Meditationum, in gratiam Novitiorum conscriptum, in-quarto, anno 1567. Sed videtur Petreius annum talem signando, tempus dare impressionis non scriptionis.

OBITUS NICOLAI HELMINEY.

JESU CHRISTI

ANNUS 1390.

Bonifacii PP. IX Ann. 1.	Ordin. Cartus. Ann. 307.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 24.

CLEMENTINORUM CŒTUS GENERALIS.

I. ANNO nonagesimo post millesimum trecentesimum Indictione decima tertia inchoato, Clemens Avenione consistens, bullam dedit inter privilegia Ordinis editam, qua Domum S. Crucis in Jaresio eximit a solutione decimarum de possessionibus præsentibus et futuris, vel de animalibus, sive etiam de possessionibus quas secularibus tradent eorum sumptibus excolendis; præterea renovavit idem Pontifex omnes Indulgentias annis præteritis concessas. Præsentis Capituli generalis Diffinitores aliam Indulgentiam, qua septem annos et septem dierum quadragenas Clemens largitus fuerat, iisdem verbis quibus anno 1388 fuerat promulgata, significarunt.

Extat inter Privil. Ordin. n. 100.

In eadem Charta recensetur mortuus « R. P. dominus Cardinalis Ebredunensis, summus Pœnitentiarius, habens tricenarium defunctorum. » Vocabatur Petrus de Sarcenas, quem anno 1371, sub nomine Archiepiscopi Ebredunensis, Patres tanquam singularem Ordinis benefactorem commendarunt; obierat XVI Augusti anno superiori, non vero præsenti ut habent Sammarthani; sin minus enim non potuisset denunciari in Charta hujus anni. Et iterum anno sequenti denunciatur cum pleno monachatu, sub die XV Augusti, et ibi nomen ejus sic ponitur : « Petrus Sabinensis, episcopus Cardinalis »; nisi forsan duo fuerint, ut Ughellus intendit.

In Archiepp. Ebredunens.

Ital. sacr. I, in Episc. Sab.

Magnifici viri domini Petrus de Ordeomonte * et Amedeus

* Orgemont.

de Mota milites, Ordinis nostri amici, habent tricenarium defunctorum in eadem Charta, ubi et tricenarium de Spiritu Sancto injungitur « pro domino Ludovico rege Siciliæ, et ut Deus iter suum et facta prosperare faciat. » Is est Ludovicus II Andegavensis, qui hoc anno, adulta ætate, e Provincia cum classe Neapolim appellens, devicto Ladislao, totum fere regnum occupavit. Annis 1393 et 1394 rursum commendatur, sed posthac nulla apud Nos ejus occurrit mentio.

An Humb. de Montecanuto Archiepiscop. Vienn. fuerit Cartusianus ?

In Archiep. Viennens.

Eodem anno, sub obedientia Clementis, Humbertus de Montecanuto, vetusta familia de Mont-chenu prognatus, archiepiscopus Viennensis obiit, cujus obitus in Calendario cartusiæ Portarum legitur Idibus Augusti. Hunc Cartusiensem monachum aliquando induisse primus omnium scripsit noster Molinus. Eum appellatum fratrem Humbertum in Actis consistorialibus Vaticani, jamque dignitate Metropolitani nobilitatum fuisse anno 1376 asserunt Sammarthani, sed nihil præterea in nostris documentis ad adstruendam illius inter Nos professionem reperiri fatemur, nisi quod anno 1387 per aliquod temporis apud Portas degebat, ubi et præsens fuit aliquot Instrumentis eodem anno in gratiam Monachorum ejusdem cartusiæ datis.

Denique in his Majoris Cartusiæ comitiis unica legitur edicta ordinatio quæ talis est: « Prohibemus omnibus personis Ordinis ne amodo petant licentiam visitandi parentes suos carnales aut quoscumque alios, propter pericula quæ hactenus acciderunt et scandala quæ emergere possent. »

URBANISTARUM COMITIA.

Ex ms. Domus Florent.

II. Juxta edictum in comitiis Florentinis anno superiori promulgatum, Patres Urbanistæ ad cartusiam Montelli prope Venetias coeunt, ac primum novum Pontificem his verbis commendant : « Pro SS. in Christo Patre Domino nostro, Domino Bonifacio nono, et ut Deus cunctos rebelles et schismaticos prosternat sub pedibus ejus, et Ecclesiam suam sanctam Catholicam ad unitatem reducat, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto », et cætera ut fiebant sub Urbani temporibus. Deinde de consequendo Jubilæo quod anno superiori ab Urbano institutum vidimus hæc declarant :

ANNUS 1390

« Notum facimus per præsentes quod Beatissimus in Christo Pater et Dominus, Dom. Bonifacius divina Providentia Papa IX, ex Apostolica benignitate concessit omnibus et singulis personis Ordinis nostri professis gratiam et Indulgentiam Jubilæi; videlicet quod unaquæque persona nostri Ordinis contrita et confessa de peccatis suis, 15 diebus successive omni die semel eundo ad altare majus monasterii sui, ibique genibus flexis semel dicendo *Pater noster* et *Ave Maria*, illam Indulgentiam et gratiam consequatur quam peregrini euntes Romam consequantur tempore Jubilæi. Et quia gratia dictis personis Ordinis (ut prædicitur) concessa, nullam habet efficaciam seu Indulgentiæ veritatem nisi prius de hoc bulla specialiter conficiatur, prout per dictum Dominum Papam nuper exstitit declaratum et ordinatum : ideo sub præcepto obedientiæ injungimus omnibus et singulis Prioribus et conventibus nostri Ordinis prædicti, quatenus infra duos menses a recepto præsentium, unum florenum pro confectione dictæ bullæ uni de Visitatoribus suæ Provinciæ vel Domno Cartusiæ dictorum Priorum quilibet mittere teneatur cum effectu; alias non mittentes dictum florenum pro expensis prout dicitur dictæ bullæ, ex nunc prout ex tunc tam ipsi quam eorum Conventus sciant a dicta Indulgentia et gratia esse se vacuos et alienos. Domnus autem Cartusiæ dictam bullam sine temporis dilatione procurabit habere; qua habita, ipsius copiam ad Visitatores Ordinis destinabit. »

Ordinatio de Jubilæo.

Ubi igitur hanc bullam, jam anno præterito ut diximus scriptam, Robertus Prior Romanæ cartusiæ ac generalis Procurator, ad Bonifacium cum Stephano Macono, post comitia legatus, ex formula expeditam recepit, eam ad Johannotum et ad omnes Domos misit. Apographum illius ad quemdam Visitatorem a Marco Paruta Veneto, nostri Ordinis singulari benefactore, cum schedula missum, hunc habet tenorem : « V. Pater, mitto vobis copiam bullæ Jubilæi, sicut ordinavit mihi R. P. Domnus Cartusiæ. Notificetis circumstantibus vestris. Dominus vos conservet. Datum Venetiis die 26 Septembris per vestrum filium Marcum Parutam. » Sequitur bulla :

ANNUS
1390

Bulla ejusdem Jubilæi.

Recitatur in Chart. Capit. Gener. hujus anni.

« Bonifacius, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Sacræ Religionis, sub qua dilecti Filii Priores et Patres ac aliæ personæ Ordinis Cartusiensis devotum ac sedulum exhibent Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis eorum illa præsertim quæ ad salutem animarum ipsorum cedere valeant, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus Papa VI, prædecessor noster, ex certis rationabilibus causis ad id ejus animum moventibus, de consilio Fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium de quorum numero tunc eramus, et Apostolicæ potestatis plenitudine, statuit ut universi Christi fideles vere pœnitentes et confessi, qui ab anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi 1390 proxime futuro, perpetuis de triginta tribus annis in triginta tres annos, apostolorum Petri et Pauli basilicas et Lateranensem et S. Mariæ Major. ecclesias de Urbe, causa devotionis visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequerentur : ita videlicet ut quicumque velit hujusmodi Indulgentiam assequi, si Romanus, ad minus 30 diebus continuis vel interpolatis, semel saltem de die; si vero peregrinus aut forensis existeret, modo simili, quindecim diebus ad easdem basilicam et ecclesias accedere teneretur, prout in dicti Prædecessoris Literis inde confectis plenius continetur. Cum autem exhibita nobis nuper pro parte prædictorum Priorum et Fratrum petitio, continebat quod nonnulli ex eisdem Prioribus, Fratribus et personis prædicti Ordinis ferventer desiderent basilicas et ecclesias prædictas, ut hujusmodi Indulgentiam assequi valeant personaliter visitare; sed propter observantiam silentii et aliarum cæremoniarum dicti Ordinis, hujusmodi eorum desiderium hac in parte nequeant commode adimplere : pro parte ipsorum Priorum et Fratrum et personarum, fuit nobis humiliter supplicatum ut providere ipsis super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes eosdem Priores et Fratres et personas favore prosequi gratioso, hujusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis Prioribus et Fratribus ac personis prædictis

Modo speciali Cartus. concessa,

ob peculiarem nostram silentii et solitudinis observantiam.

ANNUS
1390

vere pœnitentibus et confessis, autoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus ut ipsi et eorum quilibet, qui triginta diebus continuis vel interpolatis infra dictum annum proxime futurum, loco visitationis basilicarum et ecclesiarum prædictarum, altare majus situm in ecclesia loci in quo prædicti Priores et Fratres ac personæ sunt degentes, saltem semel in die visitaverint, et ibidem devote orationem Dominicam et salutationem Angelicam dixerint, perinde præfatam Indulgentiam assequantur, quasi basilicas et ecclesias de Urbe prædictas personaliter visitarent. Nulli ergo omnino... Si quis autem.... Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idus Novembris, Pontificatus nostri anno primo. »

Solemnitas Visitationis B. V. Mariæ instituta.

Posthac, festum Visitationis B. Mariæ ab Urbano etiam institutum et a Bonifacio confirmatum, per totum Ordinem celebrandum promulgatur in hunc modum : « Item cum felicis recordationis Dominus Dominus Papa Urbanus VI ad Beatissimam Virginem specialissima devotione affectus, festum Visitationis B. Mariæ ordinaverit, statueritque dictum festum in festo Processi et Martiniani per omnes ecclesias celebrandum : ideo nos *peculiares servi* ejusdem Beatissimæ Virginis a qua speciale patrocinium flagitamus et firmiter speramus habere, ordinamus quod præfatum festum Visitationis B. Mariæ in jam dicto festo Processi et Martiniani singulis annis per totum nostrum Ordinem cum candelis et refectorio solemniter celebretur. Et quia officium dicti festi ordinatum ad præsens mittere non valemus, in sequenti Capitulo, procurante hoc Archiepiscopo Pragensi, singulis Visitatoribus provinciarum ejusdem nostri Ordinis assignabitur dictum officium seriatim et perfecte completum, cum omnibus Capitulis et Lectionibus, responsoriis et versiculis et Offertorio et cæteris ad dictum festum pertinentibus, per eosdem Visitatores singulis Domibus Provinciarum suarum fideliter transmittendum. » Anno vero sequenti, eodem decreto confirmato, quale sit officium hujus solemnitatis significatur : « Constitutionem quæ incipit : Cum felicis recordationis, Dominus Dominus Papa Urbanus VI, ad B. Vir-

Ejusdem B. Virginis Cartusiani peculiares servi.

ANNUS 1390

ginem specialissima devotione affectus, etc... confirmamus et approbamus; ac volumus quod dicatur officium prout officium Nativitatis ejusdem, nomine Nativitatis in nomen Visitationis mutato : hoc solum excepto quod evangelium *Exurgens Maria,* cum homilia B. Ambrosii in dicto officio decantetur. » Sed anno 1393 extenditur hujusmodi solemnitas ad Octavas : « Ad laudem et gloriam B. semper V. Mariæ, cujus meritis et intercessione Ordinem nostrum conservari et ad pristinam unitatem reduci speramus, confirmamus ordinationem factam in Capitulo generali anni 1391 et anni 1392 de festo Visitationis ejusdem per totum Ordinem solemniter celebrando; adjicientes quod ob præceptum Apostolicum et Indulgentiam consequendam, infra Octavas ejusdem omni die de ipsa solemnitate celebretur in Conventu, eo ritu quo infra Octavas Corporis Christi celebrari est institutum. »

Quodnam sit adhibendum officium?

Post schismatis extirpationem et nostri Ordinis conciliationem, concessum fuit ut quælibet Domus Ordinis morem suæ Diœcesis circa hujus festi celebrationem sequeretur, ita ut quæ sitæ erant in Diœcesibus ubi non receptum erat, hoc minime colerent. Nec per universum nostrum Ordinem admissum fuit usque ad annum 1468. At de his postea suis locis agemus.

Patribus Anglis conceditur officium SS. Trinitatis,

Præter hanc celebritatem per omnes hujus obedientiæ Domos ducendam, Patribus Anglis solemne SS. Trinitatis officium dicendi ac singulis hebdomadibus memoriam B. V. Mariæ celebrandi licentia conceditur. « Item ad maximam instantiam omnium Priorum Provinciæ Angliæ, concedimus eisdem Prioribus et Conventibus dictæ Provinciæ quatenus singulis annis, in Octavis Pentecostes festum Sanctissimæ Trinitatis cum propria historia; et singulis hebdomadibus commemorationem Beatissimæ Virginis licite possint et debeant in eorum Domibus celebrare, secundum formam et regulam per eosdem nostro generali Capitulo præsentatas.» Duo in hac licentia notanda sunt. Primum, non agi de festo Sanctissimæ Trinitatis recens celebrando, quandoquidem

ANNUS 1390

Antiq. Statuta, I. P. cap. XIX. n. 10, 11.

per totum Ordinem jam colebatur tempore conditorum Statutorum Antiquorum; sed tantum de speciali ac proprio Officio, quod hæc verba « propria historia » denotant : nam antea, præter Missam de SS. Trinitate, officium Horarum fiebat de Octavis Pentecostes, ut constat ex Statutis Antiquis et veteribus Breviariis ms. Alterum quod in hac licentia observandum est, versatur circa hæc verba « commemorationem B. Virginis celebrare », quæ etiam de officio intelligenda puto singulis hebdomadibus persolvendo; ita enim audivi apud quosdam Religiosos observari, qui singulis sabbatis, dimisso feriali officio, Horas Canonicas de Sancta Virgine recitant.

et Commemoratio B. Virginis.

Electio Rev. Patris Joannotti in Priorem Cartusiæ,

In his etiam comitiis, quia post Urbani mortem aliquod dubium in quorumdam anxie Religiosorum mentibus exortum fuerat super electionem Joannoti, in Priorem Cartusiæ jussu et autoritate ejusdem Pontificis quondam (ut suo diximus loco) factam; Diffinitores omnium adstantium Priorum consensu, ad omnem penitus scrupulum evellendum, de integro eum deligunt tali decreto : « Ad omnem ambiguitatis vel dubietatis scrupulum removendum, qui in aliquorum cordibus posset forsitan exoriri super electione Domni Cartusiæ, Prioris nostri Domni Joannis, Prioris Cartusiæ, Romæ celebrata : ideo nos omnes Diffinitores quorum principaliter interest atque alii Priores in eodem Capitulo congregati, nemine penitus discrepante, unanimiter et per modum et per viam inspirationis Spiritus, eumdem Domnum Joannem de novo eligimus in Priorem dictæ Domus Cartusiæ, omni via, modo et jure quo possumus meliori, necnon autoritate privilegiorum nostri Ordinis ac Capituli generalis; ipsum præficimus et creamus Priorem dictæ Domus Cartusiæ, injungentes omnibus et singulis Prioribus, Rectoribus et Vicariis ac cæteris personis Ordinis prælibati, quod eidem Domno Joanni, Priori Cartusiæ, in omnibus et per omnia obediant ut debitum est et de jure tenentur. Confirmantes insuper autoritate qua supra, omnia et singula per ipsum facta, gesta et ordinata in dicto nostro Ordine, a tempore quo ipse ele-

ad sedandos scrupulos,

iterum solemniter confirmatur.

ANNUS 1390

ctus fuit in dicto Capitulo Romæ celebrato; et hortamur ipsum ut patienter ferat onus obedientiæ sibi impositum et propter infirmitates corporis quas patitur, ejus animus non fatigetur. »

Vita Steph. Maconi. Liber II, cap. 11.

Hujus repetitæ electionis meminit Bartholomæus Senensis in Vita Stephani Maconi, statimque hæc subjungit : « Quæ cuncta ingenti omnium accepta plausu omnibusque probata, ad alia pepulere Patres æque ac priora illa rebus Ordinis opportuna. Scilicet ut Conventus universus eamdem nuper denunciato summo Christiani orbis Patri præstarent obedientiam, atque olim præstitere Urbano; ac pias insuper illi statasque attribueret toto Ordine persolvendas precationes, quas quotannis publice privatimque persolvere consueverant Universo sacrorum Antistiti. Quibus rite peractis Stephanus noster deligitur, ut una cum Roberto cartusiæ Romanæ in agro Verano constructæ Priore, eumdem Pontificem adirent, eique totius generalis Patrum conventus nomine debitum obsequium officiumque deferrent; et quæ illorum esset erga eum atque sacrosanctam Romanam Sedem mens atque voluntas, prolixe studioseque exponerent. Pontifex nostris humanissime auditis, eamdem pollicitus est animi propensionem quam suus erga Ordinem habuit Prædecessor; ita ut cum se ferret occasio, nunquam benefica Urbani voluntas ac studium ab eis esset requirendum. Qui Patres tam amplis erecti promissis, opportune tempus advenisse rati reliqua curandi mandata (agendi videlicet de ejusdem cartusiæ Romanæ sede alio transferenda, quod qui Nostrum eam tum incolebant, vix corpore cœli locique gravitatem sustinere poterant), sermonem ea de re commodum inferre coram Pontifice non dubitarunt, cum præsertim eadem postulata alias quondam Ordinem fecisse apud Gregorium hujus nominis undecimum non ignorarent. Pontifex ubi hoc audivit rem magni negotii esse dixit, nec sibi videri in præsentia locum ejus rei transigendæ, cum jam tempus sacri Jubilei celebrandi anni appeteret. Verumtamen bono illos animo esse jussit, fore illi cordi in tempore Ordinis vota pro singulari quam in illum gerebat voluntate. Hic vero memini me legisse in veteribus manu-

De Romana cartusia alio transferenda agitur.

ANNUS
1390

scriptis Monumentis, sæpius pro tempore eodem iterata a Patribus postulata apud insequentes Romanos Pontifices de alia statuenda in Urbe sede nostris idonea muneribus. Sed res immensi quidem impendii, ac proinde magnis implicata difficultatibus, ad præteriti proxime seculi tempora deducta fuit, quibus Pius Pontifex ejus nominis quartus, egregie in Nostros animatus, pro augustissimo Sanctæ Crucis templo in Jerusalem vulgo nuncupato ac cœnobio illi attiguo, Thermas Diocletianas temporis injuria solo fere æquatas, nobis attribuit ad munera Ordinis reducendas. »

Interea in augmentum dotis monasterium de Palatiolo recipit.

Camill. Tutin. Historia Cartusian. ad hunc annum.

Gabr. Pennot, Histor. tripart. Can. Regul.

Manriq. in Annal. Cister. ad ann. 1231.

Morotius. Theatr. P. VI, pag. 271.

ad ann. 1405.

Etsi tunc nihil circa hujusmodi tentatam translationem Nostri sint assecuti, scribunt nihilominus nonnulli Bonifacium hoc ipso anno ad petitionem Nicolai comitis Nolani et Prioris Romanæ cartusiæ, concessisse eidem monasterium de Palazola sive de Palatiolo, in agro Albanensi. Fuerat olim hoc cœnobium pro Benedictinis erectum et abbatiæ SS. Sabæ et Gregorii de Urbe subjectum usque ad tempora Innocentii III, cujus autoritate Religiosis Sancti Augustini traditum fuit. His vero inde paulo post excedentibus, Cistercienses anno 1231 suam illuc Regulam induxerunt et per centum et sexaginta annos professi sunt, donec et ab eis locus penitus destitutus, ad Nostros, ut diximus, transferretur ; non ad novam ibidem, antiqua statione derelicta, condendam cartusiam ut quidam scripserunt, sed solum ad priorem dotem ex ejus bonis amplificandam. Constabit enim ex his quæ de Romana cartusia sæpius in his Annalibus dicenda occurrent, Nostros sedem non mutasse nec pristinum Sanctæ Crucis locum ante deseruisse, quam ad Thermas Diocletianas, ubi modo degunt, a Pio IV traducerentur. Imo inferius videbimus Innocentium VII, Bonifacii successorem, multum pecuniæ dependere in sartis tectis Sanctæ Crucis ædium procurandis. Quod vero spectat monasterium S. Mariæ de Palatiolo, ejus ecclesiam, ne divinis vacua remaneret, Augustinianis Eremitis monasterii S. Mariæ de Populo aliquando Nostri tradere voluerunt; sed hujusmodi optionem ab his recusatam Franciscani admiserunt, ut suis dicemus locis.

Sed prosequamur acta Patrum Urbanistarum qui prohibent ne campanæ apud Nos, tempore Interdicti generalis pulsentur : « Quia audivimus aliquos in Ordine nostro tempore generalis Interdicti, ad Horas nocturnas et diurnas, campanas pulsasse, quod de jure fieri non debet, ideo prohibemus expresse ne de cætero hoc fiat tempore, ut prædicitur, Interdicti. Illi vero qui in hoc offenderunt, absolutionem et dispensationem recipiant a Prioribus suis infra quinque dies a recepta præsentium, quibus Domnus Cartusiæ tribuit plenariam potestatem autoritate privilegii Gregorii IX. »

De non pulsandis campanis Interdicti tempore.

Deinde declarant simoniæ reos, qui pecunias sive munera pro suscipiendis aut impertiendis sacris Ordinibus dant vel recipiunt : « Respondemus, inquiunt, quod dantes vel recipientes pecuniam vel munera pro Ordinibus suscipiendis et conferendis, maxime ex pacto implicito vel expresso, nisi essent esculenta vel poculenta, vel pro labore Notarii quid modicum, simoniaci nostro judicio sunt censendi. Si qui vero nostri Ordinis essent pro receptione sacrorum Ordinum hujusmodi simoniæ vitio involuti, cessent ab executione eorumdem, donec per aliquem de decem Prioribus per Domnum Cartusiæ electis, ac plenariam autoritatem in casibus conscientiæ habentibus, vigore privilegii felicis recordationis Domini Gregorii undecimi, plenarie absolvantur. »

Quod spectat res Domorum speciales quasdam inter multas sic conficiunt : « Committimus Domno Petro Priori Lapidis Refugii quod D. Petrum olim Cisterciensem monachum, professum Domus Vallis S. Antonii, habilitare possit circa officium Prioratus. » Et in Domo Capri conceditur Priori et Conventui quod possint recipere illum monachum alterius religionis ad Ordinem nostrum, possitque profiteri post sex menses, si bene et laudabiliter se habuerit. Quidam vero Donatus Domus Isenacensis, Boco nomine, quia modis et moribus nostri Ordinis se penitus non conformat, ab obedientia Ordinis absolvitur et ab eodem Ordine plenarie liberatur, injungendo Priori et Conventui ut ei dent licentiam abeundi. Et in dispositione cartusiæ Maurbacensis,

ANNUS
1390

Correria Domus Maurbacensis in villulam conversa.

Domus Conversorum quæ etiam inferior in Antiquis Statutis dicitur, propter varia incommoda et maxime animarum pericula, personis Ordinis vacuatur et in villulam convertitur his verbis : « Acceptamus et confirmamus ordinationem factam per Domnum Cartusiæ, quod Domus inferior Vallis Omnium Sanctorum mutetur in grangiam, et personæ Ordinis habitent in monasterio ; quia non decet, nec est laudabile, nec tutum pro animabus, quod inter Domum superiorem et inferiorem sit villa (sive pagus) ubi homines et mulieres diversæ conditionis, ætatis et sexus noscitur habitare. Et ex nunc in ante imponimus silentium Visitatoribus et aliis personis Ordinis super hac materia. » Sic aliquando utile est et necessarium antiquas abolere consuetudines, vel in alias mutare, quando casus id exigit ut in præfata ordinatione apparet.

Preces pro bello Januensium adversus Sarracenos.

Præterea preces instituunt pro sacra expeditione hoc anno in Africam suscepta. « Quia Communitas Januensis facit magnam armatam galearum contra Saracenos perfidos, fines Christianitatis invadentes et multos Christianos captivitantes, ut omnipotens Deus det dictis Januensibus victoriam contra dictos Saracenos operarios iniquitatis, fiat tricenarium Spiritus Sancti, etc. » Ex hac ordinatione arguuntur quidam recentiores qui rem vel ad superiorem annum vel hujus seculi octogesimum octavum referunt. Totam vero Italiam hoc etiam anno Dei flagella sentiisse, colligimus ex eadem Charta quæ denotat Provincias Lombardiæ, Tusciæ et Romæ visitandas esse a Prioribus quos Domnus Cartusiæ ordinabit, « quia propter guerrarum, pestis, maris et viarum pericula, Visitatores per Italiam transire ordinate non possunt. » Nec solum in Italia sed etiam in Austria et Bohemia nostræ Domus damna multa in bellorum tumultibus habuerunt sustinere.

Jubet Capitulum nostros Gemnicenses Archiduci tributum solvere.

Cum Albertus archidux, fundatoris Domus Gemnicensis filius, bello Bohemiis indicto, tributa monasteriis suarum possessionum imposuisset, nostros Gemnicenses immunitatem causatos, tum propter Pontificum et Archiducis privi-

legia, tum maxime quod sperarent Archiducem eos non coacturum petitam pecuniam solvere, pertinacius recusantes ad solutionem Patres hujus Capituli his adhortantur verbis, æternæ Cartusiensium memoriæ commendandis : « Priori Domus Throni non fit misericordia. Et quia *servos Dei non oportet litigare sed patientes esse ad omnes*, non solum damna rerum, sed etiam opprobria personarum cum omni debita humilitate et patientia sustinere, præscribente illa sententia : *Si quis te percusserit in unam maxillam, etc...* et Apostolus commendat Ephesiis et Corinthiis dicens : *Sustinetis enim si quis vos devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit;* dicimus ergo pariter et monemus injungentes ut per vos et per alios amicos Ordinis et devotos, dominum Ducem Austriæ suppliciter deprecemini, quatenus dignetur plantationi et monasterio patris sui vestrisque dispendiis et paupertatibus clementer misereri, sive in totum sive in partem. Si vero præfatus Dux in suo proposito ac voluntate permanserit, de duobus malis eligendum est minus malum : melius est voluntarie persolvere sicut et alii nostri Ordinis jam fecerunt, ac ejusdem domini Ducis devotionem et amicitiam conservare, quam nolentes tribuere ejusdem Domini iram et indignationem incurrere. » Verum cum hoc anno idem bellum sopitum est, verisimile est Nostros ad solutionem ulterius coactos non fuisse, maxime cum alias constet Albertum nostro sæpissime favisse Ordini, a quo propterea per omnes Domos, quamdiu vixit, Nostrorum precibus commendabatur, et post obitum monachatus beneficio tanquam singularis benefactor donatus est.

II Tim. 2, 24.

Matth. 5, 39.

II Cor. 11, 20.

De Domo Rubi iterum tractatur.

Nihil prohibentibus hujusmodi bellorum motibus, Episcopus Litomisslensis suis precibus et promissis adeo Patres Ordinis insectatus est, ut Capitulum generale Domum Rubi, cum omnibus bonis suis a Domo Vallis Josaphat subductis, restitui præceperit per Chartam quæ sic habet : « Habilitamus tenore præsentium Vicarium Domus SS. Trinitatis, Ven. P. Domnum Laurentium, ad omnia officia et beneficia, et præficimus eum in Rectorem Domus Rubi B. Mariæ in

ANNUS 1390

Lutomuschll, et concedimus ei in dicta Domo et personis Ordinis plenam administrationem usque ad duos annos a data præsentium in antea computandos. Ordinantes quod si infra prædictum temporis spatium, Reverendissimus in Christo Pater et Dominus Luldschomol* ad perfectum perduxerit quod per Literas suas modo Capitulo generali intimavit, dicta Domus Rubi privilegiis, immunitatibus, gratiis ac juribus nostri Ordinis gaudeat quibus et cæteræ nostri Ordinis gaudent, et in futuro (Deo accedente) gaudebunt. Alias pro nunc prout ex tunc, ipsam Domum Rubi, possessiones et jura ejusdem ac personas Ordinis ibidem existentes, ad Domum Vallis Josaphat nostri Ordinis declaramus revocandas; integra nihilominus ordinatione anni præteriti de dicta Domo Rubi facta penitus remanente. »

* Litomislensis Episcopus.

Fundatore autem quod promiserat non exsolvente,

Verum Episcopum lente promissa complentem, Patres in comitiis anni sequentis sancta libertate minantur « quod si ea quæ promisit anno præterito circa Domum Rubi facere, usque ad sequens immediate Capitulum generale non impleverit cum effectu, Rector et Monachi et personæ Ordinis universæ dictæ Domus Rubi ad Domum Vallis Josaphat (quæ interim marchionis Moraviæ Jodoci liberalitate multum proficiebat) cum omnibus rebus et utensilibus revertantur. » Anno vero nonagesimo secundo, ad magnam illius instantiam « permittimus, inquiunt, Domum Rubi ad biennium cum personis in statu suo in quo sunt permanere; quo finito, si præfatus Dominus Episcopus realiter non instauraverit eamdem Domum prout iterata vice promisit Capitulo generali, ex tunc Rector cum personis Ordinis revertatur ad Vallem Josaphat cum omnibus rebus prout alias extitit ordinatum. » Nec mentem Nostri mutarunt : Episcopo enim rem inanibus verbis producente, Domum Rubi biennio post penitus dereliquerunt, monachis ad Vallem Josaphat ire jussis, ut fusius tunc dicemus.

Domus relinquitur.

DUX ET DUCISSA MEDIOLANI TICINENSEM CARTUS. FUNDARE PROMITTUNT.

III. Jam vidimus ab annis tribus Joannem Galeatium, Mediolani Dominum, de fundanda nova cartusia cogitasse; sed ille semper novi aliquid moliens, ac propterea variis et

ANNUS 1390

Vita Steph. Maconi. Liber II, cap. 10.

mire implexis negotiis irretitus, sui consilii executionem in dies differebat, cum ecce hoc anno illius uxor mentem illius quasi in hoc opere obdormiscentem hac occasione expergefecit, quam sic narrat Bartholomæus Senensis : « Consueverat eadem Princeps fœmina Catherina, regustata jam sæpius Stephani religione, non solum illum de rebus divinis deque vitæ nostræ muneribus et institutis disserentem audire libenter quoties Aulam adibat, verum etiam ad cartusiam Mediolanensem revolvebatur identidem ; partim ut a beato viro piarum precum pensum exigeret, partim etiam ut Sacris publice interesset. Tradunt enim nunquam hanc heroidem (ejusmodi Religionis flagrantem studiis) suum explere animum posse videri quoad penetralia sui pectoris Stephano aperiret, et quod jam dudum mente volutabat lubens expromeret ; quod vel præcipua hac ratione jam tandem est executa. Accesserat aliquando fœmina præstantissima ad cartusiam mœrore ac sollicitudine plena (instabat enim tempus pariendi), ut piis suis precibus Vir beatus ejus tutelam ac patrocinium apud Deum susciperet quo fœtum effunderet innoxia. Quod si contingeret ex animi sententia, jam tum vovebat sacrum gynæceum de suo construendum curare. Id ubi Stephanus audivit divino continuo Spiritu actus, de rebus divinis sermonem instituit eo pietatis ardore succensus, tantoque animi sensu ac veris gravibusque sententiis, ut fœmina in stuporem acta mirificeque suspensa, priusquam loco excederet, consilium de parthenone condenda in monachorum Cartusiensium asceterium, mutata voluntate converterit. Quod sane mentis cogitatum brevi post tempore, hoc est anno ineunte 1390, ne (ut sunt ferme mulieres) levis sententiæ videretur, ad exactum opus perficere meditantem, subiit in tabulas publicum per tabellionem esse referendum sub formula conditi testamenti in hanc videlicet sententiam. Enimvero si contingeret eam labore partus fato concedere, vir ejus Princeps jure ab ea facti legati, teneretur exædificare in agro Papiensi cœnobium monachorum ex Ordine Cartusiano, eique annuum censum attribuere ad duodecim Monachos alendos. Quod pium præstantissimæ fœminæ legatum

ANNUS 1390

uxorius idem Princeps suum inde faciens, de loco deque ejusdem cœnobii construendi ratione, salva adhuc conjuge, intenta animi cura cogitare aggreditur. Id quo facilius pro voto exequeretur, in consilium sæpe ipse adhibere Stephanum nostrum solitus fuerat, qui occasione opportune usus, rem idoneis urgebat hortatis. »

INITIA DOMUS DE PAULARI IN HISPANIA.

Alfaura, Origin. Cartus.

Mariana, de Rebus Hisp. Lib. V, circa finem, et Lib. XVI.

A quatuor Regibus Castellæ sed diverse fundata,

IV. Hoc etiam anno fundari cœpit cartusia de Paulari B. Mariæ sacra, in regno Castellæ, prope pagum Roscafria in valle Lozoja, inter convicinos urbis Segoviæ montes, ab ipsa civitate quinque circiter leucis versus septentrionem, et duodecim ad meridiem Madrito distans; diœcesi tunc Toletanæ, ut scribit Lucius Morineus, nunc vero Segoviensi subjecta. Nomen habet de Paulari ex prædio ejusdem vocabuli in quo ædificata est. Quatuor Regibus Castellæ fundatoribus gloriatur : quorum primus Henricus II eam solummodo mente concepit; Joannes filius ejus de mandato patris manus operi admovit; Henricus hujus nominis III ecclesiam mirifice perfecit; tandemque Joannes II, consummato in tota perfectione monasterio, patrem et avos fide liberavit. Causa hujus erigendæ plantationis hæc certissima noscitur. Henricus Transtamaræ comes, fratris sui Petri regis Castellæ cognomento Crudelis sævitiam fugiens, ad Joannem Gallorum regem anno hujus seculi quinquagesimo sexto commigravit et sub ejus vexillis adversus Eduardum regem Angliæ strenue se gessit. In cujus belli variis eventibus, pro certiori paranda victoria coactus, evertit nostri Ordinis cœnobium, ut ejus filius Joannes et alii post eum Reges Castellæ in pluribus testati sunt privilegiis quibus hanc suam Domum decorarunt. Qualis autem pugna quodve monasterium illud fuerit non expressere. Eamdem causam referunt Joannes Tamayus, Salazar, Josephus de Valles et alii. Deinde Henricus, Petro fratre in acie prostrato et occiso, Rex renuntiatus est; memorque jacturæ nostri cœnobii, restitutionem quidem meditabatur; sed propter rempublicam præteritis bellis bene quassatam, regiumque ærarium consumptum, toto quo regnavit decennio cogitata perficere non potuit; supremo tandem adveniente

loco cartusiæ ab Henrico II destructæ.

Tamayus Martyrolog. Hisp. Tom. V, ad 6 octobr.

ANNUS 1390

die, anno videlicet 1379, dispositis omnibus mature et sancte quæ ad animam corpusque et regnum pertinebant, speciali mandato Joannem filium et successorem futurum adjurat, ut quamprimum posset obstrictam patris conscientiam liberaret, ejus nomine novam in Castella erigens cartusiam loco eversæ in Gallia substituendam. Suffectus in locum Henrici, Joannes pacificando regno intentus, mandato patris effectum dare per decennium distulit, donec anno præsenti accersito ad se Lupo Martinez cartusiæ Scalæ Dei monacho, olim Domorum Vallis benedictionis et Vallisbonæ Priore ac Provinciarum Aquitaniæ et Provinciæ Visitatore, quem Guillelmus Prior Majoris Cartusiæ ad eum delegaverat, spondet se intra trimestre fundamenta novæ Domus jacturum. Nec mora, adventante divi Jacobi Hispanorum patroni festo, peracta sacrosancta synaxi in templo eidem Apostolo Segoviæ dicato, manibus Missali superpositis, speciali voto se obstrinxit, Deumque testatus sancte juravit se quantocius manum operi impositurum, et usque ad debitum finem sumptus reditusque ad fabricam dotemque implendam necessarios exhibiturum. Adstantes quoque ex Magnatibus, Comestabilis, Amiralis, Justitia major (ut vocant), pluresque alii Regis ad exemplum jurejurando subsidia pro animi devotione obtulerunt. His peractis, prædium suburbanum Regum Castellæ ad rusticandum erectum, vulgo de Paular nuncupatum, cum sacello vicino B. Virgini consecrato Patri Lupo tradidit, præsente Episcopo Seguntino Petri Tenorii archipræsulis Toletani sui Metropolitæ obnoxio, et nomine illius tanquam proprii Antistitis consensum præbente in hanc formam : « Joannes Dei gratia episcopus Seguntinus, religioso fratri Lupo Martinez monacho et Procuratori Ordinis Cartusiensis, salutem. Ex commissione speciali per Reverendissimum in Christo Patrem et Dominum, D. Petrum eadem gratia archiepiscopum Toletanum, Primatem Hispaniarum, nobis facta : ecclesiam S. Mariæ de Paulari vulgariter nuncupatam, cum omnibus juribus et suis pertinentiis spiritualibus et temporalibus, vobis et in vestram personam Ordini præfato Cartu-

Joannes I promittit se fundamenta jacturum,

ANNUS 1390

siensi conferimus et unimus ac totaliter annectimus; præsentium tenore eidem Ordini concedentes ut ecclesiam jam dictam et loca circumstantia possit et valeat redigere in sui Ordinis monasterium, ac ibi altaria noviter erigere erectaque in melius reficere et reformare, necnon alias officinas Ordini congruas et opportunas sufficienter construere et fabricare. Datis apud ecclesiam memoratam quarto calend. Septembris, sub nostro sigillo authentico, anno Domini 1390, in testimonium præmissorum. Joannes, episcopus Seguntinus. »

quod et fecit.

Prima ergo fundamenta eodem die Decollationis Præcursoris Christi jacta fuere, et ad opus ducenties mille dupondia statim Rex consignavit, et pro reditibus perpetuis, quidquid ei ex archipresbyteratu de Bezeda et in valle de Lozoya summorum Pontificum gratia cedebat, ædificiumque consummandum sua cura suscepit. Rescripsit etiam Reverendo Patri D. Guillelmo, Priori Cartusiæ, literasque ad ipsum Capitulum generale deferri per ipsummet P. D. Lupum voluit et jussit. Quarum exemplum hic transcribi propter narrationis certitudinem piique Principis gratissimum affectum justum autumamus : « Joannes Dei gratia rex Castillæ, Legionis et Portugaliæ, venerabilibus ac religiosis viris Priori et Conventui Cartusiæ salutem, et ad creditæ prolis famam et gloriam divini Nominis exaltationem. Compelli credimus non indigne nostram regiam Majestatem, anhelantes ad felicitatis augmentum, horum ut vota ad optata perveniant coadjuvare, præsertim cum serenitatis nostræ viscera tales ad talia invitent, suis eos devotius brachiis amplexando. Hinc est, charissimi Religiosi, quod vestrarum nobis literarum per fratrem Lupum Martinez, vestri Ordinis procuratorem, seriem intelligimus diligenter de facto constructionem monasterii, quod proposueramus, narrantem ædificare. Super quo prædictus frater Lupus Excellentiæ regiæ parte nostra latius explicavit. Nos vero Dei servitio, ac jam dicti Ordinis nostræ eximiæ devotionis zelo, utque nostrum propositum finem veniat ad optatum, quædam nostra regia palatia, certis possessionibus convallata, quæ juxta locum de Rascafria, Se-

Molin. pag. 1042.

Literæ regiæ ad Capitulum Ordinis directæ.

goviensis diœcesis, habebamus, eidem Ordini contulimus gratiose; concedentes manerium ibidem ad formam ducere condecentem pro certo Fratrum numero, quo illud speramus firmiter populare, prout de his et aliis prædictus frater Lupus vos plenius informabit, cui poteritis tanquam nobis in dicendis nostri parte fidem credulam adhibere. Quocirca, Religionem vestram attente rogamus quatenus, tum quia monasterium hoc primum pro Castella et ejus imperio (nam apud Aragonas alia erant extructa) in Hispania sit fundatum, tum etiam propter grandem et claram devotionem nostram quam semper tenuimus ad ipsum Ordinem et tenemus, tales personas Religiosas cum libris atque necessariis aliis ad divinum Officium, nobis vestri Ordinis pro dicto monasterio transmittatis; ut illorum lux luceat sic coram hominibus ut videntes bona opera sua glorificent Patrem nostrum et ad contemplationem cœlestis patriæ provocentur; denique monasterium de bonis operibus et aliis prospere et salubriter augmentetur. Datis Segoviæ, 12 Septembris. Nos Rex. Suscripsitque inferius Joannes Rodericus. »

ANNUS 1390

Petit Monachos ad se mitti.

Acceptis Literis, Dom. Lupus proficiscitur in propriam Scalæ Dei solitudinem, brevi ut cogitarat regium mandatum impleturus; majora sibi pollicitus ex ejus benevolentia, pro omnibusque debitam gratiarum actionem exhibens. Sed proh rerum humanarum vicissitudinem et inconstantiam! Nondum enim fere vestibulum salutarat, cum velox fama infaustam tanti Principis mortem divulgarat, qui dum equum urget, inopinato et irreparabili occubuit casu Compluti, septimo Idus Octobris ejusdem anni 1390. Quamvis vero rei tantæ exordia minime contemnenda putavit, differre tamen digressum eventumque rerum auscultandum prudenter judicabat.

Inopinate moritur Joannes I.

Interruperat infelix regis Joannis obitus ædificium cartusiæ de Paulari : reversus tandem Pater Lupus a Capitulo nostro generali, assumptoque Patre D. Joanne Carillo, Segoviam profecti sunt Henrici regis sedem, cujus nomine (adhuc pupilli) tutores negotia expediebant. Verum prospere cum eis

Henricus III incœptum non omittit.

ANNUS 1390

actum est, et brevi donata omnia a patre Henricus approbavit, jussitque a Clemente VII suo nomine confirmationem efflagitari ut opere complerentur omnia. Episcopus namque Zamorensis Avenioni commorans regio nomine impetravit, et ad Patrem Lupum directa solum post annum expeditionis fuere diplomata. Productis vero ab eo, per Regem decreta denuo est donationum pecunia, collatumque jus perpetuum reditus et decimas exigendi, quorum subsidio cupitæ extructioni nova et diligens imponitur manus adeo ut brevi formatum monasterium incolas requireret. Monitus Reverendus Pater noster D. Guillelmus, tres ex monachis cartusiæ Scalæ Dei cum Fratribus aliquot laicis transferri jussit: et sic anno 1393 incorporata fuit Ordini hæc nova plantatio, et simul antiquum nomen Sanctæ Mariæ de Paulari confirmatum. At Pater Lupus abrogato Rectoris nomine, Prior ejusdem constitutus est, cujus sollicitudini et laboribus gratissima memoria multum refertur ejusque comitibus, Domno Joanni Carillo, D. Alphonso, D. Didaco, et D. Joanni de Medina, professis Scalæ Dei. Demum Castellæ Magnates qui sua se sponte, uti ante diximus, jurejurando votoque obstrinxerant, et promissa gratis animis præstiterunt, et quod amplius est, auctis donis exemptionibusque nobilissimis in uniuscujusque ditione, Domum hanc cartusiamque de Paulari condecorarunt. Eoque res tunc progressa est, ut sibi viderentur felices, quorum donata a Nostris admitterentur; adeo ut his temporibus præcipua jura, reditus et possessiones elargitas et illustria privilegia orta, quamvis aliqua vel desuetudine vel rerum vicissitudine jam exoleverint, comperiamus.

Domus incorporatur.

Protoprior moritur.

Interea solutus est corporis ergastulo, tertio Calendas Novembris anni 1396, Pater Domnus Lupus Martinez, jacturamque in eo fecit non minimam Domus de Paulari in temporalibus et spiritualibus : nota enim viri religio et virtus facillime a Regibus et Aulicis huic cartusiæ necessaria impetrabat. Sufficitur autem ejus loco, Domnus Joannes Ferdinandus, cartusiæ Vallis Christi alumnus; et sequenti anno

ANNUS 1390

Capitulum generale substituit in ejus locum Domnum Petrum a Toleto, hujus cartusiæ professum, cujus solertia rem familiarem bonumque nomen nostrum tutante, accita Regum et sacræ Sedis apostolicæ gratia, consilia adversantium aversantiumque nos dissipata evanuerunt. Sed et tanti viri religio atque prudentia Henrico regi III sic placuit, cœnobiique sui aucta virtus grata, ut munus muneri superaddens, magnificentiorem augustioremque templi structuram erigi, sibique regiam Domum nostræ contiguam, extemporale a curis refugium ordinaverit; negotii cura solerti studio mandata celeberrimi viri domini Pauli Burgensis episcopi, notissimi Bibliorum interpretis, qui in brevi magnum fabricæ dedit incrementum. Horum omnium antiqua monumenta in illa Domo extant, intimæ pietatis regiæ plenitudinem eructantia, ad minima quæque ministeria propria manu subscripta exarata diplomata expedientis : optatum tamen exitum videre impedivit præpropera tanti Principis mors, cui succubuit 20 Decembris die, anni 1406, in omnibus commune et ardens sui relinquens desiderium.

CHRISTOPHORUS DE NEAPOLI PRIOR CAPRI FLORET,

V. Sub his temporibus floruit Christophorus, ex patria et professione dictus de Neapoli, quem Patres* hoc anno in Priorem Domus Capri, ubi tunc in solitudine morabatur, per Chartam instituerunt. Sed vel ille possessionem impositi sibi muneris non iniit, vel illud paulo post excussit. Ludovico enim Andegavensi ut jam diximus, qui Clementi adhærebat, de Ladislao rege victoriam reportante, Capritani Conventuales cum Neapolitanis et Padulanis Cartusiensibus victoris partes secuti, Capitulo generali in Majori Cartusia congregato obedientiam præstitere, a quo et novum Priorem Joannem de Oviliano susceperunt. Quo tunc obiit Christophorus vel quando obierit non habemus. Constat solummodo eum fuisse virum pietatis studiosum, et sanctæ Catharinæ Senensi familiaritate conjunctissimum, ut sequenti patefit exemplo. Cum enim ille aliquando ad cartusiam Gorgonensem, Bartholomæi Ravennatis ibidem Prioris viri sancti disciplinæ se subdendi gratia transferri cuperet, licentia sibi

*Urbanistæ.

S. Catharinæ Senensis amicissimus.

ANNUS 1390

a Superioribus denegata, intimæ sibi virginis autoritatem qua eam multa pollere sciebat, tum apud Primores Ordinis, tum maxime apud ipsum Ravennatem, ad fruendum optatis voluit adhibere. Amico statim respondit sancta Catharina,
Epist. 57. scripta ad eum prolixa epistola, in qua postquam multa disseruit de cognitione suiipsius, de gratiis animæ rationali a Deo collatis et de variis dæmonum technis, eum denique adhortatur, ut sive ad monasterium Gorgonense, sive ad aliud transferatur, ubique satagat animi æquitatem conservare, totumque se divinæ committere voluntati. « Habeo enim, inquit, pro certo nihil aliud tibi ex Dei providentia eventurum quam quod tuæ saluti utilius erit. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1391.

Bonifacii PP. IX Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 308.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 25.

I. ANNO nonagesimo primo supra mille trecentos, Indictione quarta decima, Bonifacius Romæ sedens, pro sua in nostrum Ordinem benevolentia, privilegium Nostris concedit quo Domus et personæ Ordinis eximuntur ab omni jurisdictione Ordinaria, solique Sedi apostolicæ subjiciuntur. Literæ ejus sunt hujusmodi tenoris : URBANISTAS A JURISDICTIONE EPISCOPAL. EXIMIT BONIF. IX.

« Bonifacius episcopus, servus servorum Dei ; dilectis filiis Priori Generali, et universis Fratribus Ordinis Cartusiensis, tam præsentibus quam futuris, salutem et Apostol. benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia, mater cunctorum fidelium et magistra, in agro virtutum vestri Ordinis cui Altissimus benedixit, et in decore sanctæ Religionis sub qua mundanis abjectis illecebris, devotum ac sedulum exhibetis Domino famulatum, exultat et jubilat : præsertim dum prospicit quod vos ad alta virtutum, gradibus per exercitium bonorum operum et præclara sanctitatis merita procedentes, trahitis ad divinæ Majestatis obsequium alios per exempla, vitam ducendo piissimam, et frequenter divinis laudibus ex quibus divina gloriæ Majestatis attollitur devotissime insistendo, et huic mundo mortui ac Domino nostro Jesu Christo qui est Vita viventes, pro universali salute fidelium ad Dominum preces funditis incessanter. Propter quæ eumdem vestrum Ordinem, quem erga nos et prædictam Ecclesiam de- Exstat inter Privilegia. n. 107.

ANNUS 1391

votionis claritate perlucere conspicimus, intra claustra nostri pectoris paternis affectibus contemplantes, circa bonum statum ipsius Ordinis ferventibus studiis vigilamus. Et ut Deo propitio idem Ordo protegatur a noxiis et salubria semper suscipiat incrementa, personæque ipsius pacis et tranquillitatis affluant ubertate ab omnique sint perturbatione securæ, ac ab oppressionibus indebitis præserventur illæsæ, Ordinem ipsum prærogativa Apostolicæ libertatis et exemptionis præsidio communimus. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod licet prædictus Ordo vester, cum omnibus monasteriis, prioratibus, Domibus et locis ejusdem atque personis degentibus in eisdem, ab olim reputatus fuerit et adhuc etiam communiter reputetur fore a jurisdictione quorumlibet ordinariorum judicum exemptus, et soli Sedi apostolicæ immediate subjectus, tamen nonnulli locorum Ordinarii, cupientes vestra et dicti Ordinis privilegia et libertates infringere, et alias diversis ex causis vos inquietare et multipliciter molestare, et personas ejusdem Ordinis ad forum suum trahere, et alias vexare præsumunt : propter quod nonnunquam vos a contemplatione et quiete vestra, contra Religionis vestræ statum, retrahi et secularibus negotiis implicari oportet. Quare, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad evitandum cujuslibet molestiæ et inquietationis materiam et gravamina quæ vobis contra hujusmodi exemptionis libertatem possent inferri, et ut tollatur quælibet contra vos occasio malignandi : vos et eumdem vestrum Ordinem, cum omnibus monasteriis, prioratibus, Domibus ac locis ejusdem, pro incremento vestri status et pro pace et tranquillitate personarum degentium in eisdem, de novo plenarie eximere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vos et prædictum Ordinem vestrum cum omnibus et singulis monasteriis, prioratibus, Domibus et locis ejusdem quæ nunc habetis et in posterum vos habere contigerit, et cum personis degentibus in eisdem, præsentibus et futuris, ab omni ordinaria jurisdictione, dominio, visitatione ac potestate qualibet

Contemplatio, Ordinis Cartusiani status est.

omnium et singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et aliorum quorumlibet judicum ordinariorum, de specialis dono gratiæ, de novo prorsus eximimus et totaliter liberamus, illaque in jus et proprietatem beati Petri ac Sedis apostolicæ, ac sub eorum et nostra speciali et immediata protectione præsentium tenore suscipimus; decernentes Ordinem, monasteria, prioratus, Domos ac loca et personas hujusmodi, soli et immediate Sedi prædictæ fore subjecta. Et quod locorum Ordinarii seu Diocesani, vel alia quævis persona, in vos seu monasteria, prioratus, Domos aut loca vel personas præfata, utpote prorsus exempta, non possint autoritate ordinaria, excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias promulgare vel alias, etiam ratione delicti vel contractus... ; constitutione felicis recordationis Innocentii Papæ quarti prædecessoris nostri circa exemptos edita quæ incipit : Volentes; et aliis constitutionibus Apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nos enim omnes excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, et quoscumque processus, quasvis pœnas et sententias continentes, quas et quos adversum vos et monasteria, prioratus, Domos vel loca aut personas hujusmodi, contra tenorem et formam exemptionis hujusmodi quomodolibet promulgari et haberi contigerit, irritos decernimus, et inanes ac nullius existere firmitatis. Per exemptionem autem et libertatem hujusmodi et alia supradicta, libertatibus, privilegiis et immunitatibus, vel aliis juribus vestris et prædicti Ordinis ac monasteriorum, prioratuum et Domorum atque locorum prædictorum, nullum intendimus præjudicium generari, quinimo volumus quod illa in sua plena remaneant firmitate. Nulli ergo omnino hominum... Datum Romæ apud sanctum Petrum, XVII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo. » Idem privilegium post schismatis extirpationem a summis Pontificibus confirmatum est.

ANNUS 1391

II. Eodem tempore Clemens Papa Avenionensis, ad Philippi Burgundiæ ducis et cartusiæ Divionensis fundatoris petitionem, ejusdem Domus professis concessit ut mitti et

PRIVILEGIUM SACERDOTII SUSCIPIENDI ANNO ÆTATIS XXII,

ANNUS 1391

admitti possint ad ordinem sacerdotii, anno ætatis vigesimo secundo. Literæ hujus privilegii per manus Joannis de Embroniaco, cardinalis Vivariensis (quem Polycarpus Riverius falso scribit fuisse professum Ordinis Cartusiensis), datæ sunt ut sequuntur : « Joannes miseratione divina, tituli sanctæ Anastasiæ presbyter, Cardinalis Vivariensis vulgariter nominatus, dilectis nobis in Christo Priori et conventui Domus Sanctæ Trinitatis individuæ, prope Divionem situatæ, Ordinis Cartusiensis, Lingonensis diœcesis, per excellentem Principem dominum Philippum ducem Burgundiæ fundatæ, salutem in Domino sempiternam. Sane sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster Dominus Clemens, divina providentia Papa septimus, attendens Religionem vestram promereri ut petitionibus vestris quantum cum Deo potest annuat gratiose, hinc est quod idem Dominus noster etiam consideratione dicti domini Ducis (qui ad vos et Domum vestram antefatam specialem gerit devotionis affectum) super hoc pro vobis eidem Domino nostro humiliter supplicantis, ut omnes Monachi et Clerici Redditi dictæ Domus vestræ qui nunc sunt et erunt pro tempore, vicesimum secundum eorum ætatis annum attingentes, possint ad presbyteratus ordinem promoveri, in ipsoque licite ministrare, defectu dictæ ætatis ac Statutis et constitutionibus ipsius Ordinis et aliis in contrarium non obstantibus quibuscumque, concessit oraculo vivæ vocis nobis præsentibus pariter et indulsit de gratia speciali, dum tamen dicti Monachi et Clerici Redditi præsentes et futuri, ad hoc alias sufficientes et idonei existant, nec aliud impedimentum canonicum eisdem obsistat; voluitque idem Dominus noster hujusmodi gratiam in suo robore perpetuo remanere. Et in testimonium præmissorum, præsentes Literas de dicti Domini nostri speciali mandato, oraculo vivæ vocis super hoc nobis facto, nostri sigilli appensione munitas, vobis et Domui vestræ prædictæ duximus concedendas. Datum Avinione, sub anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, Indictione XIV et die XIX mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi Domini

Sacri myst. II. Cons. VIII. n. 81.

Inter Privil. Ordin. n. 101.

considera-tione Ducis Burgundiæ,

Nostris a Clemente VII conceditur,

nostri Papæ prædicti anno tertiodecimo. » Hujusmodi privilegium status nostri simplicitati et humilitati contrarium non approbavit Franciscus a Puteo, qui Tertiam Statutorum Compilationem componens ita sanxit : « Priores et Rectores Domorum non mittant ad ordines recipiendos Monachos aut Clericos Redditos, donec ad ætatem legitimam qualem Ordo ipse requirit devenerint, nisi super hoc fuerit aliter dispensatum..... ætas autem legitima est in diacono vicesimus, in sacerdote vero vicesimus quintus annus, quamvis sufficiat quod annum illius ætatis, quem Ordo requirit, attigerint, licet non compleverint. » His verbis satis innuit mentem Ordinis semper esse quod nullus ante 25 ætatis annum fiat sacerdos; hanc tamen clausulam « nisi super hoc fuerit aliter dispensatum » consulto videtur addidisse, ne nimium supradictæ Clementis VII refragatur concessioni, cujus vigore cum plures adhuc pertinaciter non tam uterentur quam abuterentur, a generali Capitulo anni 1525 sequenti decreto coercentur : « Quamvis hactenus aliquæ personæ Ordinis virtute privilegii nobis a Sede apostolica concessi, completo 22 ætatis suæ anno ad sacrum presbyteratus ordinem et altaris ministerium sint promotæ : propter tamen certas causas nos moventes, ordinamus et deinceps observari volumus ut nemo illo privilegio utatur, aut per se aut per alios cujuscumque status aut conditionis fuerint, quovis modo dispensationem quærat, sollicitet aut impetrare præsumat ; sed annos sibi a jure præfixos, et in Tertia Compilatione Statutorum declaratos exspectet, et non aliter ordinatus ordinem presbyteratus exequatur et exerceat. » Hæc postea strictius sancita sunt a S. Tridentino Concilio, prohibente ne ullus etiamsi Regularis ad subdiaconatus ordinem ante 22, ad diaconatus ante 23 et ad presbyteratus ante 25 ætatis suæ annum promoveatur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. Eadem in nova collectione Statutorum Ordinis nostri inserta sunt, ac deinceps evacuato dictæ bullæ Clementinæ vigore, sola sancti Concilii dictæque Novæ Collectionis in sacrorum ordinum susceptione habetur ratio.

ANNUS 1391

Cap. IV, n. 14.

Sess. XXIII, de Reformat. c. 12.

II. P. c. III, n. 22.

ANNUS 1391

cum diversis aliis gratiis.

Præter gratiam nostris Divionensibus concessam, alias quoque toti Ordini Clemens largitus est de quibus Charta Capituli generalis mentionem facit post preces pro eo imperatas, ubi hujusmodi gratiæ recensentur his verbis : «... Qui centum florenos pro eleemosyna consueta misit Capitulo generali, ac Indulgentias (per eum in sancta septimana Avenione concessas, quæ relatu venerabilis ac religiosi viri ipsius Eleemosynarii sunt ducentorum annorum et totidem quadragenarum) omnibus præsenti Capitulo existentibus et venientibus, et qui legitime impediti interesse non poterunt, concessit. Qui etiam Dominus noster ampliavit gratiam super dispensatione et absolutione ad viginti Priores quos Prior Cartusiæ duxerit eligendos, et quos possit mutare quoties sibi videbitur usque ad viginti annos, a die sancti Valentini martyris anni nonagesimi quarti inchoandos. Qui etiam concessit omnibus personis Ordinis utriusque sexus eadem die sancti Valentini in Ordine existentibus et qui infra annum remanebunt, in mortis articulo semel Indulgentiam plenam juxta formam Romanæ Ecclesiæ consuetam. »

CLEMENS PACEM INTER REGES FRANCIÆ ET ANGLIÆ COMPONERE TENTAT.

III. Hoc ineunte anno, Rex Galliæ missis legatis petiit a Rege Angliæ, ut ipsimet præsentes, non solum de induciis protrahendis sed de pace generali inter utrumque ineunda tractaturi convenirent. Annuit rex Angliæ Richardus, dumque in hunc finem Calesium se transferre meditatur, de consensu ipsius Regis regiique consilii (verbis utor Walsinghami) proclamatio facta fuit Londoniis, ut omnes beneficiati existentes in Romana curia redirent in Angliam citra festum sancti Nicolai sub pœna perditionis omnium beneficiorum suorum. His auditis nihil non movebat Clemens ut pacem inter utrumque Regem acceleraret, magna spe ductus Anglos Gallorum persuasu partes ejus contra Bonifacium suscepturos. Hinc itaque ecclesiarum Ordinumque ac maxime Cartusiensium orationibus Deum sibi propitiare, Procerumque favorem et opem exposcere omni via per Legatos satagebat. Ad idque Nostrorum suffragia expostulat, data ad Patres Ordinis speciali bulla qua plenis comitiis lecta, preces insti-

tuuntur « pro illustribus Regibus Franciæ et Angliæ... Et pro eodem Rege Franciæ et illustrissimis ac christianissimis Ducibus Bituriæ et Burgundiæ, atque pro omnibus a sanguine regio descendentibus ; et ut Deus ipsos et eorum terras et subditos ab omnibus adversitatibus custodiat et defendat, fiat in qualibet Domo tricenarium de Spiritu Sancto. »

ANNUS 1391

Nihil tamen erga Anglum profecit Clemens, sed res ejus paulo meliores habuerunt exitus in regno Neapolitano et in Belgio. Ludovicus namque Andegavensis, illius fautor, devicto Ladislao Bonifacii studioso, populorum mentem ad ejus leges sequendas inclinavit, unde Nostri vim vi non valentes repellere, fortiori cedunt. Et ab hoc anno, omnes ejusdem regni Cartusienses, ut ex Chartis capitularibus addiscimus, in fide et obedientiæ Majoris Cartusiæ constiterunt, donec Ladislaus, adversario superato totum regnum in suam redigeret potestatem.

DOMUS CAPELLÆ CLEMENTI ADHÆRET.

IV. Exeunte quoque superiori anno Philippus dux Burgundiæ, quas ante biennium ad demerenda Clementi subditorum suorum studia machinas adhibuisse vidimus, iterum movens, multos ad obediendum compulerat. Inter hos fuerunt quidam Domus Sylvæ sancti Martini monachi, quibus pastore (alio ut verisimile est confugiente) orbatis, Prior Tornaci per Chartam Majoris Cartusiæ absolutus, præfectus est. Prior quoque Capellæ etsi Comiti Hannoniæ Bonifacio fideli subditæ, Clementi adhæsit cum suo Conventu paucis exceptis, quos in Domo remanentes et Prioris tanquam schismatici aspernantes imperium, Capitulum generale Majoris Cartusiæ ad obsequium compellere nititur per Chartam quæ de eadem Domo sic statuit : « In casu quo indigeret Domus Capellæ Visitatione, valeant Prior et Conventus pro Visitatione vocare Priorem novum Tornaci cum socio Priore vel monacho quem duxerit eligendum, qui habeant potestatem emittendi monachos vel corrigendi et disciplinandi prout sibi videbitur faciendum. »

DOMUS EXCUBIARUM MONIALIBUS PARMENIENS. TRADITUR,

V. Cum Patres Ordinis animadverterint Domus Excubiarum res, tum malitia hominum, tum injuria temporum

ANNUS 1391

deteriores fieri; scirentque Moniales Domus Parmeniæ in extrema versari paupertate ut pene deficerent : decreverunt ne utramque Domum penitus deserere cogerentur, ex duabus unicam conflare cartusiam. Quamobrem hoc anno autoritate Capituli generalis, Moniales Parmeniæ ex antiquo earum parthenio ad Excubiarum cœnobium, extincto monachorum conventu, translatæ sunt, dato eis Vicario Joanne Bituricensi. Hoc cum hactenus nostrarum rerum scriptores propter penuriam Chartarum Capitulorum generalium ignorassent, reperientes tamen Priorem et monachos, Priorissam et Moniales aliquando in hac Domo degisse; arbitrati sunt Excubiarum cartusiam a prima sua fundatione duos simul continuisse Conventus, communi tantum utrosque divisos pariete : alterum Monachorum, Monialium alterum. Hincque eorum quidam gravius allucinati, nescio quid finxerunt de matre sancti Hugonis (Gratianopolitani) et de quibusdam aliis Monialibus, quas ibidem floruisse et præfuisse ante annum 1200 somniarunt. Vix Moniales Parmeniæ per viginti quinque annos Excubias tenuerunt, cum hinc propter situs asperitatem et rei temporalis penuriam ad alia Ordinis parthenia, nempe Pratimolle et Melanum, migrare jussæ sunt anno 1418 : nec tamen statim locus ab Ordine derelictus est, imo de nova cartusia ædificanda in loco dicto Revesti, haud longe distante et qui de dominio ejus erat, Monachisque ibidem restituendis, cogitatum est, institutis etiam per quinque aut sex annos novæ fabricæ Rectoribus. De hoc iterum anno 1423 dicemus.

sed ad modicum tempus,

URBANISTARUM GENERALE CAPITULUM,

Vita Steph. Maconi, Lib. II, cap. 12.

VI. Patres Urbanistas suum in Domo Florentiæ conventum hoc anno egisse scribit Bartholomæus Senensis, sed illum celebrandum fore in cartusia Montelli sanxerant, ut in Charta legimus his verbis : « Committimus Visitatoribus Provinciarum quod recipiant taxam Capituli et Procuratoris Ordinis, et medium florenum pro Monacho sine pedibus, (is est Guido de Jardino professus Parisiensis de quo diximus ante, anno 1384) a Prioribus suæ provinciæ ad sequens Capitulum non venturis, qui eam deferant ad dictum Capi-

ANNUS
1391

tulum quod celebrabitur in Domo Montelli prope Venetias, vel potius prope Tarvisium. » Hæc ibi; nec interim consilium mutarunt ut constat ex Chronico Domus Montelli, cujus autor ipsis Comitiis præsens et paupertatem ejusdem cartusiæ et principale Patrum congregatorum decretum sic describit : « Temporibus Domni Augustini, primi hujus Domus professi et Prioris, durante schismate quod in Ecclesia Dei ortum habuit anno 1380 propter Papatum, bis celebratum est Capitulum generale in Domo ista. Ultimo ergo anno regiminis supradicti Prioris (qui fuit, ut creditur, octavus), cum celebraretur Capitulum affui cum Priore meo Domus Bononiæ, eramque juvenculus, et indispositionem ac paupertatem Domus consideravi propriis luminibus : nam cum refectorium nondum esset constructum, in quadam viminea cella ante ecclesiam comedebat conventus ; et illa destructa ex causa, habebant cellam (quæ nunc est sacristia) pro refectorio et advenientium hospitum receptorio. Coquina vero conventus erat in hortulo cellæ Procuratoris. Parabantur ergo mensæ Priorum tempore Capituli generalis in galileis inter cellam signatam H in qua erat vinum conventus, et cellam signatam G in qua fiebat coquina Capituli generalis, imperfectæ namque erant ambæ intrinsecus. Unde quidam ex Prioribus solatiose aiebat : O bone Montelle, sine pilo et sine pelle. In cella, sive in hortulo cellæ Prioris tenebantur aliquæ gallinæ pro consolatione conventus. Hujus etiam tempore, orta fame, panis triticeus ad mensuram dabatur Monachis aliisque personis Domus, et vinum. Si quis amplius indigebat, de pane milii et saginæ supplebat necessitati. In hoc præmisso Capitulo ordinatum est firmiterque sancitum ut Prior Cartusiæ de cætero staret in Domo sancti Joannis in Seiz; quam pro Domo magna Cartusiæ deputantes, statuerunt ibi fieri Capitulum donec schisma pestiferum Ecclesiæ tolleretur. » Hoc decretum quo sedes ministri generalis designatur in Domo Seizensi tale est : « Et quia Reverendus Pater noster, Domnus Cartusiæ, ad præsens in Domo Florentiæ commode residere non valet propter

In Domo Montelli celebratum.

Chron. ms. Montell. c. xv.

Domus in Seiz, ut major Cartusia Urbanistarum, designatur.

ANNUS 1391

guerrarum discrimina quæ totam pene Italiam destruunt et confundunt, quapropter negotia emergentia super annum celeriter nequeunt expediri, quia personis Ordinis ad dictam Domum Florentiæ facile non patet accessus : ideo ordinamus quod præfatus Domnus Cartusiæ de cætero resideat in Domo S. Joannis in Seiz ejusdem nostri Ordinis; tradentes ei dictam Domum loco Domus Cartusiæ, cum plenaria administratione spiritualium ac temporalium omnium Domus præfatæ; justum enim decernimus ut in eadem Domo Prior Cartusiæ resideat quæ, post Domum Cartusiæ, inter alias Domos Ordinis fideles obtinet ex suæ fundationis antiquitate primatum. Et præficimus in Priorem Domus Florentiæ Domnum Joannem, olim Priorem Domus S. Martini prope Neapolim. » Cum ibi dicitur « ad præsens » non designatur Capituli generalis celebratio, sed sedes Prioris Cartusiæ qui ab initio divisi Ordinis in Domo Florentiæ super annum residebat, licet singulis annis ad Domum ubi coeunda erant comitia tempestive se conferret; quibus completis, Florentiam repetebat.

In hoc præsenti conventu nihil præterea notabile constituitur nisi quod « prohibetur ne in Domibus nostri Ordinis, intra septa monasteriorum vinum vendatur quibuscumque personis minutatim, videlicet tabernariorum more, quia hoc non solum nostro Proposito ex toto contrarium esse dignoscitur, verum etiam secularium hominum non convenit honestati. Priori vero S. Antonii in Hungaria conceditur quidem quod possit ædificare cellarium pro vinis Domus suæ infra septa monasterii sui, sed non pro vendendis. Si autem voluerit vendere (non tamen minutim) ædificet alibi cellarium supradictum extra septa monasterii. »

« Ad Domum in Seiz peracto Capitulo, inquit autor Chronici Montelli jam laudatus, ivit memoratus Prior Cartusiæ D. Johannotus; ubi cum parum stetisset, quadam infirmitate incurabili oppressus obiit infra annum. » Cujus obitus in Charta anni sequentis sic promulgatur : « Obiit R. P. D. Joannes, Prior Cartusiæ, die 12 Octobris, habens mo-

Rev. Pater D. Joannotus moritur.

nachatum cum psalteriis per totum Ordinem. » Vir fuit prudens, religiosus, et humilis, dignus qui tempore pacis supra multa constitueretur. Sed nec virtus ejus in aliquo fuit labefactata ob ejus Generalatum, cum ad ipsum subeundum autoritate summi Pontificis compulsus esset.

R.P.D.Christophorus in ejus locum eligitur,

« Congregati igitur, pergit præfati Chronici autor, post illius mortem Priores nominati ad Capitulum privatum, fecerunt Vicarium Ordinis usque ad proximum Capitulum generale D. Christophorum de Florentia, juxta potestatem in eisdem comitiis factam sub hac forma : Eligimus Priores Domorum Vallis sancti Mauritii, Vallisjocosæ, Vallis omnium Sanctorum et Portæ B. Mariæ in Axpach; qui si et quando necessitas hoc requireret, possint una cum Domno Cartusiæ Capitulum privatum celebrare, et de Vicario Ordinis providere usque ad sequens Capitulum generale, in casu quo dictus Reverendus Pater noster solveret debitum universæ carnis. » Fuit Christophorus patria et professione Florentinus, sanctæ Catharinæ Senensi notissimus, cui etiam arcana suæ conscientiæ cum magna fiducia detegebat; et Patri Raymundo Capuano ejusdem virginis confessario (ut ipse testatur in ejus Vita) « amicitia non parva conjunctus. » Hic cum cartusiæ Belrigardensis prope Senas sitæ regimen teneret, « urgente conscientia coactus » (ut ipsemet eidem Raymundo fassus est) Catharinam convenit, et consolatione accepta recessit. Deinde translatus ad clavum Maggianæ Domus, totam Lombardiæ propinquioris Provinciam per plures annos moderatus est, aliquando etiam in Romanam Curiam missus, quosdam motus a Clementinis excitatos prudenter ac viriliter oppressit; qui egregie suis perfunctus muneribus, viam sibi, licet inscius, stravit ad supremum Ordinis Magistratum, cujus in pleno subsequentis anni Conventu potestatem simul et nomen suscepit, ut ibi dicemus.

S.Catharinæ notissimus.

Diversorum obitus.

Inter mortuos in hac Charta denunciatos legimus : Jacobum vicarium Coloniæ, cum beneficio tricenarii. Obierat die 14 Maii, de quo chronicon Domus ejusdem hæc habet : « Jacobus Hottman, natione Germanus, patria Embricensis,

ANNUS 1391

primus filiorum hujus Domus, qui postea ad Prioratum admotus, insigni celebratur elogio in Libro benefactorum hisce verbis : Jacobus Hottman de Embrica apud nos Ordinem intravit, et devote, laudabiliter ac religiose multis annis vixit, officium Prioratus in Domo ista et in Ruremundana aliquibus annis tenuit et bene rexit. »

In eadem Charta Andreas, Conversus et hospes Bononiæ, paulo ante mortuus, simili gaudet beneficio, ei a Patribus ob laudabilem conversationem concesso, quem autor chronici Montelli, ubi aliquando etiam hospitatus fuerat, brevi quidem sed egregio celebrat præconio sic dicens : « D. Angelus Prior (institutus anno 1363) vocavit unum Conversum de Domo Mediolani, videlicet fratrem Andream de Bergamo. Iste Conversus postea, obtenta licentia ivit ad Domum Bononiæ et fuit vir magnæ sanctitatis, ibique perseverans diu, laudabiliter, me præsente, obdormivit in Domino. »

Quorumdam etiam civium Senensium obitus recensentur in eadem Charta, inter quos sunt : Franciscus Ventura et Conradus Maconus, pater nostri Stephani, cujus jam sæpe meminimus. Conradum obiisse anno superiori, Novembri mense, discimus ex Vita ejusdem Stephani. Albertus quoque episcopus Tridentinus, anno præcedente mortuus, inter amicos annumeratur cum tricenario.

Lib.II. c. 11.

Hoc etiam anno inter Clementinos obiit Amedeus Sabaudiæ comes, alter Domus Petræ-castri fundator, cujus obitus in Charta anni sequentis reperitur sub his verbis : « Obiit dominus Amedeus, comes Sabaudiæ, die 2 mensis Novembris, filius fundatoris Domus Petræ-castri, cui concedimus beneficium tricenarii et associationem cum primo Anniversario. Et pro prospero statu dominæ Bonæ de Biturio relictæ suæ, et ut Deus det sibi optatam consolationem de fructu quem habet et portat in utero, dicat quilibet celebrans unam Missam, etc. » Mense Julio sequenti peperit filiam Joannam quæ postea nupsit Joanni Jacobo comiti de Aquosana, Theodori Montisferrati marchionis filio.

DOMUS SECUS ULTRAJECTUM FUNDATUR.

VII. Cœnobium nostri Ordinis sub nomine sancti Salva-

toris Novæ Lucis secus Ultrajectum, urbem apud Batavos celebrem, olim episcopalem et postea archipræsulatu illustratam, hoc anno fundari cœptum est in Valle-Florum in Enghe a Swedero de Apcoude, barone de Ghaesbeke, domino de Putten et Streyen. Causam affert Henricus Calkar qui tunc florebat, primo hujus Domus Rectori ejusque forsan fundatori notus : « Pro nunc fit Domus prope Trajectum inferius, cujus fundator Dominus prædives adhuc vivus, cum aliquando venisset in Monstreolum, Picardiæ urbem, et cives eum invitassent videre veronicam Domini tertiam ibi existentem, veronica illa semper ab ipso se avertit ac si omnino ipsum despiceret. Super quo multum mirans et timens, tandem consuluit Priorem quemdam Ordinis, olim socium suum in scholis, qui audito eo dixit : Domine, scio quod in quodam obnoxius estis Deo ; audivi enim a vobis aliquando quod libenter velletis construere Domum Ordinis. Qui statim dixit : Verum est, sed illius penitus fui oblitus. Et Prior : Votum, inquit, Domine, reddite quod Domum construetis, et ad veronicam redite. Venit igitur secundo, et ecce veronica quocumque ille se diverteret semper ei tunc in oculis fuit. Lætus igitur rediens, Domum inchoavit et reditibus dotavit ac pro ædificando multa millia jam florenorum impendit. Factusque est Prior supradictus ibidem Rector primo et postea Prior, adhuc vivens. Domus quoque quotidie Dei dono proficit. » Hæc Calkariensis, quæ Dorlandus paulo fusius describit tacito cartusiæ Ultrajectinæ nomine, quam his tantum verbis designat dicens : « In Picardiæ Provincia Domum ortam esse nostri Ordinis. » Hinc Petreius deceptus nec attendens præfatam cartusiam olim fuisse sub provincia Picardiæ, cum titulos capitulis ad chronicon Dorlandi præfigeret, totam hanc historiam adscripsit fundatori Domus Monstroliensis, sexaginta et octo annis ante Ultrajectinam erectæ. Petrei sententiam quidam post eum secuti sunt, nulla tamen certiori fulti autoritate. Hunc eventum stylo quidem correctiori narrant Ghysbertus sive Ghysterus Rutemberg, Ultrajectinæ cartusiæ professus, et

ANNUS 1391

De Origin. et progressu Ord. Cart. ms.

Hujus fundationis vera occasio discutitur.

Chron. Cartus. Liber II, cap. 28.

Ignat. a S. Mart. Histor. Maj. Abbatisv.

ANNUS 1391

post eum et ex eo Raissius et alii ; sed his omnibus narrationem Calkariensis, tanquam testis coævi licet eloquii rudioris, præferendam duximus. Cujus tamen verba de veronica cum eam appellat « veronicam Domini tertiam » videntur obscura ; quæ Rutembergius vulgari explicat traditione qua sancta illa matrona, a Baronio Berenices vocata, ab aliis Veronica (nisi sit nomen ipsius imaginis quod vera sit Christi icon), fertur triplicatum sudarium sacræ Salvatoris applicuisse faciei, cujus effigies tribus adhæserit sudarii partibus impressa, quarum unam a Calkariensi tertiam nominatam apud Monstrolium asservari putant. Sed noster Petreius justius videtur existimare hanc imaginem illius esse exemplum iconis quæ Romæ in Apostolorum Principis basilica summo honore colitur. Nam revera legimus Jacobum Trecensem, tunc archidiaconum Laudunensem atque Innocentii IV capellanum, postmodum Urbanum IV, ad Abbatissam et sanctimoniales Cisterciensis conventus Monstrolii diœcesis Laudunensis (quæ hac gaudent veronica), et ad earum preces, Roma anno 1349 misisse faciem et figuram nostri Salvatoris ex illius archetypo expictam. Hujus Monstroliensis veronicæ meminit Chrysostomus Henriquez in suo *Fasciculo Ordinis Cisterciensis*.

Chron. Cartus. Ultraject. ms.

Annal. Ch. xxxiv, n. 42.

in Notis ad Dorland.

Mabill. Iter. Italic.

Lib. I. dist. x, c. 10.

De Protopriore hujus Domus.

Porro Prior nostri Ordinis, quem Fundator de prodigio erga se perpetrato consuluit, licet a Calkariensi non designetur nomine, in Chartis capitularibus vocatur Tydemannus Grauwert, tuncque Domum Brugensem regebat. Hunc iterum pius Fundator ad se arcessivit et cum eo de construenda cartusia conferre cœpit, seque sub idem tempus strictissime ad opus inchoandum obstrinxit. Agebatur autem annus millesimus trecentesimus nonagesimus primus. Nec diu admodum res dilata est, sed prima statim aura favente, prima quoque manus imposita est operi. Attestatione autem vicinorum constat diu ante inchoationem, luminaria per noctem in loco coruscantia videri solita ; imo et postquam locum inhabitare cœperunt circa claustrum discurrere visa sunt, unde et nomen Novæ Lucis impositum est loco. Cætera prosequamur anno sequenti.

JESU CHRISTI

ANNUS 1392.

Bonifacii PP. IX Ann. 3.	Ordin. Cartus. Ann. 309.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 26.

I. SEQUITUR millesimus trecentesimus nonagesimus secundus Redemptoris annus, Indictione quinta decima, quo Christophorus in generalem Vicarium a Prioribus in Capitulum privatum anno superiori post mortem Jannoti electus, uno omnium plenis Comitiis in Domo Seizensi congregatis præsentium ore, Prior Cartusiæ ac suæ obedientiæ Minister generalis renunciatur sequenti decreto : « Nos Fratres, Cosmas Prior Domus Casularum, Michael Prior Domus S. Mauritii, Raphael Prior Domus S. Bartholomæi prope Januam, Petrus Prior Domus Lapidis-refugii in Ungaria, Silvester Prior Domus Montis S. Petri, Joannes Prior Domus S. Spiritus prope Lucam, Joannes Prior Domus Herbipolensis,.. Prior Portæ B. Mariæ, Diffinitores Capituli, accedente consilio et consensu omnium et singulorum Priorum in præsenti Capitulo congregatorum, necnon Conventus Domus S. Joannis in Seiz, autoritate Capituli generalis, et omni via et modo quibus melius possumus, præficimus et præsentium tenore unanimiter et concorditer Reverendum Patrem Domnum Christophorum, olim Vicarium nostri Ordinis generalem, in Priorem Domus Cartusiæ; hortantes eumdem Reverendum Patrem nostrum quatenus onus sibi impositum viriliter suscipiat et patienter ferat, pro sua et totius nostri Ordinis utilitate ac salute. Et præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus et singulis

URBANISTARUM DECRETA.

Electio R. P. Christophor. confirmatur.

Vita Steph. Macon. Lib. II, cap. 12.

57 *e*

ANNUS 1392

personis nostri Ordinis, tam prælatis quam subditis, quatenus eumdem Reverendum Patrem nostrum, ut tenentur, audiant, et in omnibus obediant humiliter. »

Posthac, confirmata ordinatione qua per Chartam anni præteriti cartusiam Seizensem sui Generalis sedem destinaverant, declarant eum non posse terminos ejusdem Domus egredi more Priorum Majoris Cartusiæ. Deinde Conventualibus Seizentibus omnes easdemque concedunt prærogativas et immunitates, tam in electione Ministri generalis quam in universo deinceps celebrando Capitulo, atque in aliis super annum ex ejusdem summi Præsidis decreto transigendis expediendisque negotiis, quas Monachi Matris Cartusiæ jam inde a priscis temporibus juxta Statuta habuisse constat. Voluntque ut singulis annis, juxta antiquam consuetudinem Visitatores nominentur qui congruis temporibus eumdem Conventum habeant visitare. Denique eadem prorsus tum ab ipso Generali tum ab ejus Monachis volunt observari quæ observarent si reipsa ipsam Majorem Cartusiam incolerent.

Domui Seizensi omnia Major. Cartusiæ privilegia conceduntur.

Extat de his sequens decretum : « Ordinationem anni 1391 quæ ita incipit : Et quia præfatus Reverendus Pater noster Domnus Cartusiæ..., approbamus ; adjicientes, de consensu et unanimi voluntate omnium Priorum existentium in præsenti Capitulo generali anno 1392, si et quando Priorem Cartusiæ resignare contingeret vel exolvere debitum carnis universæ, quod Conventus dictæ Domus S. Joannis in Seiz, convocatis Confirmatoribus per Capitulum deputatis, ad electionem Prioris Cartusiæ cum timore Dei valeat procedere; periculosum enim valde esse duximus, si tanti Patris electio usque ad sequens Capitulum proteletur. Concedentes eidem Domui in Seiz, durante duntaxat schismate, omnes et singulas libertates, sive immunitates, tam in electione Prioris Cartusiæ, quam in Capitulis generalibus, et in aliis super annum disponendis et ordinandis, quas ab antiquis temporibus dicta Domus Cartusiæ dignoscitur habuisse. Assignantes Priori Cartusiæ terminos S. Joannis in Seiz pro

terminis Domus Cartusiæ, quos secundum Ordinis nostri Statuta, exire non poterit. Et quia Visitatio Prioris Cartusiæ, non absque detrimento Ordinis, jam diu extitit neglecta, ordinamus quod de cætero Diffinitores Capituli generalis, habito inter se diligenti tractatu, diffiniant et ordinent et in Charta Capituli exprimant, qui Priores debeant visitare Priorem Cartusiæ et Domum ejus, quemadmodum Visitatores aliarum Domorum Ordinis in Charta ordinari et exprimi consueverunt. Item ordinamus, quod de cætero Prior Cartusiæ, antequam finiatur Capitulum, teneatur ostendere Diffinitoribus Capituli generalis plenarie statum dicti Capituli. Qui status per dictos Diffinitores redigatur in scriptis præsentandus Diffinitoribus futuri Capituli generalis, antiquo Statuto de ratione videnda per duos Priores de expensis factis in Capitulo generali, nihilominus in suo robore remanente. » Ut autem mandata hujusmodi effecta reddere inciperent, Priores Vallis sancti Mauritii et Portæ beatæ Mariæ nominant, qui « Domum Cartusiæ et Provinciam Alemaniæ superioris » eodem anno visitabunt, eosdemque eligunt qui cum Bononiensi et Mediolanensi Prioribus cœtum privatum casu exigente celebrarent; adjicientes quod in casu « quo contingeret Domnum Cartusiæ exolvere debitum carnis universæ, iidem sic delegati electionem per Conventum canonice faciendam de Domno Cartusiæ habeant confirmare, si talem elegerit quem ad regendum Ordinem nostrum idoneum possint judicare, alioquin nullatenus consentiant ; in quo eorum conscientias onerant. »

ANNUS 1392

Preces pro S. Pontifice Bonifacio.

Cum vero exhibitæ fuissent bullæ exemptionis Bonifacii, quas anno superiori exscripsimus, aliaque qua licebat Priori Cartusiæ schismaticos absolvere ; post orationes more solito pro eodem summo Pontifice institutas, earumdem gratiarum mentionem faciunt his verbis : « Qui etiam nuper ex benignitate Apostolica concessit Ordini nostro privilegium exemptionis a Diœcesanis, et aliud quod Prior Cartusiæ possit absolvere quascumque personas Ordinis præsenti schismate involutas, et quod dictam autoritatem possit etiam com-

ANNUS 1392

mittere quibuscumque aliis Prioribus Ordinis. Et alias multas gratias speciales aliis personis Ordinis gratiose et misericorditer concessit. Deinde octo Priores nominant, quibus committimus, inquiunt, quod possint absolvere quoscumque schismaticos ex autoritate Ordini concessa per Dominum Bonifacium Papam modernum. »

Nullus e Belgio ad hæc comitia, propter vexationem quam diximus anno elapso contra Urbanistas a duce Burgundiæ motam, ausus est accedere; quapropter cum ipsi Diffinitores mala suis imminentia per literas accepissent, Balduino et Willelmo Prioribus Domorum S. Gertrudis in Hollandia et B. Mariæ in Geldria, ejusdem Provinciæ Visitatoribus, quædam suggerunt remedia ; præcipue vero ut ad alias Domos extra Provinciam monachos fideles transferant. Et ne Patres Germani hujusmodi personas ad se missas inviti reciperent, utriusque Alemaniæ Prioribus tale per eamdem Chartam mandatum significant : « Ordinamus autoritate Capituli generalis, quod Visitatores Provinciæ Picardiæ transmittere possint quascumque personas Ordinis venientes de schismaticis ad provincias Alemaniæ superioris vel inferioris, prout eorum conscientiis videbitur. Injungentes singulis Prioribus ut eos sine contradictione benigne recipere teneantur, nisi forte locis carerent. »

Ordinationes.

Quædam etiam in hoc celeberrimo Conventu circa disciplinæ regularis conservationem edictæ sunt Ordinationes, ex quibus istæ sunt notatu dignæ :

In grangiis nostris mulieres habitare prohibentur.

« Cum alias per Capitulum generale fuerit ordinatum, quod mulieres non habitarent in grangiis sive in Domibus Ordinis ubi personæ Ordinis habitant, nec apud quosdam emendatio est sequuta : ideo ordinamus quod de cætero Visitatores sint diligentes et super præmissis sollicite inquirant, et quos culpabiles esse invenerint, tanquam Deo et Ordini inobedientes et suæ Regulæ contrarios graviter puniant; nolentesque se emendare, absque retractatione ab obedientia absolvant : super quo eorum conscientias coram districto judicio oneramus. Sollicite enim nobis providen-

ANNUS 1392

dum est ne tam solemnis observantia a sanctis Patribus, inspirante Deo, ab antiquis temporibus utiliter introducta et observata, quod mulieres non solum cohabitare cum personis Ordinis, sed nec terminos nostros intrare permittant, ex negligentiæ causa ad nihilum deducatur. Quod si aliquibus mulieribus habitatio sit indulta aliquarum Domorum seu grangiarum ad vitam, nec absque scandalo hujusmodi concessio possit infringi, nec in dictis domibus possit fieri sequestratio ; ordinamus ut ad tales grangias seu domos personæ Ordinis nullatenus declinent ad hospitandum, sed potius vadant ad hospitia communia, si ad monasterium Ordinis ea die pertingere non valerent. Et de cætero nulli mulierum propter quodcumque emolumentum sive utilitatem qualemcumque, in domibus seu grangiis Ordinis hujusmodi habitatio concedatur. Si vero Prior aut Procurator contra fecerit, ipso facto ab obedientiis absolvantur. Monachi vero consentientes sint in disciplina criminosorum ad Ordinis voluntatem. » Et ne ullam in præcavendis animarum periculis solertiam ac diligentiam prætermitterent, cum scirent quarumdam Domorum res ita dispositas esse, ut earum Conversi necessario extra cœnobia aliquando commorari deberent, statuunt ut in his locis, maxime in molendinis prope quasdam Domos sitis, Conversi non habitent absque societate alterius Conversi vel honesti famuli ; super quo Priorum onerant conscientias.

Participationum forma.

Circa literas quas *Participationes* vocamus, hanc edunt præscriptionem : « Quia multi adinvenire conantur diversas et varias formas participationum præter modum et antiquam formam Ordinis nostri, ideo ordinamus quod de cetero quicumque impetrare voluerit a Capitulo generali vel a Priore Cartusiæ ejusmodi Participationes seu alia beneficia spiritualia, scribat ea in forma consueta in Ordine prout hic continetur inferius, qui vero aliter scripserit, nullum exspectet responsum ; ordinantes quod dicta beneficia non concedantur nisi per Capitulum generale vel per Priorem Cartusiæ. Sequitur forma :

ANNUS 1392

« F. N.... humilis Prior Cartusiæ cæterique Diffinitores Capituli generalis, dilecto nobis in Christo N..., salutem in Domino et orationum suffragium salutare. Meretur vestræ devotionis affectus ac piæ intentionis fervor quem ad Ordinem nostrum et specialiter ad Domum talem concepistis, magis ac magis apud Dominum continuo juvari et attolli suffragiis, ut in quo largius ac copiosius super vos divina gratia coruscavit, eo bonitas vestra apud Deum proficiat. Et ut hujusmodi devotionis obsequia, autore Domino, vobis sint fructuosa : vos omnium Missarum, orationum, Horarum, psalmorum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, eleemosynarum, disciplinarum, cæterorumque spiritualium exercitiorum, quæ Deo autore in nostro Ordine fiunt et fient in posterum, participes facimus et consortes in vita vestra pariter et in morte ; addentes de gratia speciali quod cum obitus vester (quem Deus felicem faciat) nostro fuerit generali Capitulo denunciatus, pro animæ vestræ remedio, injungemus orationes per totum Ordinem celebrari, quæ pro hujusmodi nostris participibus fieri consueverunt. Datum cum appositione sigilli Domus Cartusiæ in testimonium præmissorum. Anno Domini.... sedente Capitulo generali. »

Denique, « injungunt omnibus personis Ordinis quod ad sequens Capitulum generale deferant vel transmittant omnes et singulas licentias eisdem concessas per Priorem Cartusiæ piæ memoriæ (Jannotum nuper defunctum) vel Capitulum generale, confirmandas per Priorem Cartusiæ modernum et Capitulum generale, alias eisdem non utantur. »

ACTA CLEMENTINORUM.

II. Nec minori studio Clementini abusus observantiæ Cartusiensi contrarios a suis Domibus eliminabant, ut in sequentibus ordinationibus hoc anno per eorum Chartam promulgatis apparet, quarum hæ sunt præcipuæ :

1. « Chartæ Visitatorum et Capituli generalis non ostendantur extraneis, nec inducantur ad suffragia spiritualia expetenda. » Simile quid ab Urbanistis præscriptum superius vidimus.

2. « Personæ Ordinis suos superiores infestantes ut ad

alias Domos se transferant, vel quod domos suorum amicorum aut parentum possint visitare, si tertio in præsentia Conventus ab infestatione non cessaverint, incurrant generalem Ordinis disciplinam.» Jam per Nova Statuta prohibitum erat ne Monachi « quando ibunt ad Ordines..., pro visitandis parentibus a recto itinere notabiliter divertant. » Sed hæc inhibitio extenditur ad eos qui de Domo ad aliam Domum mittuntur; quod etiamnum tam stricte observatur, ut transgredientes pœnam fugitivorum incurrant, ut ex ordinationibus Novæ Collectioni insertis videre est.

Pars II. c. 5. n. 4.

Cap. XXI. n. 4.

3. « Priores et Præsidentes in Domibus Ordinis tenentur tempore Capituli generalis scribere Diffinitoribus, non obstante quod ad partem scripserint vel scribant Domno Cartusiæ. » Hoc intelligendum est de statu Domorum, quem quilibet Prior singulis annis ad Capitulum generale mittere tenetur.

4. « Declaramus quod Clerici Redditi commorantes cum Monachis vel cum ipsis existentes, teneant cellam, silentium et Ordinem sicut Monachi cum quibus manebunt. » Idem Franciscus a Puteo suæ Compilationi inseruit.

Cap. II. n. 1.

5. « Ordinamus et volumus quod amodo Monachi et Claustrales non dividant inter se nec recipiant pecunias datas vel quæ dabuntur Conventibus, Domibus vel personis; et si qui habeant pecunias, præcipimus eis quod statim ponant in manibus Priorum suorum, alias pro proprietariis reputentur, nec Priores in contrarium licentias concedant.

De collecta Capituli general. solvenda.

6. « Quia sunt nonnulli qui, quamvis sæpissime fuerint requisiti, non curant solvere et satisfacere Domno Cartusiæ de collectis et aliis debitis in magnum et grave præjudicium Domus Cartusiæ et Capituli generalis : volumus et ordinamus quod omnia debita prædicta tradantur in scriptis Visitatoribus singularum Provinciarum in præsenti Capitulo ordinatis, et ipsi Visitatores debita ipsa exigant et requirant ac recuperent cum effectu ; contradictores et murmuratores pro ingratitudine vel inobedentia taliter puniendo quod cedat omnibus in metum et exemplum.

ANNUS
1392

7. « Inhibemus Monialibus Domus Berthaudi sub pœna inhabilitationis perpetuæ, ne amodo recurrant ad amicos vel notos, vel scribi faciant Capitulo aut Domno Cartusiæ de promotione alicujus ipsarum ad officia Ordinis, vel inquietent se invicem, aut Vicarium aut Priorissam, in quocumque. »

Tandem post orationes Clementi concessas, declarant « quod ipse ductus paterna charitate, donat pro anno præsenti personis Ordinis Indulgentias quas in Sancta Septimana solet dare præsentibus in Curia, scilicet ducentorum annorum et totidem quadrigenarum, necnon et omnes Indulgentias quas peregrini sancti Petri de Monte-Malorum in Inventione sanctæ Crucis proxime præterita meruerant, quæ sunt valde magnæ et multo majores quam aliæ præcedentes. »

Hujusmodi Indulgentias Clemens concesserat ad petitionem sui Eleemosynarii, ut paulo post Patres innuunt, cum præcipiunt ut « pro Eleemosynario Domini Papæ, qui procuravit isto anno eleemosynam consuetam et Indulgentias suprascriptas, dicant celebrantes unam missam de B. Maria, in qua dicatur oratio *Omnipotens qui vivorum* pro omnibus vivis et defunctis pro quibus intendit. »

PETRUS PRIOR ASTENSIS UNIONEM ECCLESIÆ PROMOVERE INTENDIT.

III. Inter hæc Petrus de Mediolano, monachus Majoris Cartusiæ, Prior tunc novæ Domus Astensis, vir ad magna pro divino cultu audenda a Deo conditus, totis viribus Romæ laborabat ut Bonifacii animum ad pacem Ecclesiæ reddendam inflecteret. Hunc nascente schismate vidimus idem opus apud Urbanum aggressum fuisse, qui suos conatus cernens irritos fieri, ratusque ad tempus cedendum, in matris Cartusiæ sinum se recepit, unde ad regendam novam Domum Astensem missus est ut anno 1387 diximus. Ibi dum gregem sibi commissum ad omnem fingit virtutem, mortuo Urbano, reviviscit in eo mens ardentius instandi revocationi membrorum Christi ad unum caput. Novis igitur a Deo auctus gratiis, cum ad tam egregium facinus rite prudenterque audendum per biennium se comparasset, Majorem repetiit Cartusiam, ubi inter Diffinitores anno supe-

ANNUS 1392

riori assumptus, communicatis privatim cum Guillelmo Generali suis consiliis, in Lombardiam revertitur cum integra potestate cuncta gerendi quæ suo proposito magis expedire duceret. His adjutus auxiliis, multa de hoc negotio cum Cardinalibus Transalpinis contulit, tandemque cujusdam Cardinalis consilio Bonifacium adiens, Literas ab eo impetravit ad regem Galliæ Carolum VI, datas quarto Nonas Aprilis hujus anni. Papa, ut maturius res tractaretur, Petro comitem ac velut totius legationis ducem dedit Bartholomæum Ravennatem, cartusiæ Gorgonensis Priorem, ab Urbano ejus antecessore ad res Ecclesiæ promovendas aliquando adhibitum, quem a biennio apud se degentem sibi semper fore fidelissimum sperabat; cui præterea et ejus nomine liberi commeatus tabulas dari jussit.

Spond. ad hunc ann. n. 5.

Bartholomæus itaque et Petrus Avenionem primo accedentes, a Clemente ingrate excipiuntur, jussi in claustrum cartusiæ Villænovæ concedere. Inde sæpius ad præsentiam ejus evocati, nec precibus nec minis compelli potuerunt, ut bullam Bonifacii traderent. Inter hæc Avenionem quoque accesserat B. Ursulina Parmensis, illuc ad cessionem Clementi persuadendam divinitus missa, cujus exemplo et verbo videntur Nostri nuncii tantam tenuisse firmitatem animi. Hujus sanctæ virginis Vitam Simon de Zanachiis cartusiæ Parmensis professus ac Montellanæ Prior, anno 1472 satis eleganter scripsit. Cum vero quæ de divina Ursulinæ ad Clementem missione et ejus cum eo colloquio, ex epistolis præfati Prioris Gorgonensis testis oculati didicisse profiteatur, nec de his ulla apud alios eorumdem temporum scriptores mentio habeatur, ea hic subjicere non penitus abs re nostra videtur. Sic igitur habet noster Simon :

A Papa mittitur ad Regem Franciæ.

« Quodam igitur tempore, cum sacratissimum Christi corpus assumpsisset in die Paschæ, et spirituali gaudio intrinsecus jucundaretur, facta est illi vox Domini dicens : Jam præpara te ituram, quo mittam te. Quo audito mox fidem præbuit imperanti.... Cunctis itaque paratis ad iter, matre socia et consanguineo ejus et una alia muliere

Apud Bolland. die VII April., cap. II. n. 12.

ANNUS 1392

honesta, tunc dixit B. Ursulina : Domine, quo me vis ire? Cui Dominus : Versus civitatem Avenionem Galliæ transalpinæ, ubi pseudo-papa Clemens commoratur. Nonne intelligis quantum schisma est in universa Christianitate propter ipsum? Illuc tuos verte gressus.... Quæ tandem ad optatam urbem incolumes devenerunt.

Quæ Avenione egerit B. Ursulina.

« In ipsius itaque conspectu Antipapæ constituta, in terris genua flectens, expansisque manibus, oculisque directis in cœlum, clara inquit voce : Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Tali itaque audita salutatione obstupuerunt omnes. Tunc Antipapa mandavit ut omnes parumper secederent, et ad se propius illam ire jussit. Cui illa, lingua intrepida, vultu audaci et mente non pavida, per horam fere cum dimidia, absque hæsitatione sermonem exolvit, quem talibus verbis conclusit : Noveris, quod si ea quæ tibi exposui pro parte Domini nostri Jesu Christi, exequi tardaveris; sedes tua in inferno parem locum cum ipso Lucifero habitura est. His etenim verbis non parum perterritus est Antipapa, ac circumstantium aures pertimescens, altera statuta die illam denuo audire decrevit, ut sic subdolas aures commodius captato tempore posset devitare. Tunc de solio suo exurgens Antipapa, cum B. Ursulina devenit usque ad secundam portam atrii sui ; ubi cum ipse se obtulisset beatæ Ursulinæ facturum quidquid sui gratia posset expetere, ait illi B. Ursulina alta voce : Ego potius cortices arborum assumerem mihi in cibum, quam quidquam de tuo paterer accipere ; et his dictis abscessit. Tunc omnes pseudo-cardinales indignati sunt contra Antipapam, quod pro una muliercula a solio suo surrexisset, et tantum honoris illi impendisset. Quibus ait : Non huic mulierculæ, sed Domino qui misit illam.

Clementem admonet.

« Altera vero die statuta, B. Ursulina Antipapam adivit. Quam cum ad se ingredi ipse intellexisset, tremore tanto pariterque timore arreptus est, ut nullo pacto auderet illam introducere ad se, ejusque intueri conspectum ; ita ut illam invisam ad domum remittere fuerit coactus. Altera quoque

die jussit illam ad se accersiri. Cum autem novit illam præ foribus esse, multo majori corripitur timore et magis quam primo gelidior tremor per membra cucurrit. Secundo remittitur ad domum, altera die audienda commodius. Iterum et tertio ducitur ad Antipapam ; cujus cum ille novisset adventum multo vehementiori quam primo et secundo loco timore oppressus est ac tremore quassatus. Infelix ille! cum tot tantisque cognitis indiciis, hanc beatam virginem summa cum veneratione et suscipere et audire debuisset; illam ut pestiferum quoddam diabolico coactus imperio, cui potius quam Deo serviebat, a se remisit, nec illius ullo modo passus est videre præsentiam quam antea tanto honore fuerat veneratus. O miser et omnium hominum infelicissimus, et divinæ monitionis ac salutis contemptor infandus! qui tot attractus modis, tantis præmonitus disciplinis ac divinis prævisus correctionibus, suam perfidiam tantam ac impietatem, in se et sanctam Dei Ecclesiam distulit agnoscere. Videns igitur beata Ursulina quod miser ille Antipapa, pro nimio timore et tremore sibi diabolice illatis, illam ad se introducere non auderet, quodque ex ore ejus Dei voluntatem nollet intelligere; pernimia ibidem circumstantium hominum multitudine audiente, inquit : Cœlum, terram, mare, et omnia quæ eorum ambitu continentur, invoco et obtestor, quod venerim ei intimare Dei voluntatem, sicut ipse Deus mihi præcipere et mandare dignatus est. Et his dictis, pedem inde retorsit, et absque mora ab urbe discedens, Parmam rediit. » Quomodo vero postea Romam pergens, in Bonifacii concilium a nostro Bartholomæo Ravennate deducta fuerit, anno sequenti dicemus.

qui eam rursus audire timet.

Nostros quoque Clemens, denegata eis sua præsentia, vel diutius captos detinuisset vel in Italiam vacuos redire coegisset, nisi re Parisiis cognita, Rex, Universitatis postulatu, Pontificem monuisset eos liberos dimittere. Lutetiam ergo circa festum Natalis Domini venientes gratioseque accepti, responsum ore tenus (neque enim Rex literas rescribendas putavit, ne filialem rescriptionem profitens, videretur subito

Petrus Cartusianus Lutetiam venit.

ANNUS 1392

a Clemente desciscere) receperunt, se monita a Bonifacio missa æquo animo suscepisse, omnesque vires regias promptas fore ad unionem Ecclesiæ procurandam. Et ad hoc in Italia persuadendum, Petro et Bartholomæo duos alios nostri Ordinis adjunxit, nempe Simonem de Chaigneto et Joannem de Vallibus Parisiensis et Divionensis Domorum Priores.

Ejus legationis series describitur.

Hujus legationis series cum Bonifacii ad Regem Literis fusissime describitur in Historia ms. Caroli VI, autore coævo anonymo sancti Dionysii abbatiæ monacho. Ex cujus codice hodie in amplissima bibliotheca Colbertina asservato, dum erat Thuanæ, Josephus Quesnel ejusdem custos, quæ præfatam spectant legationem nostri gratia exscripsit ac officiose nobis tunc in S. Juliani cartusia degentibus, ante quindecim annos misit in hunc qui sequitur modum, cum tali ejus inscriptione : De promotione unionis Ecclesiæ per duos Cartusienses.

« Divisionem Ecclesiæ dilectissimæ sponsæ Christi perpauci cum cordis amaritudine perferebant, et fere quotquot in regno Franciæ ad prælaturas ascendissent, herbis veluti delusi, vel cantato carmine muti facti et elingues, hoc nefandissimum schisma dissimulanter transibant. Ut tantæ desolationi et intolerabili miseriæ opportunum adderetur remedium, sola Parisiensis Universitas veneranda, prædicationibus publicis et monitis laborans pro viribus, in vanum huc usque Regis aures et procerum fastidierat. Quorum tamen tandem mutatum est propositum quodam laudabilis vitæ religioso Cartusiensi mediante. Hic Petrus nomine, in Lombardia degens et cartusiæ civitatis Astensis præsidens, propter ejus arctam vitam omnibus transalpinis Cardinalibus notus erat. Unde quemdam eorum visitans, cum verbis devotionis eum ad promovendam pacem Ecclesiæ induxisset, tandem ejus usus consilio, Bonifacium qui pro summo Pontifice se gerebat, propter hoc adiit indilate. Quem cum dulciter excepisset et ei secrete loqui pluries concessisset, ejus monita cum gravitate attendens italica, penitus non

despexit ; sed cum quid opus negotio esset quadam die quæsivisset, libereque respondisset Literas Regi Franciæ super hoc mitti debere, hoc Bonifacius lætanter annuit et benigne. Tunc pro afflictione Ecclesiæ quasi paternam gereret sollicitudinem, suorum Cardinalium consensu, Religiosum præfatum exhortatorii sermonis gratiam misit cum apostolicis Literis, quarum tenorem ad perpetuam memoriam et de consilio quorumdam circumspectorum virorum, de verbo ad verbum hic inserere dignum duxi :

ANNUS 1392

Mon. S. Dionys. Tom. II. Lib. XIII, cap. 14.

Bonifacii ad Regem epistola.

« Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Carolo regi Franciæ illustri, salutem. Regia circumspectio, prout fide dignorum quamplurium relatu nostras crebro perducit ad aures, ingemiscit singulariter atque dolet, quod omnipotens Deus universale malum hoc, videlicet summopere deflendum schisma sanctæ Ecclesiæ, peccatis exigentibus, permisit ac tam diu in ea durare permittit ; ut qui ad regimen populi in meliorem partem a Deo dati, ad unitatem et reintegrationem ipsius Ecclesiæ et sedationem tanti mali, quod non solum animarum saluti verum etiam corporibus et bonis mundialibus periculosissimum et perniciosissimum est, assurgere, invigilare et operari deberent et possent, segnes transeunt, et quasi non curant, imo quodam modo dolere non videntur. Sed cum venit in mentem quod hæc talium rerum jugis et magni pendenda memoria et animadversio tuo sedet in animo ; et quod tu ex ea non solum vetustissima atque nobilissima, sed etiam Christianissima et virtuosa progenie ducis originem, de qua multi venerandi, memorabiles et inclyti Reges et Principes prodiere ; ut etiam eorum aliqui fluctuantem Ecclesiam et rem publicam, fide, integritate, industria, indefessis laboribus, gravioribus periculis, magnisque sumptibus juverint, foverint, defensarint et ad portum salutis ac tranquillam duxerint stationem : et vice versa, cum fuit opus, nonnulli tui progenitores, etiam in recenti memoria, ab eadem Ecclesia præcipuos honores et optima commoda reportarint ; et eam ob rem tanta inter Ecclesiam piam matrem et progenito-

ANNUS 1392

res ipsos præcarissimos filios connexio indissolubiliter viguerit, ut etiam Ecclesia absque illis et illi absque Ecclesia, si recenseantur Annales, nunquam vel raro magnificum quid feliciter tentaverint : spes nos bona fovet quod, propitio Deo, ad unitatem et sedationem hujusmodi multa operabis laude digna ; et forte ista Ecclesiæ calamitosa divisio tuis operationibus magna ex parte sopietur. Potes enim, si non desit recta voluntas (et ut non desit Deum suppliciter exoramus) : nam ingenium, vigor animi, robur corporis, ætas integra, consilium maturum, opes, favor, opinio et alia requisita, abunde tibi per Dei gratiam suppetunt ad hanc rem. Ideoque tuam Serenitatem requirimus, paterne monemus, rogamus, hortamur, et obsecramur per viscera misericordiæ Jesu Christi, per desideratam salutem, per æternum præmium, per integram prosperitatem hominis utriusque, tandem omnes spes quæ de probe gestis concipi possunt, quatenus hanc Dei causam prompte suscipiens ac constanti animo prosequens, commendanda dignorum progenitorum vestigia imitatus, ad intemeritatem veritatis et unitatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ te conformans, ad hujusmodi reprobi schismatis ac divisionis remotionem et Ecclesiæ reintegrationem, ingenii tui vires et efficaces operas adhibere velis, nec ulterius retardare. Nam satis super dicta causa rectus zelus populi Christiani intepuit, sanguis humanus effusus, et infidelibus sancta religio et Catholica fides ludibrio habita est. Et si tenella ætas, in qua tempore orti schismatis adhuc eras, te utcumque forsan hactenus excusavit, de cætero nulla talis excusatio locum habet. Et si recte inspiciatur quæ sit res illa ad quam te invitamus, nulla res honestior, nulla æquior, nulla justior, nulla præclarior, nulla opportunior, nulla magis necessaria, nulla denique Principi catholico et animo sublimi dignior, modernis temporibus esse aut reperiri posset. Expergiscere igitur jam demum, dilectissime fili ; age, stude atque labora, nec desinas operari quod tam desideratum tamque necessarium bonum, quantum in te est, ad effectum debitum perducatur. Nos enim quam primum te

Eum enixe adhortatur ad unionem procurandam.

ad id dispositum fore senserimus, nec aliter quam per tuas literas aut nuntios cum bona credulitate sentire poterimus; parati sumus tecum opponere partes nostras, nihil de contingentibus omittendo. Ad præmissa ergo non gravaberis respondere. Datum Romæ, apud S. Petrum, quarto Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio. »

« Ut autem monitorii apices honorabilius offerrentur, et jus transalpinæ partis tutius deduceretur, idem Bonifacius quemdam in utroque jure excellentissimum professorem decrevit in Franciam destinare. Sed hoc Religiosus impedivit. Multis namque modis, humilitate non argumentorum multiplicatione, divina flecti posse consilia asseruit; nec fama eloquentiæ sive disputationibus schisma sopiendum esse, sed bona spe et intentione recta. Quapropter quemdam sibi similem, Priorem de insula Gorgoniæ, nomine Bartholomæum de Ravenna, secum accersiens, legationem suscepit peragendam.

Legationi Avenionens. Pontifex adversatur.

« Eodem sane tempore Avinione cum Papa Clemente, ejus super omnes regni Franciæ proceres protector præcipuus, dominus Dux Bituriæ, Regis Franciæ patruus degebat. Qui ambo rei gestæ seriem, ut audierunt, impatienter tulerunt et executionem negotii impedire his mediis tentaverunt. In primo namque adventu legatorum non accesserunt vultus boni, et audientia diebus pluribus denegata, jussi sunt in cartusia propinqua solitarie vivere. Quo spatio pluries evocati, cum libere profiterentur rescriptum Regi Franciæ super unione Ecclesiæ se afferre, illud tamen minis, terroribus, injuriosis quoque verbis lacessiti prodere renuerunt, donec illud Majestati regiæ obtulissent. Fama detentionis eorum vento citius volante, ad notitiam Universitatis Parisiensis pervenerat. Quare ne (quod sperabatur) tandem durius tractarentur, Regem mox adiit et liberationem validis precibus impetravit, ostendens secundum jura gentium etiam barbararum quemquam Missum injuriis deprimi non debere. Rex, justis precibus acquiescens, ob hoc regios apices Papæ Clementi direxit, qui tandem nolens offensam ejus incurrere,

ANNUS 1392

Religiosis evocatis unionem Ecclesiæ multis mediis commendavit, finaliter concludens isto modo : « Euntes Regi filio nostro carissimo dicite quod ad hanc adipiscendam omnibus modis intendimus interponere vices nostras, nec aliquid de contingentibus omittemus ; jurejurando affirmantes quod ad ipsam acquirendam velocius quam exuimus cappam nostram, exponeremus caput nostrum. » Hoc tamen verbum postmodum frivolum reputatum est, nec recta intentione procedens. Nam quemdam in utroque jure Doctorem excellentissimum Religiosorum vestigia sequi jussit, ut legationem eorum, si possibile esset, impediret. Qui, quamvis ob excellentiam ejus (vel ut verum fatear, per derisionis modum) Saccus legum vocaretur, eis tamen leges suæ minime nocuerunt. Nam a Rege et suis Illustribus gratiose excepti et in consilium admissi, facta dicendi gratia quæ placerent, lætis auribus auditi sunt ; perlectisque Literis apostolicis, responsum jussi fuerunt exspectare, quod per consilium Regis fuit breviter expeditum. Primo namque, ne Clementi Rex injurius videretur obediensque Bonifacio, dissuasa fuit sibi filialis rescriptio ; nuntiis tamen injunxit ut oraculo vivæ vocis referrent ipsum monita transmissa bono animo suscepisse, omnesque vires regias promptas esse ad unionem Ecclesiæ promovendam. Ut autem voluntas ejus Lombardiæ principalioribus Dominis nota esset, per Religiosos præfatos eisdem apices destinavit ad pacem et unionem Ecclesiæ inducentes. » Sicque eis adjunctis duobus Prioribus, cartusiarum scilicet Divionensis et Parisiensis, Bonifacii legatos dimisit. Prior autem cartusiæ sanctæ Trinitatis prope Divionem vocabatur Joannes de Vallibus, de quo in serie chronologica ms. Priorum hujus Domus dicitur : «... Multas ad commissæ sibi Domus utilitates prudenter gessit ; legatione quoque functus est a rege Carolo VI ad Bonifacium IX Romanum Pontificem, cum Simone de Chesnal (de Chaigneto) Priore cartusiæ Parisiensis, tempore schismatis, anno Christi 1393. Frequens Joannis de Vallibus mentio est in Chartis domesticis usque ad annum 1404, qui fuit illi supremus. »

Legati a Rege excipiuntur.

Hujus quoque legationis meminere Joannes Juvenalis Ursinus, eodem vivens tempore, in Historia Caroli VI gallice edita : et diu post eum Belleforestius, qui mihi errare videtur cum dicit Bonifacium proposuisse viam cessionis : contrarium enim apparet ex ejusdem Bonifacii Literis superius exscriptis et aliis anno futuro exscribendis. Nostrorum quoque Cartusiensium non est oblitus Petrus Puteanus in generali schismatis Historia, ubi citat codicem ms. Bibliothecæ regiæ.

Annal. Francor. Lib. V. c. 24.

ad ann. 1392.

Porro quid nostri Legati apud Bonifacium profecerint sequenti dicemus anno.

RUBI B. MARIÆ DOTEM AUGET FUNDATOR.

IV. Vidimus ante biennium cartusiam Rubi B. Mariæ olim ad Domum Vallis Josaphat translatam, tunc priori loco prope Litosmilium restitutam fuisse. Facultatibus igitur Olomucensium Patrum hac restitutione non parum diminutis, Judocus marchio Moraviæ, quem fundatorem Nostri habebant, ut hoc nomine æquissimo jure mereretur, alia bona suppeditat his scriptis Literis : « Jodocus, Dei gratia marchio Brandeburgensis, S. R. I. archicamerarius, marchio et dominus Moraviæ, notum facimus tenore præsentium universis, quod cum præcipue intra omnia opera humanæ negotiationis præ oculis habeamus qualiter salutem nostram, quam interdum juxta imbecillitatem conditionis naturæ fragilis et caducæ propria culpa negligimus, saltem intercessione aliorum, ne apud vineam Dominicam stemus otiosi omnino in conspectu Altissimi, restauremus, oculos deliberationis internæ ad Fratres Cartusienses convertimus qui spretis hujus seculi ornamentis, sub strictura clausuræ, veste tecti hispida, cibo asperrimo et hoc moderatissimo pro sustentatione vitæ potientes, devotarum orationum in odorem suavitatis pro peccatis non solum suis, sed universi populi Christiani, supplices diebus et noctibus, pinguia offerunt Altissimo holocausta. Quocirca ut orationum ipsorum et bonorum operum simus participes, religioso ac honorabili F. Stephano Priori et toti Conventui ac eorum successoribus novæ plantationis nostræ Domus Vallis Josaphat

Laus Ordinis Cartusiensis.

ANNUS 1392

virginis gloriosæ Mariæ et gloriosi Hieronymi Doctoris eximii, Ordinis Cartusiens., in Dolan prope Olomucium ubi struendi templi seu ecclesiæ per se primum lapidem injecimus fundamenta, curias nostras in villa Palonin sitas cum agris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, rubetis, aquis, fluminibus et singulis aquarum decursibus, ad easdem curias ab antiquo tempore pertinentibus cum plenis jure et dominio, quemadmodum easdem curias in suis limitibus et terminis ab aliis bonis circumjacentibus distinctas, olim felicis memoriæ illustris D. Joannes marchio Moraviæ, genitor noster, tenuit et habuit suis pecuniis comparatas, dedimus, donavimus, et virtute præsentium animo deliberato ac de certa nostra scientia damus, donamus, per ipsum Priorem ac Conventum ipsius et eorum successores perpetuis temporibus jure hæreditario tenenda, habenda, fruenda et etiam possidenda ; et possessionem omnium bonorum illorum eis mox dedimus, ut hæc nostra donatio robur validius acciperet firmitatis. Mandamus igitur Camerario czudario et Notario czudæ * nostræ Olomucensi, officialibus fidelibus et dilectis, ut omnia bona ista juxta tenorem præsentis Literæ, dum primum tabulæ terræ in Olomuz apertæ fuerint, ipsis tabulis more patriæ sine alia requisitione, mox visis præsentibus, inscribant pariter et imponant, præsentium sub nostri appensione sigilli testimonio Literarum. Datum Olomucii, anno Domini 1392, 3 die mensis Julii. »

Villam de Palonin concedit,

* castellum.

Hæc omnia generosus fundator die 17 Januarii 1406 confirmavit apud Olomucium, dato quod sequitur Instrumento :

Apud Molin. p. 738.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, amen. Nos Jodocus, Dei gratia marchio Brandenburgensis, marchio et dominus Moraviæ, ad universorum notitiam cupimus pervenire, quod dum humanæ vitæ exitum puriore mente revolvimus, et caducæ ejus fragilitatis habitudinem solertius animo agitamus, in hoc quidem intentionem nostram figimus et diversos cogitatus finaliter stabilimus, quemlibet hominem cujuscumque status, conditionis, gradus vel eminentiæ existat, et præcipue qui se excellentiori Principum dignitate

cum abundantioribus rebus præferri cæteris recognoscit, ad hoc duntaxat ab omnipotente Deo tanta sibi credita cum cura animi suscepisse talenta (quæ propterea quia mentes mortalium sollicitudinibus afficiunt, spinis Evangelico testamento comparantur) ut se in conspectu Domini gratos villicos, id est dispensatores idoneos, in die ultimati Judicii comprobarent. Et licet non tam temere de bonis confidamus temporalibus ut largitione eorum nobis regnum cœlorum emere præsumamus, tamen in dispensatione eorum sancta voluntas cujuslibet cognoscitur dispensantis. Ut igitur ad exemplum proborum, partem rerum nostrarum cum illo videamur partiri, cujus totum fore dignoscitur quod habemus, ad omnes Religiosos deliberationis nostræ oculos convertimus, qui quotidie Missarum solemnitatibus ejus Passionis agunt memoriam, qui larga effusione sui pretiosissimi Sanguinis in crucis stipite nos redemit : inter horum vero cœtum devotissimum, strictiorem vitam ducentes Fratres Cartusienses animadvertimus, quorum esui caro abominabilis cogit singulos professores mundi delicias cum corporalibus voluptatibus ultra, sicut opinamur, humanam patientiam spe salvifica penitus refutare. Quamobrem, confidentes nos ipsorum orationibus in tantum proficere, ut ab Ipso qui divina potuit potentia linguam pecudis in vocem humanam solvere, gratia nobis data, bonis operibus redempti, de virtute in virtutem per semitas justitiæ, imo vias orthodoxas fidei amplissimas, sancta conversatione et sincera vita diutius prorogata, feliciter ambulemus, propositum olim Reverendi Patris domini Alberti de Sternberg, Luthomislensis episcopi, in fundatione, erectione et dotatione Fratrum dictorum monasterii, prope Luthomis circa Terzck castellum, nostro intuitui proposuimus ; quod quidem inhabilitate loci partim, et partim bonorum temporalium penuria, morte inopinata præventus non poterat consummare, prout Literis et bullis summi Pontificis, ne imperfecta res cœpta maneret, erogatis super eo ut translatio de diœcesi in diœcesim posset fieri, manifestissime illud liquet. Nam talis translatio ad nostrum

Cartusiensibus esus carnium abominabilis.

ANNUS 1392

principatum Moraviæ absque nostro speciali consensu fieri nequiverat, neque Fratres promissione ejus exigua poterant pro vitæ humanæ necessitatibus sustentari.

Collem juxta Dolan concedit fundator,

« Et quia omne opus a principio et a fine debet merito judicari, ut medium quod nunc tranquillo, nunc modo aspero solet regi, fine optimo nullatenus fraudaretur : præfatum propositum prædicti domini Episcopi continuantes feliciter, pro loco dicti monasterii collem quemdam seu promontorium prope Dolan, quod vallem Josaphat primis autoribus placuit nominare, deputavimus ; et animo deliberato, voluntate libera ac de certa nostra scientia, habito super eo cum fidelibus nostris lato et sano consilio, virtute præsentium deputamus, donavimus et donamus ; in signumque bonæ voluntatis nostræ ad hoc pronæ siquidem atque promptæ, initialis ejus structuræ primum lapidem manibus propriis injecimus fundamento. Sane pro sustentatione, victu pariter et amictu ac necessariis usibus Fratrum Ordinis supradicti, quorum primus Prior frater Stephanus loco superius nominato dignoscitur præfuisse (qui sana sollicitudine, cura, precibus et opera, ad omnia et singula quæ sub spe salutis æternæ pro dicto loco fecimus vel facimus inantea, Deo dante occasionem salutiferam nobis dedit), ipsi quidem Priori ejus loci fratri Stephano et Conventui ac eorum successoribus in perpetuum, ad laudem et gloriam altissimi Creatoris, Dei Genitricis intemeratæ virginis Mariæ et Hieronymi gloriosi, donavimus, dedimus, erogavimus, assignavimus, et virtute præsentium, animo deliberato, ac de certa scientia, nostrorum Fidelium maturo consilio accedente, damus, donamus et cum effectu realiter assignamus, et in corporalem possessionem omnium bonorum seu redituum infra scriptorum, præfatum fratrem Stephanum et Conventum solemniter mandavimus introduci, ad hoc ut ipse Stephanus et Conventus qui nunc sunt et successores eorum præfatis bonis in perpetuum potiantur.

una cum duobus curiis allodialibus.

Primo igitur donavimus et damus pro loco superius nominato duas curias allodiales in villa Palonyn sitas, cum agris cultis et incultis... Volumus autem et vigore

præsentium decernimus, ut prænominati Fratres Prior et Conventus sive successores eorum, sæpe dicta bona liberaliter et hæreditarie possideant, teneant, regant, pariter et gubernent, neque ad quemquam hominum occasione ipsorum bonorum respectum habeant et recurrant; at de universis illis bonis per se nobis, dum et quoties ipsam judici contigerit secundum librorum seu registrorum continentiam, vernam solvant. A cæteris vero oneribus, gravaminibus inconsuetis, exactionibus, theloneis duntaxat ad eos spectantibus, ipsos exemimus, excepimus et liberavimus, ac vigore præsentium omnimodo liberamus; ita tamen ut corum subditi et villani in locis ubi thelonium solvitur, sicut cæteri rustici semper solvant. Et quia divina portio nullius fraudis humanæ patitur detrimenta ; si quis ergo hominum præfatos Fratres in sæpedictis libertatibus, reditibus et possessionibus, prout de verbo ad verbum sunt specifice superius expressa, ausu temerario et stolida audacia præsumpserit violare, sciat se veridice ultionem divinam, tam in hoc sæculo quam etiam in futuro non posse, dextera Domini romphea flammigera super noxios minitante, maxime in die novissimo nullatenus evitare. Ad quorum omnium reale et efficax firmamentum, majestatis nostræ majoris appensione sigilli omnia præsentia juxta solitam et priscam consuetudinem mandavimus communiri. »

ANNUS 1392

Quædam de fundatore.

Fuit Judocus Joannis Henrici Brandeburgensis, Moraviæ marchionis, cartusiæ Brunensis fundatoris, et Margaritæ Opaviæ ducis filius, ac Joannis regis Bohemiæ, qui Pragensem cartusiam dotaverat, nepos. In nostrum Ordinem jam propensissimus fuerat ab anno 1376, quo per totum Ordinem preces pro eo indictæ sunt. Marchiam Brandeburgensem post mortem patris accepit, Moraviam vero cum fratre Procopio gubernavit, unde ambo a quibusdam hujus Domus fundatores dicti sunt, licet hic honor soli Judoco videatur tribuendus. Inter utrumque fratrem bello sæpius ab invidis suscitato, universaque Moravia inde conturbata, multis malis nostri Olomucenses lacessi sunt : quos ideo Patres

ANNUS 1392

Ex Chartis Capit. Gen. in Seiz a 1396 ad 1404.

Ordinis per plures annos in Chartis capitularibus « adhortantur, ut in suis angustiis, pressuris et tribulationibus patientiam propter Deum habeant, quibus et propter damna et guerras quas perpessi sunt, taxa Capituli generalis dimittitur. » Sed cum Procopius anno sequentis seculi quarto, a Sigismundo rege Hungariæ et Ducibus Austriæ Judoco totis viribus auxiliantibus, in oppido Znoyma obsideretur, propinatoque præfatis Principibus veneno, ab eorum armis se liberasset, tunc pax patriæ reddita est ; ut colligimus ex Charta anni subsequentis, qua Patres « Priori et Conventui hujus Domus pro tribulationibus hactenus perpessis valde compatiuntur, sperantes quod inantea salubri pace perfrui poterunt. » Et anno sexto ejusdem sæculi, eisdem de pace gratiose reddita, ac de profectu Domus valde gratulantur, taxam Capituli generalis misericorditer relaxantes. Posthac pacificus vixit noster fundator ad annum 1410 quo in demortui Roberti Imperatoris locum sublectus est. Sed vix sex mensibus post suam electionem transactis, nondum coronatus decessit anno 1411, die 20 Martii ; unde a plerisque non numeratur inter Romanorum Reges aut Imperatores. Et revera, in Charta Capitulari anni 1412 in qua designatur ejus obitus, dicitur tantum marchio Moraviæ. Constat tamen eum Regis Romanorum nomen gessisse; nam inter constitutiones Imperiales reperitur Judoci, Romanorum Regem sese nuncupantis, constitutio de resistendo regiæ Majestati, si contra ordinationes Imperii fecerit. Et in ejus epitaphio quod Thomas Jordanus in suis annotationibus ad Dubravium refert, eodem titulo sic insignitur : « Judocus quondam Romanorum rex invictus, semper Moraviæ Brandeburgique marchio, Princeps catholicus. » Ibidemque cum suo patre dicitur sepultus in cartusia Brunensi, et ejus templi « liberalis restaurator, et multorum in eo beneficiorum largissimus institutor. » Cuspinianus et post eum quidam recentiores scribunt Judocum nonagenarium circiter electum fuisse ; sed si natus est ex Margareta Opavia (ut vult idem Cuspinianus) quam pater ejus ducere non potuit ante annum

Godelin., in Cosmod. Atat. VI. c. 90.

Spond. ad ann. 1410. n. 7.

Ad Libr. XXII Dubrav.

Raynald. ad ann. 1410. n. 1.

Cuspin. in Jodoco.

ANNUS 1392

1338, quo prior illius uxor obierat, vix septuagesimum secundum ætatis suæ annum attigerat quando ad solium Imperiale evectus est. Denique idem Cuspinianus in nostrum fundatorem nimium exardescens, acerbius famam ejus laceravit, quem ideo Hangerus videtur corrigere sic scribens : « Cum hunc Judocum ut ignavum, vanum, perfidum et latronibus amicum Cuspinianus vituperet, leges omnino diversum ipsius elogium apud Jacobum Spiegellium in Scholiis super Lib. 3 Parallelorum Æneæ Sylvii ad Antonium Panormitan. de factis et dictis Alphonsi regis Neapolitani; ubi ad partes vocatur Albertus Krantzius mihi nondum lectus. Itaque utrius Cuspiniani an Spiegellii verior sit narratio lector ipse sibi disquiret. » Hæc ille qui non debebat hærere in veritate sententiæ Spiegellii, cum præsertim, ut recte notat Vignerius, Cuspiniani calumnia non in Judocum solum incidat, sed in ipsos Imperii Electores qui prorsus vituperandi fuissent, si post mortem Roberti, Wenceslao quem propter ignaviam olim deposuerant, Judocum substituissent, cujus vitia, si vera fuissent, ignorare non poterant. Alteram quoque calumniam in Judocum commenti sunt idem Cuspinianus et Henninges, cum scribunt eum fratribus suis Sobeslao et Procopio venenum propinasse, quo utrumque extinctum asserunt. Constat enim Sobeslaum non veneno, sed rebellium armis in arce Utinensi necatum fuisse. Quo vero mortis genere ereptus sit Procopius qui adhuc vivebat anno 1410, hactenus non potui reperire. Quamobrem Cuspinianum et Henningem allucinatos puto ac Judocum accepisse pro Procopio, quem diximus supra Principibus Judoci partes tuentibus toxicum propinasse.

Gerard. de Roo, in Genealog. Lucemb.

Wolfg. Hang., in adnotat. ad Cuspin.

Histor. Lucemburg., c. 37.

in Genealog. Lucemburg.

Domus alio translata.

Denique post obitum Principis fundatoris, stetit hæc Domus in loco Dolano ad annum usque 1427, quo rabiem Hussitarum experta, alio translata est. Benefactores vero et fautores et amicos habuit qui sequuntur : Petrus Gelyto, episcopus Olomucensis, vir magni animi, deque Ecclesia sua et religione optime meritus; primus approbavit translationem Rubi ad Vallem Josaphat, sed obiit antequam

ANNUS 1392

Novi benefactores.

Literas sui consensus daret, anno videlicet 1387. Paulus de Miliezin, ejusdem sedis præsul, Nostrorum fautor et amicus, quos cum Capitulo Olomucensi ratione sylvarum litigantes reconciliavit ; obiit anno 1450. Nicolaus canonicus ejusdem Ecclesiæ, tanquam erga Nostros beneficus, inter mortuos cum beneficio tricenarii denunciatur in Charta Seizensium anni 1398. Cæterorum bene de hac Domo, quamdiu in præfato loco stetit, meritorum nomina non habemus. Quos vero post suam, de qua mox tetigimus, translationem nacta est, suo loco recensebimus.

ULTRAJECTINA CARTUSIA ÆDIFICATUR,

V. Fundamenta Ultrajectinæ cartusiæ, quam non sine miraculo conceptam anno superiori diximus, hoc præsenti jaciuntur, ut habet autor Chronici ejusdem Domus, qui et illius progressus sic recenset : « Postquam fundus emptus fuit, fundator eidem loco certos annuales reditus assignavit anno 1392, die 13 Maii. Dictis autem reditibus assignatis, ædificium fuit incœptum, cujus quidem ædificii lapis fuit positus anno prædicto die 28 ejusdem mensis. Postea vero, videlicet anno 1394, ipso die Jacobi apostoli et Christophori martyris, fuit consecrata et basilicata domus Capitularis, una cum parvo claustro et dimidia parte cœmiterii magni claustri..... Primus lapis majoris ecclesiæ fuit positus per manum Prioris anno 1396, 6 Julii. » Eumdem annum positi lapidis omnes, præter Joannem a Leydis, assignant, sed plerique non 28 sed 31, die sanctæ Petronillæ sacrato, id factum dicunt. « In die sanctæ Petronillæ, inquit præfatus Leydensis, locatus est primus lapis fundamentalis de Domo Cartusiensi, in boreali parte civitatis Trajectensis, per Swederum dominum de Gaesbeeck, Putta et Strenen. Quod claustrum competentibus reditibus privilegiavit, dotavit et superædificavit consilio D. Tielmanni (sive Tydemanni) Grauwert, primi Prioris ejusdem monasterii. » Eadem fere habent Gisbertus Lappius et Arnoldus Buchelius qui Swedero fratrem ejus Willelmum dominum de Abcoude fundationis socium tribuit.

et dotatur,

J. a Leyd. Chronic.Belg. lib. XXXI, c. 42.

Lapp. Appendix ad Chronic. J. Bekæ.

Buchel., in notis ad W. Hede.

approbante Episcopo Trajectens.

Fundationem, dotem, cæterasque hujus Domus prærogа-

ANNUS 1392

tivas statim approbavere Florentius episcopus Trajectensis, Albertus Hollandiæ Zelandiæque comes, et post eum Willelmus filius ejus. Rebus itaque novæ plantationis sic prospere succedentibus, hanc inter Domos Ordinis adscribi a Capitulo generali sequentis anni novus Rector enixe petiit, cui Patres ne justo celerius agere viderentur, tale dant responsum : « Rector Domus Novæ-Lucis prope Trajectum usque ad sequens Capitulum generale patientiam habeat ; in quo si Domus eadem in ædificiis et aliis bene prosperabitur, poterit ut petit Ordini nostro incorporari. Concedimus etiam quod cum beneficio tricenarii tres personas Ordinis vocare possit, cum voluntate tantummodo vocandorum. » Biennio post, septo monasterii jam fossis circumdato, Rector admonetur « ut propter honestatem Ordinis, ex quo etiam personæ Ordinis jam sunt ibi quamplures, non permittat intrare mulieres illam clausuram fossati quam fecit, prout etiam Statuta præcipiunt et mandant. » Eodem tempore prima hujus Domus lustratione per Hermannum et Joannem Coloniensis et Herbipolensis Domorum Priores, Alemaniæ Inferioris Visitatores facta, idem Rector justissima reprehensione objurgatur quod sinat Fundatores ædificia nimium magnifica erigere. Unde Diffinitores omnem in eum culpam transferentes, « admonent illum et exhortantur in Domino quod diligenter inspiciat Chartam Visitatorum, et de quibus est monitus et notatus studeat diligenter emendare, et in structuris jam inchoatis et inchoandis et in aliis studeat servare rusticitatem sanctorum Patrum, ne, quod absit, de curiositate valeat amplius notari. » Denique Capitulo, parvo claustro ac majoris peristelii media parte jam constructis, facta est Domus incorporatio eodem Rectore in Priorem instituto, non anno hujus seculi nonagesimo quinto, ut habet Rutembergius in suo Chronico, sed tantum biennio post, scilicet per Chartam Capituli generalis Seizensis in hæc verba : « Novam plantationem Novæ-Lucis prope Trajectum omni via et modo quibus melius possumus, Ordini incorporamus ; præficientes in Priorem dictæ Domus D. Tyde-

Cartusiana simplicitas commendatur.

ANNUS 1392

mannum ad præsens Rectorem ipsius Domus. » Ab eo itaque tempore spiritualibus ac temporalibus bonis floruit hæc Domus, quam bonorum suorum copiam pauperibus non modicam fecisse his verbis narrat Ludovicus Guicciardinus : « Nec omittendum hic extra portam Ultrajectinam qua Amstelrodamum tenditur, ad quartam duntaxat milliaris partem et aquagii illic ripam, nobilissimum esse et opulentissimum Ordinis divi Brunonis sive Cartusianorum cœnobium, quod frequentes quotidie summa cum pietate eleemosynas erogat. » Sed sæva hæreticorum rabies Nostris munificentiam invidens, hoc pauperum refugium e medio ita sustulit, ut monasterii hujus ruinæ vix hac tempestate appareant amplius.

In Description. Belg.

De Monachis illustribus hujus Domus.

« Floruerunt olim in hac cartusia Domnus Otto Æmilius Moerdrecht de Montfordia, professus et Prior Domus hujus, qui fuerat dudum canonicus Sancti Martini Ultrajectensis, et in exemplum ac ædificationem plurimorum abdicaverat se honoratioribus sæculi officiis. Alter quoque ipsi æqualis dominus Joannes Vossius Delfius, Ordinis quondam Teuthonicorum, Commendator unius commendaturæ. Sed et dominus Petrus Zas, et Theodoricus Doeys miles olim Hierosolymitanus, qui obiit morte sancta et mirabili. Insuper in hunc religionis et veræ pietatis nidum convolaverat, mundana omnia ut quisquilias arbitrans, beatæ memoriæ Rodolphus de Oudewater, vir oppido contemplativus et extaticus, qui facundissimis et excellentibus beati Theodorici a Monasterio concionibus, cum in vitiorum cœno immersus esset et maxime carni habenas laxaret, ad Deum pure et integre conversus est ; atque cartusiam hanc introivit, ibidemque perfectissimæ vitæ fuit. Obiit luce sacra divæ Agneti, anno sesquimillesimo quinquagesimo nono, Henricus Bor qui officio Vicariatus hac in cartusia multis annis functus est; esse mortalis desiit anno quadringentesimo septuagesimo tertio supra millesimum, quarto Nonas Aprilis. Aliique complures fragranti virtutum odore Domum hanc imbuerunt, quorum merita solus novit qui spirituum ponderator est Deus. »

Raissius, in Origin. Cartus. Belg. p. 99.

ANNUS 1392

Pauca de fundatorum familia traduntur.

Nunc præstat aliquid adjicere de fundatoribus quorum genus nobilissimum fuisse constat. Zwederus de Abcoude, vir illustris, florebat anno 1270; cujus filius Gisebertus controversiam inter patrem suum et Adolphum de Waldeke ortam amice composuit anno 1280. Diu postea vixit, hæredemque reliquit Zwederum, dominum de Abcoude qui Willelmum comitem Hollandiæ urbem Ultrajectum obsidentem adjuvit anno 1345. Ex eo natus est Ghysbertus vir potens dominus de Abcoude, Wyck, Dorestado, et ex parte uxoris Joannæ Hornanæ quæ fuit Willelmi domini de Horne et Odæ dominæ de Gaesbeek, Putten et Stryen filia, eorumdem locorum Dominus, qui adhuc florebat anno 1380. Ex Joanna uxore nostros genuit fundatores : Willelmum scilicet majorem natu, qui post mortem fratris primi hujus Domus autoris, absolvit quod ille imperfectum reliquerat. Unde et alterius fundatoris titulo donatus est per Chartam anni 1408 quæ obitum ejus denuntiat : « Obiit dominus Willelmus de Abcoude, nobilis baro, secundus fundator Domus Novæ-Lucis prope Trajectum, habens tricenarium, etc. » Post sedatum schisma habuit plenum monachatum sub die 23 Maii quo dicitur obiisse; sed Joannes a Leydis in suo Chronico diem signat alteram post sancti Urbani festum, quod tantum colitur 25 ejusdem mensis. Huic unicam filiam Joannam nomine tribuunt citati autores, sed eum filium habuisse adultum discimus ex Charta anni 1407, in qua inter mortuos recensetur his verbis : « Obiit generosus domicellus filius domini Willelmi de Abcoude et Dorestaden, fratris domini de Gaesbeek fundatoris Domus Trajecti, qui eamdem Domum solemnissime complet, etc. » Joanna viventibus patre et fratre nupserat Joanni de Brederode ex genere comitum Hollandiæ, sed paucis post annis, consentiente marito, Ordinem Prædicatorum professa est; ille vero, induto Conversorum habitu, in cartusia Diestensi vota Religionis emisit, quæ mortuis socero et uxoris fratre, publica cum offensione fregit, ut suo dicemus loco.

Ex Charta Capit. Major. Cartus. anno 1412.

Zwederus de Abcoude præfati Willelmi frater minor natu,

Divæus, Histor. Belg. ann. 1387.

ANNUS 1392

dominus de Gaesbeek, Putten et Stryen, primus ac præcipuus hujus cartusiæ fundator, castri de Vredeland rector constitutus fuit ab avunculo suo Arnoldo Horne, primum Trajectensi deinde Leodiensi episcopo. Bellum aliquando contra Bruxellenses infausto successu sustinuit. Singulis annis a prima hujus Domus fundatione associatus fuit, ut loquimur, tricenario Spiritus Sancti quod per totum Ordinem pro Regibus Angliæ et Siciliæ, ac Principibus Austriæ, Bavariæ et aliis indicebatur. Denique ut erat locorum Sacrorum mirus cultor et amator, cogitavit peregrinatione suscepta, semel adhuc visitare limina Apostolorum, profectusque magnis itineribus pervenit ad Alpes. Verum Deus sustulit eum de via et vita, hoc mortuus anno Jubilæi 1400. Summo tamen cum honore corpus ejus relatum est ad monasterium suum Cartusiense, et per Chartam anni sequentis, « ad humiles preces Prioris et Conventus Novæ-Lucis conceditur nobili baroni de Gaesbeek, fundatori suo, monachatus (simplex) cum associatione primi anniversarii, sub decimo Calendas Maii quo obiit. » Pace vero reddita Ecclesiæ et Ordini, plenus cum psalteriis monachatus ei concessus est sub eadem die, semperque vocatur nobilis baro de Gaesbeek, quem etiam Principis titulo a quibusdam autoribus insignitum legimus.

Raiss., loco supracitato.

Unicum filium suorum bonorum hæredem reliquit, Jacobum baronem sive etiam Principem de Gaesbeek (ut eum vocat Willelmus Heda) et senescallum Hannoniæ hæreditarium; qui post mortem Willelmi patrui sui, a Frederico episcopo Trajectensi contra Joannem Brederodium apostatam defensus, Abcoudam et Dorestadum recepit. Sed postea, circa annum quadragesimum nonum sequentis seculi a Rudolpho Diepholtio, ejusdem sedis Præsule, contra quem rebellaverat captus, omnia fere bona sua Ecclesiæ Trajectensi tradere coactus fuit. Decennio post decessit ultimus suæ stirpis, unicum nempe filium imprudens occidit. Quamobrem post illius mortem baronatus Gaesbeek ad Nassovios et Hornanos translatus est, relictis Ecclesiæ Trajectensi

Gisbertus Lappius, in Append. ad Chron. Bekæ.

Abcouda et Dorestado. Fuerat benefactor hujus cartusiæ, ut indicat Charta capitularis quæ obitum illius sic denunciat : « Nobilis domicellus Jacobus, dominus de Gaesbeek et Abcoude, filius fundatoris et benefactor Domus Trajecti et conthoralis ejus, pro quibus fiat tricenarium per totum Ordinem. Et nihilominus præfatus D. Jacobus habet plenum monachatum in provincia Picardiæ remotioris. In Charta anni 1445 mortua denunciatur « Iolenta de Culenborck filia fundatoris Domus Trajecti, » cujus non meminerunt citati autores.

ANNUS 1392

Ex Charta 1459.

Benefactores Domus.

Inter Benefactores et amicos hujus Domus annumerantur: Florentius de Wevelichoven episcopus Trajectensis, quem diximus supra fundationem approbasse; commendatus fuit in Charta Capituli Seizensis anno sequenti tanquam vivens, sed jam obierat pridie Nonas Aprilis. Fridericus de Blankenheim, Florentii successor, habuit tricenarium defunctorum in Charta anni 1424; unde patet contra Sammarthanos eum obiisse anno superiori, si tamen dies obitus illius signanda est septimo Idus Octobris.

Ex Canonicis ejusdem urbis, plures etiam reperiuntur in Chartis : Herbinus de Dontha, canonicus et sacerdos ecclesiæ B. Mariæ Trajectensis, anno 1404. Ludovicus Stont, alias Seulte, quondam canonicus ejusdem ecclesiæ B. Mariæ et S. Plechelmi, et postea Donatus hujus Domus in qua obiit 1438. Theodoricus Weert canonicus ejusdem, 1441. Meynardus, curatus et canonicus Trajecti, anno 1419. Willelmus de Lienkerken, archidiaconus Campiniæ, canonicus Leodiensis et præpositus S. Servatii Trajectensis, 1455. Ludolphus Bath, canonicus S. Joannis Trajectensis, anno 1456. Arnoldus præpositus Ecclesiæ Trajectensis, 1488. Engelbertus utriusque juris Doctor, canonicus, thesaurarius Ecclesiæ Trajectinæ, anno 1584. Num aliquando Chartæ nostræ in supradictis de Trajecto superiori * locutæ sint, non absurde dubitari potest.

* Maestricht.

Martinus Pistor et Catharina, uxor ejus, quæ ante biennium obierat, cives Trajecti habentes anniversarium perpe-

ANNUS 1392

tuum per totum Ordinem post festum sancti Bartholomæi celebrandum [a]. Joannes Werkoven, filius Arnoldi de Delft, magnus benefactor [b]; videtur esse pater aut frater Gerardi Werkoven, monachi hujus Domus, cujus obitus signatur in Charta 1460. Magnificus dominus Vincentius Cornelii, Cæsareæ Majestatis in Brabantia generalis thesaurarius, magnus benefactor, habuit missam de beata Maria et anniversarium perpetuum sub 14 Junii anni præcedentis [c]. Hactenus de Ultrajectina cartusia sub auspiciis Bonifacii Pontificis fundata.

[a] Ex Charta 1440.

[b] Ex Charta 1456.

[c] Ex Charta 1550.

CARTUSIA CLARIMONTIS INCHOATUR.

VI. Clemens quoque Pontifex Avenionensis alterum cœnobium Cartusiense sub sua obedientia in regno Neapolitano hoc præsenti anno concipi vidit. Nomen habet sancti Nicolai Clarimontis; situm est in Basilicata regni ejusdem Provincia, in territorio oppidi Sinesii et valle Clarimontis prope Francavillam, Anglonensis diœcesis. Illud Wenceslaus Sanseverinus, Venutiæ dux (qui Ludovici Andegavensis ac proinde Clementis partes sequebatur) ædificare primum decreverat in loco sancto Philippo dicato, quem permutationis titulo ab Abbate S. Eliæ de Carbone acceptum, Ordini nostro concepit hoc præsenti anno donare; recipiente Joanne de Oviliano, cartusiæ Caprensis Priore et Clementinorum Cartusiensium Vicario generali per totam Italiam, ut ex sequenti apparet Instrumento : « In nomine Domini Dei æterni, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus MCCCXCII, regnante Domino nostro Ludovico II, Dei gratia inclyto Hierusalem et Siciliæ rege, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii ac Pedimontis comite duceque Andegaviæ ac Tironiæ et Cenomaniæ comite, regnorum vero ejus anno VII feliciter, Amen; die XIX mensis Aprilis, XV Indictione, Sinisii. Nos Jacobus de Decano judex ipsius terræ Sinisii, Antonius de Melle ducali auctoritate publicus notarius per omnes terras ipsius domini Ducis, et subscripti testes litterati et inlitterati ad hoc specialiter vocati et rogati : præsenti publico Instrumento fatemur, notum facimus et testamur, quod præscripto die, constitutis nobis in præsentia inclyti domini Ducis

Litteræ fundationis.

ANNUS 1392

Venusii et Clarimontis Comitis, audientis, intelligentis et considerantis ad omnia et singula infrascripta disposita, et donata per dictum dominum Ducem patrem suum ; necnon præsente venerabili et religioso viro fratre Joanne de Oviliano, dicto de Nerbona, Priore monasterii sancti Jacobi de Capra et Vicario generali in tota Italia Ordinis Cartusiensis, ad recipienda loca ædificanda de novo et alia facienda Ordinis deputato ; præfatus dominus Dux asseruit quod, divina præcedente Clementia quæ peccatorum culpas non ponderans, naufragos salutis reducit ad portum, ac eorum mortem execrans vitam et conversionem affectat, suorum reatuum conscius suæ animæ saluti voluit providere et eleemosynis ac aliis piis operibus peccata redimere, ut veniam Altissimi consequatur : ad quam impetrandam deliberavit in acie mentis suæ ædificare monasterium conventuale Ordinis Cartusiensis, sub vocabulo S. Nicolai de Valle quem in suis agendis omnibus semper habuit protectorem, in Comitatu Clarimontis et territorio Sinisii; ipsumque dotare reditibus opportunis ut possint monachi et Conventus ibidem consistentes, eorum necessariis operibus, hospitibus et eleemosynis subvenire ut decet et observantia dicti Ordinis jam requirit; dictumque monasterium, cum ecclesia, clausuris et aliis officinis construi facere suis propriis sumptibus et expensis. Et ut sui propositi, ut creditur, divinitus inspirati possit complere effectum, proposuit de loco ædificationis monasterii, et reditibus sufficientibus ad prædicta ante omnia providere. Idcirco præfatus dominus Dux, non vi, dolo, metu, vel alia circumventione seductus, sed sua mera gratuita et spontanea voluntate et zelo divinæ caritatis ut dixit, donavit donationis titulo inter vivos pro ædificando monasterio cum ecclesia, et omnibus adjacentibus sibi, pro Conventu uno religiosorum virorum et Fratrum Ordinis Cartusiensis, prædicto fratri Joanni Priori Ordinis Cartusiensis, et maxime ad recipienda loca de novo ædificanda Ordinis memorati in partibus Italiæ et ubique locorum deputato, territorium S. Philippi situm in tenimento Sinisii,

Tali opere sua redimere peccata fundator intendit.

ANNUS 1392

cum vineis, arboribus fructiferis cujuscumque generis, aquis et aquarum decursibus, et cum omnibus aliis juribus et pertinentiis suis. Quod territorium cum sibi adjacentibus nominatim præfatus dominus Dux ob causam prædictam permutavit, ut dixit, cum Archimandrita Carbonis, ut ibi per dictum Priorem, vel alios per se vel Ordinem supradictum constitutos, ædificetur monasterium prædictum cum ecclesia, clausuris, galilea et aliis locis, cænaculis, et officinis, hortis, viridariis ad monasterium ipsum, secundum ordinationes Regulæ Cartusiensis necessario opportunis. Cujus territorii prænominati præfatus dominus Dux plenam possessionem eidem Priori per ejus annulum tradidit et induxit; transferens in eumdem Priorem omne jus dominii directi et vitalis quod ipse Dominus usque ad diem donationis prædictæ habuit et habebat in territorio supradicto ; volens idem dominus, ut ex nunc in antea præfatus procurator, vel quicumque alius habens causam ab eo, nomine et pro parte monasterii supradicti, habeat dominium in territorio memorato, ut deinde in antea possit in dicto territorio ædificare, fructus recipere, velut dominus et patronus; promittens idem Dominus per stipulationem legitimam et solemnem prædicto Priori præsenti, et recipienti nomine et pro parte Ordinis memorati, stipulationem eamdem a mense Aprili in antea primo futuro, in anno XV Indictionis venturæ immediate, monasterium cum ecclesia et aliis sibi adjacentibus ædificari incipere, et prosequi usque ad operis dicti monasterii complementum suis propriis sumptibus et expensis; nec desistere a dicta ædificatione facienda, quousque monasterium ipsum sit totaliter completum et in quolibet membro suo perfectum ut decet : promittendo etiam prædicta eidem Priori, sub verbo et fide Magnatum circa stipulationem prædictam. Et quia parum prodesset monasteria et oratoria concedere, nisi orantes et servitores Dei et maxime dicti Cartusienses haberent necessaria alimenta eis quotidie opportuna, donavit idem Dominus eidem Priori præsenti et recipienti donationem prædictam nomine quo

Fundus per annuli traditionem datur.

Necessaria ad honestam sustentationem suppeditantur.

supra, territorium pro seminando, capacitatis thumulorum quingentorum, eligendum per ipsum Priorem vel alium ejus nomine pro parte dicti Ordinis, in toto Comitatu Clarimontis in uno vel diversis locis conjunctim vel separatim, ad eorum arbitrium voluntatis; necnon et vineas fructiferas, fructantes et reddentes annuatim, ad generalem mensuram terræ Sinisii barilia sexcenta, fertilitatis et infertilitatis annuatim moderatione pensata; quas vineas, et territoria dictus Dominus voluit permorantes in monasterio supradicto in futurum habere francas, liberas et exemptas.... Volensque dictus dominus Dux præfatum monasterium reditibus opportunis et competentibus non carere, similiter donavit, dedit et concessit eidem Priori uncias centum annuatim in carolenis argenti boni et justi ponderis generalis et pecuniæ usualis regni, percipiendas singulis annis per Fratres in dicto monasterio ædificando morantes vel Priores eorum in locis infrascriptis, videlicet : in terra sancti Martini super juribus bajulationis et herbagii uncias XXV ; in terra Castrinovi super juribus bajulationis etiam uncias XIV.... ; salvis semper, quia feudalia sunt, Regis beneplacito et consensu ; quem consensum Regis præfatus dominus Dux promisit eidem Priori obtinere et impetrare a dicto domino Rege ac literas opportunas fieri facere suis sumptibus et expensis, antequam monasterium ipsum ædificari facere incipiat, ut est moris Ordinis supradicti.... Præsente et consentiente in omnibus et singulis supradictis domino Rogerio, comite Caroliani et Altimontis, filio primogenito domini Ducis memorati.... Ad quorum omnium prædictorum confirmationem et robur, præfatus dominus Dux et etiam dictus dominus Rogerius comes et filius ejus, ut supra juraverunt ad sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter manu tacta.... Præsens publicum Instrumentum exinde factum est per manus mei prædicti Notarii, solito meo signo signatum, signis crucis mei qui supra judicis et subscriptionibus nostrorum subscriptorum testium roboratum ; quod scripsi ego prædictus Notarius qui prædictis omnibus rogatus interfui

ANNUS 1392

Reditus annui constituuntur.

ANNUS 1392

et meo solito signo signavi. Ego Jacobus de Decano judex qui supra. Nos Vitus Dei gratia episcopus Tricarici, testis sum. Nos Th. episcopus S. Marci de Calabria, me subscripsi. Ego Joachim de Pasta a Nuceria, miles, testis sum. Ego Abbas de Marsico, electus Strungulensis, interfui et me subscripsi. Ego Thomas, canonicus Cotentinus, prædictis interfui et me subscripsi. Ego Jacobinus de Neapoli de Sinisio, testis sum. »

Verum quia locus sancti Philippi in præfatis designatus literis, visus est minus aptus ad condendam Domum Ordinis, Guillelmus Prior Majoris Cartusiæ alium delegavit Commissarium, videlicet Matthæum de Tito, cartusiæ Neapolitanæ Priorem (datis ad eum literis anno sequenti, die 12 Junii) qui alium a fundatore locum expostularet. At ille variis regni negotiis occupatus, rem in annum nonagesimum quartum rejecit, ut ibidem dicemus.

MAURBACENS. SPIRITUALE FŒDUS CUM NEOBURG. CANONICIS.

VII. Hoc præsenti anno Maurbacenses Cartusienses, consentiente Christophoro hujus obedientiæ Generali, spirituale fœdus panxerunt cum Canonicis Regularibus ad divam Virginem Mariam Leopoldinam claustri Neoburgi, in hodiernum diem sua constans integritate. Concordata partium ex literis Henrici Prioris legere est, ut sequuntur : « Reverendis in Christo Patribus, Dominis et confratribus nostris charissimis, domino Colomanno præposito, et toti conventui Canonicorum Regularium ecclesiæ Neoburgensis Ordinis sancti Augustini Passaviensis diœcesis, F. Henricus Prior totusque conventus Domus Vallis Omnium Sanctorum in Maurbach, Ordinis Cartusiensis præfatæque Passaviensis diœcesis, cum fidelibus orationibus salutem et pacem æternam. Sicut longe retroactis temporibus complacuit Reverentiis vestris, ut propter commune quod omnibus tenemur debitum charitatis, singularioris familiaritatis ac sanctæ amicitiæ et confraternitatis iniremus fœdus, obtenta primo licentia a nostro generali Capitulo super eodem, hoc quod voluistis et apud nos personaliter petistis, præsentibus literis concedimus et ratificamus; recipientes videlicet vos universos et singulos tam præsentes quam vobis in posterum

Ex Chronic. ms. Maurbac.

succedentes in nostram confraternitatem, juxta petitionis vestræ affectum, libentique ac liberali animo pie vobis impertientes in vita et morte quidquid per nos et successores nostros spiritualium ac piorum operum operari dignabitur clementia Salvatoris. Et specialiter juxta tenorem ut sequitur : In primis prout hactenus fecimus Deo dante amodo faciemus, Dominicis scilicet diebus in nostro Capitulo publice pro vobis vivis orabimus, ac præterea cum unius vestrum obitus (quem Deus felicem faciat) nobis fuerit intimatus, persolvemus pro eo in conventu nostro Officium defunctorum scilicet Vesperas quod *Placebo* dicitur, cum Nocturnis et novem lectionibus et Laudibus, et Missam insuper cantabimus pro ipso in Conventu. In quorum confirmationem et testimonium evidens, damus vobis has literas nostri pendentis sigilli munimine roboratas. Quæ datæ sunt Maurbaci die Inventionis sanctæ Crucis anno MCCCXCII. »

DOMNUS PARISONUS FLORET.

VIII. Florebat in his temporibus, in cartusia Petræ-castri Parisonus monachus, vir doctus, autor tractatus inscripti *Compendium salutis*, quem in gratiam fratris sui carnalis cujusdam parœciæ curialis, composuit. Ejusdem duos codices ms. habuimus; in uno, nomen autoris sic exprimitur : « Incipit prologus in librum qui dicitur Compendium salutis, quem fecit Domnus Parisonus, monachus Ordinis Cartusiensis, in Domo Petræ-castri, anno Domini 1393. » Et sub finem : « Istum tractatum vocatum Compendium salutis, honorabilis et circumspectus Dominus Parisonus fecit. » In quibus ultimis verbis, libet conjicere hunc Parisonum fuisse in seculo satis nominatum. In altero codice, quem autographum crederem, ipse autor non suo nomine, sed tantum sui Instituti professione se prodit in fronte libri, cujus inscriptio talis est : « Liber Compendii salutis compositus a quodam monacho Ordinis Cartusiensis anno 1392. » Qua vero occasione illum scribendum susceperit in prologo exponit, suum fratrem sic alloquens : « Dudum, charissime frater, mi Petre venerabilis frater, me qualemcumque ultimum monachorum humilium Cartusiensium, tamen tuum proprium germanum,

ANNUS 1392

cum affectu quamplurimo rogaveras quatenus tibi aliqua vellem scribere, ut haberes unde tam tuam quam populi cujus cura parochialis atque pastoralis tibi inest, tam de commissis peccatis quam de omissis bonis confessionem posses utcumque facere et formare, etc. » Continet hic tractatus sexaginta duo capitula, ipseque autor ingenue fatetur multa se excerpsisse ex libro inscripto « Compendium Theologiæ veritatis. » Quandonam vero desierit esse in vivis non reperi.

ABRINCENSIS EPISCOP. BENEFACTOR ORDINIS.

IX. In Charta Majoris Cartusiæ hæc de Episcopo Abrincensi legimus : « Cum dominus Episcopus Abrincensis in Normannia ordinaverit in suo testamento quod omnibus Domibus Ordinis de regno Franciæ, ac etiam Domui Cartusiæ dentur pro semel 20 solidi Parisienses : volumus quod omnes Domos quæ hujusmodi gaudebunt legato faciant unum tricenarium defunctorum. » Sic minima etiam beneficia ab amicis accepta solet Ordo affatim remunerare. Hic Episcopus videtur esse Laurentius de Faye, quem Sammarthani scribunt vivere desiisse anno 90. In eadem Charta mortuus habetur Guillelmus Colcalerii, medicus Regis Aragoniæ.

ENGELB. DE MARKA BELGIAR. CARTUSIAR. FAUTOR.

X. In Charta Seizensi : « Obiit nobilis dominus Engelbertus de Marka, habens Brevem. » Ex quo beneficio recte conjicitur singularis cujusdam Domus benefactor et aliarum Belgiarum fautor. Hic mihi videtur esse cui Henninges dat uxorem Joannis Haumalæ ac Louvervaulxi domini filiam; ex qua alium genuit Engelbertum Louvervaulxi et Vogelzangii dominum, totius nostri Ordinis amicum, et præcipuum Matris Cartusiæ benefactorem, ut colligimus ex Chartis capitularibus in quibus de eo et de ejus uxore mentio occurrit sub his verbis : « Pro domino Engelberto de Marka milite, et ejus consorte, amico Ordinis qui misit eleemosynas Cartusiæ, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto, etc. » Et post suum obitum, sic denunciatur : « Obiit nobilis vir dominus Engelbertus de Marka, dominus de Louvaul (forte legendum de Louvervaulx), habens tricenarium defunctorum. » Utriusque Engelberti non meminere Bucelinus et Rittershusius, nisi forte eos cum aliis ejusdem nominis confuderint.

Ex Chartis 1418 et 1419.

Ex Charta 1423.

Porro constat eos fuisse ex genere fundatorum cartusiarum Leodiensis et Wesaliensis. Prior vero Engelbertus fratrem habuit, si credimus Henningesio, Eberardum Arenbergæ dominum, a quo genus ducunt Arenbergii, Bullionii, Sedanii domini et alii. Ex quibus libet hic quosdam adjicere quorum obitus occurrunt in Chartis capitularibus; sunt autem hi : Domina Maria, uxor domini Ludovici de Marka, comitissa de Nassaw [a]. Satis difficile est invenire quæ illa sit Maria comitissa de Nassaw, et quis ille Ludovicus Marcanus maritus ejus, sed hæc enodanda genealogis relinquimus. R. P. D. Everardus de Marka, cardinalis episcopus Leodiensis, fautor Ordinis [b], de quo alibi diximus. Magnificus dominus Robertus de Marka et magnificus dominus Robertus filius ejus, marescallus Franciæ : obierunt ex Charta 1537; frater et nepos præfati Episcopi. Illustris ac generosa Catharina de Crouy, domina de Sedan [c], uxor præfati Roberti senioris, ducis Bullionii. Illustrissima domina Francisca de La Mark abbatissa S. Petri Monialium Ordinis sancti Benedicti in oppido de Avenay [d].

[a] Ex Charta 1480.

[b] Ex Charta 1538.

[c] Ex Charta 1545.

[d] Ex Charta 1608.

PRECES CONTRA TURCAS FACIENDÆ PROMULGANTUR.

XI. Sed res hujus anni persolvamus. Hoc itaque anno Valachi Ungariæ regno subjecti, facta rebellione in regem suum Sigismundum, sed propriis viribus parum confisi in belli societatem Turcas advocant; unde illius plagæ primum Religionis libertatisque Christianæ emersit exitium. Hi, ad propagandum profanum imperium, occasionem optimam nacti, lubentissime cum Valachis fœdus ineunt. Quo audito a Petro Lapidis-refugii Priore, in comitiis Urbanistarum Diffinitore, Patres ibidem congregati preces faciendas promulgant : « Pro domino Rege Ungariæ et ejus regno quod gravissime ad præsens ab Infidelibus impugnatur, ut Deus cunctos tales Infideles humiliet et ejus pedibus prosternat. » Quæ verba postea usque ad annum 1401 singulis annis repetita sunt. Primo quidem prælio tum rebelles, tum Turcas auxiliares fudit Rex Sigismundus. Sed hi ulterius tyrannidem suam continuis invasionibus producentes, brevi spatio Bulgariam Valachiamque regni Ungarici provincias occupavere.

Bonfin. Rerum Hungar. Lib. II, Dec. 2.

Spond. ad ann. 1396.

JESU CHRISTI

ANNUS 1393.

Bonifacii PP. IX	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 310.	Ann. 27.

ACTA CLEMENTINORUM.

I. ANNO Redempti humani generis nonagesimo tertio post mille trecentos, Indictione prima, dum quatuor nostri Ordinis, quos vidimus anno superiori in Italiam missos, Priores videlicet Astensis, Gorgonensis, Parisiensis ac Divionensis cartusiarum, delegatam sibi provinciam apud Bonifacium et Cardinales exequi cum felici exitu conantur, in comitiis Majoris Cartusiæ potestas eis, excepto Gorgonensi Priore Bonifacii partibus rigide adhærente, demandatur quascumque personas Ordinis « absolvendi et dispensandi in casibus reservatis ; » quod eis videtur concessum ad suæ legationis partes efficacius explendas. Ac præterea preces per Domos eidem Capitulo subjectas edictæ sunt pro Prioribus Ordinis nostri (præfatis videlicet) « qui sunt missi Romam pro pace et unitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ ; pro quibus dicant celebrantes unam missam de Beata Maria, non celebrantes septem Psalmos pœnitentiales cum Litania ; non litterati centum *Pater* et *Ave Maria.* » Cumque rumor esset Ludovicum Borbonii ducem trans Alpes iturum ad concordiam inter utrumque Pontificem celerius procurandam, Patres in eodem Capitulo congregati decernunt ut « pro domino Duce Borbonii qui vadit ad partes Italiæ et proponit pro pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ et regni Siciliæ efficaciter laborare, dicant celebrantes unam missam de Angelis, etc. »

Priorum ad Bonifacium missorum legatio,

precibus Ordinis commendatur.

ANNUS 1393

PRECES PRO SABAUDIÆ COMITISSIS FUNDUNTUR,

II. Agebat tum Camberiaci Ludovicus, sororis suæ Bonæ, Amedei Viridis Sabaudiæ comitis viduæ, partes tuiturus contra Bonam Bituricensem filii sui pupilli tutelam, quam Amedeus Rubeus moriens Bonæ Borboniensi suo testamento tribuerat, sibi arrogantem. Jamque magnum patriæ bellum impendebat, ad quod avertendum preces etiam per totum Ordinem fusæ sunt in hunc modum : « Pro domino Comite et dominabus Comitissis Sabaudiæ, quarum et hujus patriæ desolationem ac turbationem omnes qui sumus vicini sentimus, et timemus plus sentire nisi Deus reformet cito pacem, dicant celebrantes unam missam de Beata Maria, et omnes habeant Domum Cartusiæ matrem nostram et totam patriam recommendatam in suis orationibus et recommissam. » Sed hujusmodi timor statim evanuit ; eodem quippe tempore missi a Rege Galliæ legati totum dissidium composuerunt, minoris Comitis tutela aviæ Bonæ restituta, ut in tabulis hujus compositionis die 8 Maii scriptis videre est apud Guichenonem. Utrum posthac dux Borboniensis in Italiam pervenerit non constat.

ut pax servetur.

Inter Probation. Histor. Sabaud.

CLEMENS VII CAPITULI GENERALIS ORATIONES POSTULAT

III. Clemens vero non solum regni Siciliæ obedientiam sibi conservare studebat, sed et regnum Angliæ viis omnibus nitebatur obstringere suarum partium nexibus. Sciens igitur tractatus pacis Gallos inter et Anglos haberi, misso ad eos Petro de Luna cardinali, prosperum rei eventum orationibus commendat Cartusiensium, quos magis ac magis beneficiis tum spiritualibus tum temporalibus demereri satagebat, aliquid forsan de Priorum legatione sibi timens. Quamobrem Nostri, ut ei testificarentur eamdem voluntatem quam hactenus erga eum habuerant se semper retenturos, indicant preces in Charta « pro Domino nostro Papa. » Insuper juxta Clementis postulationem, præter prædictas orationes, iterum decernunt ut « pro Dominis Rege Franciæ et Regina et eorum liberis, et pro dominis Ducibus Burgundiæ et Bituriensi et pro Cardinali de Luna (seu de Aragonia), qui laborant pro pace Ecclesiæ et Dominorum Regum Franciæ et Angliæ, et pro domino Duce Montis Albi (fundatore

pro pace inter Reges Galliæ et Angliæ.

ANNUS 1393

Vallis Christi), fiat tricenarium de Spiritu Sancto. » Idemque indicitur pro Regibus Aragoniæ, Castellæ, Jerusalem et Siciliæ, aliisque Principibus Clementis partes tuentibus. Porro nunciis Regis Angliæ per annum in Galliis commorantibus, eædem preces iterantur per Chartam anni sequentis, quo Legati utriusque Regis inducias in quatuor annos protulerunt, nihil in gratiam Clementis a Gallis obtento ; imo, habitis posthac ab Universitate Parisiensi solemnibus comitiis, tres viæ extirpandi schismatis excogitatæ sunt et Regi Galliæ oblatæ, quas si uterque competitor inire refugeret, velut pertinacem et hæreticum judicandum esse omnes Doctores definierant; sicque res Clementis magis ac magis deteriores fiebant. Unum præterea haud satis mirari debemus, nempe quod dum per totam Galliam et a Nostris maxime Clemens ut legitimus Papa colebatur, in uno ejusdem regni angulo, a quibusdam et iis quidem Cartusiensis instituti professis, tanquam schismaticus rejiceretur. Quædam enim parthenii Berthaudi, diœcesis Vapincensis in Delphinatu, Moniales, quibus nescio quis jam ab aliquot annis conscientiæ scrupulum injecerat quod Clementem ut verum Christi Vicarium agnoscerent, Superioribus quos velut ab Ecclesiæ capite divulsos spernebant ipsique Capitulo generali obedientiam denegarunt ; quas propterea per Chartam eorumdem comitiorum Patres dure sic corripiunt : « Quia sorores Alamanda, Aynarda, Sibilia et Alesia moniales Bertaudi, fuerunt longo tempore et adhuc sunt inobedientes Capitulo generali, et per consequens Priorissæ suæ, inhabilitamus ipsas perpetuo ad omnia officia Ordinis et careant voce in æternum. Et nihilominus pro offensis commissis, agendo tamen cum ipsis misericorditer, dicat quælibet ipsarum unum Psalterium; scituræ pro certo quod nisi de cætero fuerint bene obedientes Priorissæ et Vicario ac toti Ordini, velum auferetur eisdem, » scilicet nigrum. Alamanda illico resipiscens ita concorditer cum suis Sororibus vixit, ut circa annum 1406 ab eis in Matrem electa fuerit ; a Patribus in integrum prius restituta. Aynarda vero graviori affecta reli-

Berthaudi Moniales, utpote Clementi inobedientes reprehenduntur.

gione, majora suæ constantiæ, ne dicam contumaciæ signa olim dederat. Eam enim aliquando fugam arripuisse reperio, sed statim vel regressa vel comprehensa, disciplinæ generalis, ut loquuntur acta Chartarum, « quam propter egressum terminorum meruerat, remissionem obtinuit. » Nec propterea statim a proposito resiluit, quin potius animum per plures annos obfirmavit, donec Superiorum rationibus devicta, pacem quoque cum suis conservaret. Cumque nihilominus virgo esset bonis moribus, ac ingenio polleret, neque peccasset nisi ex nimia religione, in mortuæ Alamandæ locum etiam invita sufficitur ut alibi dicemus. Sibilia et Alisia in pace quieverunt : illam cum decem aliis mors pestilens anno 1411 consumpsit, hæc in claustro suo, cum Sororum approbatione tranquilla perseveravit ad annum ejusdem seculi trigesimum nonum quo defuncta legitur in Charta.

ANNUS
1393

Ex Chartis 1400 et 1407.

BELGÆ CARTUSIENSES BONIFACIO FIDELES.

IV. Venerat etiam hoc anno in Flandriam Philippus Burgundiæ dux comesque Flandriæ, non cessans suos subditos ad Clementis partes attrahere. Quamobrem, complures ex sacerdotio viri, mulieres, multique ex laicis Coloniam, Leodium aliasque in civitates jam commigraverant. Nostri imprimis zelum suum pro Bonifacio egregie nobilitarunt. Nam « omnes fere Cartusienses, inquit Meyerus, cum aliis multis Ecclesiasticis Flandriam reliquerunt. » Gandavenses Nostrorum exemplo ac maxime quodam stupendo, qui circa hæc tempora in cartusia eidem urbi vicina contigit, eventu excitati, ad finem usque immobiles et constantes in ejusdem Pontificis Romani obedientia persistere. Rem sic enarrant Scriptores : « Quidam Gallus Cartusiensis, Clementis communionem fugiens, ad Gandavensem Domum venit; admissus secundum formam Ordinis hospes. Qui cum esset totus amore Dei plenus, quodam die festo, in cellam e refectorio reversus, dum solitis contemplationis æstuaret ardoribus, tam vehemens illum divini amoris ignis apprehendit, ut hunc lutei vasculi non ferret infirmitas. Unde anima sitiens ad Deum vivum, memor exilii duplicis quo a Domo peregrinabatur et a Domino, dolensque quod sub diro schismate

Annal. Lib. XIV.

Ex Chron. ms. Domus Gandav. sub VII Priore.

ANNUS
1393

tam laboraret Ecclesia, soluta vinculis carnis anima visibili eam comitante gloria, prout ex ostento patuit, ad cœlum evolavit die primo Martii. Fuit autem ostentum tale : cum casu mercatores duo sub id temporis claustrum pertransirent, vident lucem velut ignis flammantis in nocte sursum ascendere, qui ignorantes esse gloriam migrantis animæ, ad claustri properantes januam, monasterium flammis fatiscere denunciant. Prior et Procurator, qui primi hoc nuntium acceperunt, hoc verbo attoniti, sursum oculos levantes vident cellam unam in claustro undique flammis circumdatam, quam putabant casuali igne succensam. Fit igitur concursus ad cellam, et ostio revulso simul et confertim intrant ; verum nullum reperiunt incendii vestigium, vident autem corpus exanime flexis genibus, junctis elevatisque manibus in horti angulo ante imaginem seu crucifixum consistere, igneamque super defunctum columnam. Quod cum vulgatum fuisset et per urbem percrebuisset, simulque causa fugæ discussa, tanto miraculo generosi Gandensium animi prorsus inconcussi ita in fide et obedientia Urbani Papæ sunt confirmati, ut nullis Philippi ducis Burgundiæ et Flandriæ comitis cesserint minis blanditiisque, nec Clementinos recipere vellint presbyteros ; tota fere ipsius potentiæ licet cedente Flandria.» Hujus beati viri nomen excidit quidem, sed miraculum a Nostris inventum est in suo tabulario exscriptum. Et in fenestra quadam antiqui monasterii, depictum diu visum est ; unde illud etiam videtur memoriæ tradidisse Petrus Hycerus qui circa initium seculi sexti decimi res memorabiles ejusdem Domus, cujus erat professus, collegit. Sed quod ille in Catalogo Priorum sub Petro de Prussia qui præesse desiit circa annum 1385 retulit, ad hæc usque tempora rejiciendum credimus, ducta conjectura ex vexatione contra Flandros suscitata.

AD BONIFACIUM LEGATI CARTUSIENSES, QUID EGERINT ?

V. Sed modo videamus quid Legati nostri apud Bonifacium profecerint. Ille Perusiis tunc agens, auditis quæ præfati Priores retulerunt a Rege, XII Kalend. Julii ejusdem anni 1393, ad eumdem Regem iterum scripsit dolere se

nihil ex iis intelligere potuisse, nisi quod ipse Rex ac regnum ejus ambagibus Roberti de Gebenna (id est Clementis Avenione sedentis) detinerentur involuti ; repetensque legitimam electionem Urbani et schismaticam Roberti, hortatus est ad hunc abdicandum, et si cuperet, missurum se qui plenius ei singula explicarent. His literis ægrotante Rege acceptis, Duces Biturigum et Burgundiæ qui regnum administrabant haud respondendum existimarunt, eo quod illis Bonifacius nonnisi adversarii abdicationem postulabat, relictis aliis unionis viis, de quibus jam agi cœptum erat ; sicque Nostri suas Domos vacui repetierunt. Etsi vero ex hac legatione Petrus de Mediolano illius autor nihil præter laborem retulerit, haud tamen statim destitit ab incœptis ; illum enim eodem adhuc negotio anno sequenti fuisse distentum conjicio, quod in comitiis apud Cartusiam habitis, alius Rector in Domo Astensi institutus sit, qui vices ejus absentis quidem sed Prioris nomen et dignitatem retinentis, suppleret in utroque regimine : « D. Joannes Brosserii, inquit Charta, absente Priore Astensi, regat et gubernet spiritualiter et temporaliter dictam Domum Astensem. » Denique cum hac in re nihil agendum omisisset, partesque suas, quantum in se fuerat, egregie explevisset, servum deinceps se fore inutilem existimans, in solitudinem Majoris Cartusiæ se recepit ; ubi sejunctus ab humano consortio residuum vitæ traduxit, mortuus ibidem anno præsentis seculi nonagesimo nono. Bartholomæus vero paulo diutius apud Bonifacium stetit, nec ab eo sine remuneratione dimissus est ; ut enim sumptus quos in legatione fecerat sibi rependerentur, breve diploma summi Pontificis hunc in finem ad Collectorem apostolicum Pisis constitutum obtinuit. Præfato Collectori se Bartholomæus stetit, rescriptum edidit, sed ejus solutio anno tantum nonagesimo sexto ineunte ei refusa est.

ANNUS 1393

Spondan., ad hunc annum, n. 4.

Ex Charta 1394.

Interim cum sæpe sæpius in Curia Romana versaretur, contigit beatam Ursulinam Parmensem in Urbem advenire, quæ sibi cœlitus imperata fuerant Bonifacio exhibituram. Quam summus Pontifex ejusque oracula primum asperna-

B. Ursulina Romam se confert.

ANNUS
1393

Cap. III.

Ope cujusdam Cartusiani a summo Pontifice recipitur,

tus, tandem nostri Bartholomæi quanta apud Clementem beata illa virgo ausa fuerat narrantis monitis persuasus, cœpit eam libentius audire. Rei seriem Simon de Zanachiis cartusiæ Montellanæ Prior in ejus Vita sic recenset : « ...Cui cum summus Pontifex Bonifacius fidem adhibere despiceret, omnipotens ipse Deus (qui cœlestium, terrestrium et infernorum moderator est et rector, ac futurorum præscius, quique etiam cuncta loco et tempore ineffabili ordine disponit) miro quodam modo providit, ut quidam venerabilis monachus Cartusiensis fide et reverentia admodum dignus Romæ adesset, qui et pariter adfuit Avenione cum ipsa B. Ursulina præmissa cum Pseudo-pontifice pertractavit ; qui cuncta ut acta fuerant viderat partim, partimque ex publico veracique sermone didicerat. Hic sane de cunctis incredulam summi Pontificis mentem certiorem fecit, ut ex quibusdam suis epistolis hac de re mentionem facientibus, quas ipse legi, manifeste apparet. Ex tunc igitur B. Ursulina a summo Pontifice et sacrosanctæ Ecclesiæ Cardinalibus, et suscipitur et cum digno honore tractatur ; dictisque suis apud ipsos indubitatam acquisivit fidem, ut vere absque ullo dubio divinæ voluntatis illam esse nuntiam non ambigerent. Summus itaque Pontifex Bonifacius cum Reverendissimis Cardinalibus, in publico Consistorio iterum atque iterum pertractatis enarratisque iis quæ B. Ursulina edixerat, tandem divina sic operante Sapientia, statuere pro reconcilianda sacrosancta orthodoxa Ecclesia, ad præmissum Antipapam oratores transmittere juxta sententiam beatæ virginis Ursulinæ. Talis namque fuit B. Ursulinæ sententia, ut ii oratores Sedis apostolicæ totis pro viribus conarentur inducere eumdem Antipapam et ejus Pseudo-cardinales, quod nollent obsistere sacrosanctæ Sedi apostolicæ, quodque divinam præcavere deberent ultionem, atque etiam ut fideles et catholici se humiliarent, sicque divinam et ipsius Sedis apostolicæ immensam clementiam consequi non dubitarent, ac ut sibi et aliis esse nollent detrimentum et perditionis causa. Cumque hujusmodi sermo summo Pontifici cunctisque Cardinalibus pla-

cuisset, omnes uno acti spiritu mox statuere nullos oratores ad prænominatum Antipapam deligere nisi B. Ursulinam : cum ex jam peractis intelligerent eam divinis præsidiis præmunitam. Igitur B. Ursulina fervens desiderio salutis animarum, ebulliensque voluntate in exequendis mandatis divinis, quamvis mulier et debilis et pristino fracta itinere, non longo viarum perterrita discrimine, ad Antipapam pro Dei fide et sacrosanctæ Matris Ecclesiæ statu pacando, obtulit se læto animo reversuram, et ipsius summi Pontificis captata jussa pro viribus adimplere. Quod mirum in modum ipsi summo Pontifici placuit : sicque votum B. Ursulinæ Pontifex summus et cuncti Cardinales admisere. Accepta igitur benedictione Apostolica, B. Ursulina, matre comite, Antipapam repetiit; ad quem tandem post plurimos labores et discrimina multa cum Literis Apostolicis devenit. » Sed de his anno sequenti.

et Pontificis nomine ad Antipapam mittitur.

VI. Hoc anno vitam mortalem cum immortali commutavit Vioninus de Augusta, monachus professus Majoris Cartusiæ, vir non vulgaris pietatis, doctrinæ ac prudentiæ; qui in claustro reclusus columbinam simplicitatem, in primariis Ordinis officiis positus religiosam æque ac solertem exhibuit industriam. Diu primum præfuit Domui Allionis provinciisque Gebennensi (quæ modo nomen habet Cartusiæ), Burgundiæ ac Franciæ. Gratissimus fuit Amedeo Viridi Sabaudiæ comiti; ipso mortuo, ad petitionem Bonæ a Borbonio illius viduæ, novam Petræ-castri Domum regendam suscepit. Ad suum Allionem reversus, cum se premi senectute sentiret, quod sibi vitæ supererat in solitudine volebat peragere. Abdicato itaque hunc in finem Prioratu, in claustrum castrumque Petræ-castri se recepit. Sed dum ibi soli Deo suæque saluti vacat, audiens se a Conventualibus Vallis Sanctæ, pastore orbatis, in Patrem petitum, a Diffinitoribus per literas obtinuit quidem ut « Confirmatores electionis admonerentur cavere sibi ne confirmarent in Priorem dictæ Domus D. Vioninum de Augusta, monachum Cartusiæ, nunc hospitem in Domo Petræ-castri ; » verum quod ex

OBITUS VIONINI DE AUGUSTA.

Ex Chartis 1376 et seqq.

Ex Charta 1392.

ANNUS 1393

hujusmodi decreto cepit gaudium, breve admodum fuit. Etenim Patres ne tanti viri opera privarentur, ei per eamdem Chartam « injungunt quod assumpto secum pro socio Priore vel monacho, vadat ad Domum Vallis S. Hugonis per ipsos visitandam tam in capite quam in membris, cum potestate ordinandi et faciendi quæ secundum Deum et Ordinem eis videbuntur expedire. » Interea Priore Luviniaci per Visitatores, Priores Vallis viridis et Fontis B. Mariæ, propter infirmitatem absoluto, Conventus Vioninum qui eamdem Domum quondam lustraverat, una voce sibi in Superiorem elegit; nec solum electionem Prior Cartusiæ confirmavit, sed ex speciali mandato visitationes aliquot in Franciæ provincia Domorum imposuit. Paucis post mensibus, monachi Allionenses antiquum Patrem sibi eripi ut aliis præesset dolentes, adeo enixe eum sibi restitui petierunt, ut in comitiis generalibus, exaudita eorum petitione, iterum Allionis Prior ac Gebennensis Visitator nominatus sit. Visitabat tunc Domum Divionensem, ubi gravi sed longo correptus morbo, sub finem tandem anni beata morte defunctus est; cujus obitus in Charta anni sequentis his verbis denuntiatur : « Obiit D. Vioninus de Augusta, dudum Prior Luvignaci, die Dominicæ Nativitatis sanctissimæ ; qui habet per totum Ordinem plenum monachatum propter labores quos pertulit Ordinem visitando, ubi etiam infirmitatem dicitur de qua mortuus est recepisse. » Ejus memoria diu apud Cartusiam perseveravit, ut sexaginta post illius mortem annos scribebat autor *Speculi Cartusiensis :* « Hujus Prioris (nempe Guillelmi Raynaldi) tempore, extitit piæ memoriæ ille quondam venerabilis Pater, vir litteratus, D. V., monachus Domus Cartusiæ, sed Prior Allionis ; qui multoties propter excellentiam suam vitæque meritum Visitator existens, suo bono sanctoque zelo quem circa Ordinis observantiam gessit, sui nominis non modicam posteris reliquit memoriam, inque senectute bona deficiens mortuus est, et in Domo Divionis sepultus. »

Ex Charta 1393.

Ex Charta 1394.

Reginaldus Caillouet pie moritur.

Paulo ante Vioninum decesserat D. Reginaldus Caillouet Prior Vallis S. Georgii, die 21 Novembris, « qui habet (sunt

verba Chartæ) per totum Ordinem plenum monachatum propter labores quos pertulit, a Sede apostolica impetrando exemptionem generalem et exemptionem de decimis Apostolicis non solvendis. » Patria fuit Bellovacensis, cartusiæ Parisiensis alumnus et Procurator, unde in Priorem Vallis-profundæ assumptus, biennio post, Bassam-villam et Vallem S. Georgii simul per aliquot tempus cum utriusque profectu rexit, tandemque in hujus unico regimine, de Ordine bene meritus moritur.

CARTUSIÆ PAULARITANÆ FUNDATIO PROSEQUITUR.

VII. Ab annis fere tribus, infelix Joannis regis Castellæ mors, de qua suo diximus loco, interruperat inchoatam cartusiæ Paularitanæ fabricam. At Lupus Martinez Scalæ Dei professus ac novæ plantationis administrator, assumpto Joanne Carillo suo confratre, ita egit apud tutores Henrici regis minoris, ut paterna fundatione approbata, illiusque confirmatione a Clemente Pontifice Avenionensi regio nomine per Episcopum Zamorensem Avenione tunc commorantem impetrata, inter Domos Ordinis hoc decreto per Chartam adscriberetur : « Incorporamus Ordini novam fundationem Regis Castellæ quæ est in diœcesi Toletana, quam volumus nuncupari Domum B. Mariæ de Paulari, cujus est fundator principalis inclytus Princeps Dominus Joannes quondam rex Castellæ cui concedimus per totum Ordinem plenum cum Psalterio monachatum, non obstante tricenario pro eo alias persoluto. Obiit autem die sancti Dionysii et sociorum ejus, quæ est dies nona mensis Octobris, anno nonagesimo, et volumus quod ejus nomen in Calendariis conventualibus de prædicto scribatur. Et D. Lupum Martini Rectorem dictæ Domus ibidem præficimus in Priorem. » Et præterea pro ipso rege Henrico preces per universum Ordinem designatæ sunt, quæ sæpius quamdiu vixit repetuntur et anno præsertim subsequentis seculi quarto, quo et duobus sequentibus cum Catharina uxore sua et liberis habuit tricenarium de Spiritu Sancto ; et post mortem quam appetiit anno 1406, die 20 Decembris, tricenarium defunctorum. Præter approbationem et absolutionem paternæ fun-

De regiis hujus cartusiæ benefactoribus.

Ex Chartis 1394, 1404 et seqq.

ANNUS 1393

dationis, magnificentiorem augustioremque templi structuram erigi, sibique regiam domum nostræ contiguam, extemporale a curis refugium ordinavit, operis cura solerti studio mandata celeberrimi viri Pauli Burgensis episcopi, notissimi Bibliorum interpretis, qui in brevi magnum fabricæ dedit incrementum. Catharina, Henrici uxor, Joannis vero ducis Lancastriæ filia, singulis annis commendatur in Chartis ad obitum usque qui accidit anno 1418. Et a Josepho de Valles dicitur magna hujus Domus benefactrix ; nec certe mirum, cum hanc in Nostros benevolentiam videtur a patre quasi hæreditarie nacta, quem ex Chartis capitularibus Urbanistarum favore et beneficiis Nostros complexum fuisse discimus. Joannes hujus nominis II, præfati Henrici primogenitus, regni et pietatis fuit hæres ; patruus autem Ferdinandus, fide in illum insignis, posteaque Aragonum rex, moderabatur Rempublicam in quibus innata erga nos pietas fausta omnia Domui nostræ, imo suæ comparavit. Ferdinandus enim tutor, Regis nomine dona, privilegia et exemptiones prius concessas libentissime approbavit, novasque alias in sua ditione contulit a Joanne ejus nato, Aragoniæ et Navarræ rege postea firmatas. Joannes vero Castellæ rex, regimine capessito, incredibili ardore fabricæ finem, perfectumque redituum et necessariorum implementum curavit : ultimam imposuit manum, avum et reliquos parentes fide liberavit, pietateque et animi erga Nos gratitudine longe superavit. Etenim cœnobium illud devotionis suæ immortale testimonium nobilissimis adornavit exemptionibus, honorifica quoque illius auxit privilegia ; dein ardens ejus animus securiora pro affectione appetens, ab Eugenio Papa quarto novam donorum omnium a Regibus, Principibusque, et a quibuslibet aliis Ecclesiasticis et secularibus, Paulari collatorum approbationem, confirmationem et revalidationem, defectuumque suppletionem expostulavit : cujus intuitu sanctissimus Pontifex ita concessit Florentiæ sedens, octavo Idus Augusti anno 1440. Hæc est brevis quatuor Regum fundatorum hujusce Domus et cartusiæ de Paulari narratio, aliqua-

Ex Chartis ab anno 1387 ad 1398.

Horum Regum largitiones Eugenius IV confirmat.

ANNUS 1393

lisque gratissimi eorum animi donorum, liberalitatis, curæque erga eamdem commemoratio; quibus pro colophone magnificentiæ ipsorum nobile testimonium superaddimus, scilicet pro re tanta nec unius vel minimi suffragii onus imposuere, etsi nos semper continuis sacrificiis, orationibusque pro eis, Regibusque successoribus Deum interpellemus.

De situ loci.

« Jam vero de situ loci, monasteriique fabrica agendum nobis est. Itaque Castellam Veterem a Nova dividunt intermedii montes Carpentani, Hispaniæ reliquos altitudine forte superantes : inter quos Vallis est nomine Lozoya, ambientium montium celsitudine ita circumcincta et interclusa, ut præter aditum unum, omni reliqua ex parte superatis illis, necessario sit salebroso itinere descendendum. Montes ipsi infructiferi et in eos robur et pinus tantum, et cacumina versus, nudi rigidique, ita ut neque herba nascatur ; arbores paucæ illic videntur; tritici, hordei aliorumque seminum humus infœcunda. Cœli aerisque temperies horrida et inclemens; rigescunt namque montes continua nive algentes, non hyberno et brumali tantum, sed verno quoque tempore albescentes : in quorum fastigio anno 1593, unoquoque anni mense ningere visum est. Suntque pagi in quibus domus tecta operta nive multoties videntur credibili vitæ periculo, nisi præsens adesset auxilium. Sunt et alii in quibus nivosi tramites domorum caminos exæquant, inter quos qui nuncupatur Somosierra sepultus nive aliquando durat. Aer intemperatus æstivos solis ardores aliquando fugat omnino ; e contrario, sed rarius brevique tempore, nimium est æstuosus ; præter quod ob montium arduitatem, præcipua anni parte, solis radii impediti profunda vallis vel non lustrant vel brevi tempore, a matutina scilicet hora nona non usque ad pomeridianam quartam; tunc continuo gelicidio aqua oleumque in intimo etiam cellæ penetrali servatum gelascit. Nimbi et nebulæ turbant et contristant omnia, sed ex adverso postquam imum editumque vestiere nives, cœlique et solis tranquilla succedente serenitate, saxa fatiscere visa sunt, ossaque frigoris magnitudine dehiscere videntur. Abundat

Molin. Histor. Cartusiana ms. p. 1045.

Montes ubique, continua nive algentes.

Frigus nimium.

ANNUS 1393

aqua defluentibus rivulis variis Domus et adjacentium oppidulorum ministerio necessariis, in quibus gens inhabitat rudis et inculta, majori ex parte pauperrima, cui labor victum præstat et eleemosyna : eorum plures servitio Domus de Paulari addicti et stipendiati, sibi commodo illisque subsidio non parvo sunt. Proximior urbs Segovia quinque leucis distat, in qua, et Carpetanorum Mantua, Regis curia, duodecim leucarum intervallo, annona et reliqua comparantur. Solitudo vallis et montium maxima. Et vero si singularis devotio visendi monasterium aliquos non attrahit, reliqua omnia omnino retrahunt. Incommoditas hæc Joannem I regem divino numine allexit, atque in superiori vallis loco erigi jussit fabricam juxta antiquum suum suburbanum, ad radices montis Liruela ab indigenis sic appellati. Fuit prisco illo ævo nobilis structura, nostro vero non contemnenda; omnibus autem venerabilis sanctitatis odore, Regumque Castellæ favore spectabilis. Domus sedes declinat ex linea meridiana Orientem versus gradibus septemdecim minutisque XLV. Muri ejus ubique fortes et alti, quorum ambitus est ter mille pedum præter communem hortum.

Ædificia Domus.

Infra eam tria sunt claustra. Majus et primum triginta quatuor cellis Monachorum circumcinctum, præter Procuratoris cellam; secundum, octo pro Fratribus obedientia aliqua non intentis; tertium pro colloquio, Donatis alibi relicto loco. Peristylium unum grande pro Domus magnificentia claustrorumque solitudinis defensione.

Terna claustra.

Compluvia, plateæ seu areæ plures, ad quas constructæ amplissimæ officinæ pro ministerio munerum obedientiæ visuntur, integræ familiæ capaces; præter quas sunt minores aliæ pro opificibus, fabris, aliisque artibus congruis, jam olim stabilitæ propter instantes necessitates distantiamque civitatis. Hospitium maximum, utpote quod olim fuit domus regia constructa a rege Henrico tertio. Omittimus valetudinarium aliaque loca pro ministerio divertentium et ministrantium constructa. Denique sicut est hic situs Paularis in abstractissima solitudine, ideo propter maximam maris urbiumque distantiam victualibus incom-

ANNUS 1393

modis uti necesse est; non solum piscibus salsis (rarissime enim recentibus illic Nostri vescuntur) sed oleribus aliisque terræ arborumque fructibus, quos a regia curia obsonatos asportari est multoties necessarium.

Ecclesia magnifice decorata.

« Insignis fuit semper in augustissimis hujusce Domus de Paulari Fundatoribus prudentia atque circumspectio, ne quid in tanto opere deesse videretur. Verum in structura et ornatu templi, cultusque divini præparatione illa maxime enituit. Ac primum quidem cum ipsi cernerent horrida esse nimis loca suæ fundationis, utpote quæ vel solo aspectu incolas suos deterrere possent, utque majores illis animos adderent, hoc consilio usi sunt : nimirum posse dura omnia asperaque optime temperari adeoque tolerari, si perpulchra et jucunda oculis animisque illic eligerentur habitacula; quod et eventus probavit, ut supra disseruimus, ubi de ædificiis hujus loci actum est. Siquidem ut non naturale, sic impossibile erat hominem factum ad imaginem Dei ac ratione præditum (cujus idcirco est non modo esse et vivere, sed quod beatius est, beate et in æternum vivere) posse illic quasi cum brutis vivere, scilicet cum tanta ac tali quam paulo ante diximus, cibi inopia et difficultate; propterea visum fuit munificentissimis illis Regibus majora addere prioribus, ac Domini sanctuarium, templum nempe in quo Spiritus Sanctus habitat, variis locupletare ornamentis et sumptibus atque splendore multo condecorare, uti animæquiores effecti, libentius ad illud Monachi se conferrent, divinas laudes die noctuque more Cartusiano decantaturi. Quod et factum est. Ne igitur diutius in his immoremur, ad descriptionem ipsam veniamus. Itaque, templi longitudo, centum et octoginta constat pedibus, latitudo nonaginta cum lateribus sacellis postea exædificatis; antiqua enim triginta quatuor continet. Medium præcipuumque altare ex alabastrite elaboratum ad unum et viginti cubitos, hoc est duos et triginta pedes in latitudine extenditur, altitudine vero ad viginti quinque, fornicem enim olim contingebat : operis polities eximia et admiranda ; ex eo lapide ab acroteriis co-

Altare majus ex alabastrite elaboratum.

ANNUS 1393

ronidibus ad bases confecta omnia. Sexdecim loculamentis, vita et mors Domini nostri Jesu Christi est scuplta, figura quævis cubito constat, omnes vero centum et triginta sunt et amplius, præter effigiem Deiparæ Virginis, advocatæ, patronæ ac tutelaris nostræ, indicibili pulchritudine, statura trium cubitorum. Laquearia illud ornantia, non lapidea sed cerea judicantur. Experti viri sæpius quinquagies mille aureis æstimarunt, loculamentumque seu tympanum Virgineæ effigiei decies mille. A gradu altaris inferiori, chori sedes ordiuntur septuaginta quatuor numero, opere diverso, juxta ministerium ad quod deputantur. Nam quadraginta quatuor inter reliquas eminent, elegantiori politie, cariori sculptura. Parietum incrustatio ex nucea tabula, cum insculptis Christi Domini, Apostolorum aliorumque cœlicolarum effigiebus supereminet. Coronæ et lacunaria ex eadem materia subtiliter elaborata, artificum perfectam industriam patefaciunt. Istæ omnes Monachorum chorum cingunt, viginti duæ pro Fratribus speciosæ satis, eadem incrustatione effigierumque sculptura elegantissimo opere decoratæ ; reliquæ decem, mediæ tantum, cratibus templi affixæ ne visentibus earum altitudo esset impedimento. Emblematibus cuncta ista operisque politie desiderabili abundant omnia, adeo ut aliis etiam deficientibus ea solum perfecto templi ornamento possent deservire. Deinde conspicitur duplex altare majori respondens, a cujus tergo sacellum est erectum quod Sacrarium nuncupamus, novo rotundoque opere jamjam per diem consummando : ad hoc deputatum ut ejus medium sacrosancti Sacramenti dominici corporis erigendum tabernaculum occupet, circumcingendum Apostolorum et aliorum Sanctorum effigiebus, elegantibus imaginibus, Divorumque reliquiis et aliis exornandum. Dextrum templi latus quinque alia sacella cingunt ; sinistrum vero sex. Omnium ornatus sericus etiam feriali tempore ; pro solemnitatibus est pretiosior et dissimilior, prout Sanctorum vendicant festivitates vel temporum observatio. Pro Adventu violaceus cinereusve conspicitur color, et pro Quadragesima ater ; pro Martyre

Formæ LXXIV numero.

Vestimenta sacerdotalia pretiosa.

ANNUS 1393

rubeus, pro Virgine candidus. Paschalia etiam ornamenta majorum solemnitatum pretiosiora multum. Altariumque ornatui vestes respondent sacerdotales : in omnibus an polities, an pretium superet, ignoratur. Lucet exterior hic cultus, invitat animum allicitque : et ut uno dicamus verbo, frontalia auro intexta plumario opere, Damasceno serico gausapoque et omnigena bombyco elaborata, fere centum reperimus, casulas fere totidem. Peristromata gausapino levique serico variata quinque, pro solemnitate Corporis Christi ornatuque laterum claustri. Vasa sacra argentea omnia, majora minorave, feriali etiam tempore ministrantia ; cruces, candelabra, pacis symbola, et pro altaris maximi ministerio lances quatuor argenteæ et inauratæ, pro aliis æreæ. Ex eodem vero æramento conflata multo plura, octo præsertim candelabra quatuor cubitorum altitudine ad templi splendorem non parum conducentia nongentis aureis æstimata ; ex ferro lignoque alia plura pro infimis minoribusque ministeriis. Et ne cultum in aliquo deficeret elegantiæ ornatus, alba cera ignem fovet, unoquoque anno talenta sex consumentem, variato cereo, minori et grandi, feriali festivoque tempore.... »

Vasa sacra ex auro vel argento.

Ex fautoribus, amicis et benefactoribus hujus Domus, præter Principes a sanguine regio, hos reperimus : Joannem Sereani, episcopum Segoviensem, cujus obitus signatur in Charta anni 1403. Alfonsum, Toletanum archiepiscopum, mortuum quidem anno 1482 juxta Joannem Tamayum, sed tantum denunciatum in Charta anni ejusdem seculi 84 in qua dicitur Primas Hispaniarum. Garciam de Loaysa, ejusdem sedis Præsulem, qui defunctus recensetur in Charta 1599. Balthazarem de Sandoval et Moscoso cardinalem, et dictæ Ecclesiæ archiepiscopum, habentem missam de B. Maria per Chartam anni 1666, in qua præterea vocatur Generalis Inquisitor. Melchiorem de Moscoso episcopum Segoviensem Charta anni 1653 celebrat tanquam magnum Ordinis amicum et præcipuum hujus Domus benefactorem, cui propterea conceditur missa de B. Maria in Provinciis

Fautores et amici hujus Domus.

ANNUS 1393

Hispaniæ et anniversarium perpetuum per totum Ordinem, sub die 1 Septembris. Nobilis Didacus Hurtado de Mendoza, admiraldus regni Castellæ, defunctus habetur in Charta anni 1406, cum anno præcedenti obiisset, ut constat ex ejus genealogia ab Alfonso Lopez de Haro edita. Ejus quoque honorifice meminit Petrus de Roias diversis in locis Genealogiarum Hispaniæ, nisi plures fuerint ejusdem nominis. Joannes quoque Hurtado de Mendoza supremus Joannis I regis Castellæ æconomus, cum præfato Didaco dicitur specialibus muneribus et privilegiis hanc cartusiam ornasse. Didacus Lopez de Zutuga, Justitia major præfati Regis, fautoris ac benefactoris gloriam habet in Historia hujus Domus, sicut et Rodericus Lopez de Abatos, Castellæ comestabilis. Hos præter, in Charta anni 1486 Maria Nyo, magna benefactrix inter defunctos legitur. Et anno 1602 egregius dominus licentiatus Diazius de Figineroz, specialis amicus et benefactor cum beneficiis missæ de B. Maria et anniversarii perpetui sub die 12 Maii.

Copiosæ hujus Domus eleemosynæ.

Ex præfatorum et plurium aliorum benefactorum largitionibus ingentes paratas divitias non in sumptibus inanibus impendunt Nostri, sed post sufficientem honestamque Domus et familiæ impensam, quæ supersunt largis effunduntur eleemosynis, quas autor Historiæ hujus Domus, qui vivebat sub initium septimi decimi seculi, asserit tria millia aurea scuta quotannis superare, unde non mirum si a gravibus autoribus multis attollantur laudibus. Inter quos est Martinus ab Azpilcueta, celeberrimus ille Doctor toti Orbi sub « Navarri » nuncupatione notus, qui in tractatu *de Reditibus Ecclesiasticis* sic loquitur : « Hodie octavo die Julii anni 1566, in hac sanctissima Ordinis Cartusiani Domo S. Mariæ de Paulari, quæ est cœlestis imago in charitate, religione, tranquillitateque.... legens sanctas eorum constitutiones, etc... » Et in suo commentario C. *Statuimus*, postquam carceri perpetuo clausuram nostri Ordinis comparavit, hanc Domum iterum sic laudat : « Quod colligitur ex Statutis eorum antiquis, quæ videre licuit pridem in illo nunquam satis laudato

Monitor. XXVIII, n. 2.

Quæst. III, n. 1.

monasterio B. Mariæ de Paulari. » Non absimile exhibet testimonium Joannes Mariana. « Segobia in aditu Castellæ ulterioris sita est urbs amplissima.... Vicinis locis ad pagum Roscafriam Regis impensa structura monasterii surgebat. Ejus cui Paulari nomen est inter Cartusianorum domicilia ipso ædificii splendore, copiis, et loci sanctitate in Hispania celeberrimum. »

ANNUS 1393

De Reb. Hispan. Lib. XVIII, c. 13.

Hujus Domus fundatio occasionem dedit erigendæ Provinciæ Cataloniæ. Ab anno Christi 1301, quo primum Domus Ordinis per Provincias distinctæ sunt, Domus Hispaniæ sub titulo « Domorum Cataloniæ » provinciæ Provinciæ ascriptæ fuerunt, annis intercalariis seu bissextilibus tantummodo visitandæ. Erecta vero circa ann. 1346 Aquitaniæ provincia, eidem subjectæ permanserunt ad præsentem annum, quo tantum cœperunt habere Visitatores ex Prioribus gentilibus assumptos, licet jam ab anno 1370 et nomen Provinciæ et locum ab Aquitaniæ et Provinciæ provinciis distinctum in Chartis capitularibus obtinuissent.

CARTUSIA PROPE AMSTELRODAMUM INCHOATUR.

VIII. Relicta Castella, in Hollandiam stilum transferamus. Ibi enim cœnobium nostri Ordinis prope Amstelrodamum, in diœcesi Ultrajectensi, sub vocabulo *Portus Salutis S. Andreæ,* hoc anno inchoatum invenimus ; rem promoventibus ejusdem urbis Consulibus, sub auspiciis Alberti Hollandiæ et Hannoniæ comitis, quem merito propter collata tum novæ Domui tum toti Ordini beneficia, tanquam fundatorem plerique autores agnoscunt, licet in nostris Chartis hunc titulum non habeat. Quod vero primus hujus fundationis honos Amstelrodamensibus debeatur, colligimus ex Capituli generalis Seizensis hujus anni Charta, quæ sic habet: « Provinciam Alemaniæ Inferioris visitabunt Priores Argentinæ et Herbipolis (scilicet Henricus Calkar et Joannes a S. Burckardo). Et committimus eis quod vadant ad Amsterledam cum Prioribus Hollandiæ (Domus videlicet Montis S. Gertrudis) et Gelriæ (Balduino et Guillelmo) vel cum altero ipsorum ; et in casu quo illi Consules et cives qui scripserunt Capitulo generali, effectualiter complerent quæ

ANNUS 1393

scripserunt, tunc committimus eis quod dictam Domum salva super hoc Novorum Statutorum ordinatione, recipere possint et Rectorem ponere cum personis prout eis videbitur expedire. » Nec mora, præfati Commissarii ad eamdem urbem se conferunt, acceptaque nomine Ordinis civium oblatione, novæ plantationis administratio Willelmo Priori Gelriæ credita est. Hic, accersitis e Domo sua monachis inter quos erat Albertus Kivetius, adolescens monachus non vulgaris pietatis, unum ex eis, cujus nomen hactenus nos latuit, in Rectorem instituit, quem Patres quinquennio post eamdem Domum inter cartusias adscribentes Priorem nominarunt sub hac forma : « Rectori Domus de Amsterledam non fit misericordia, et ad ipsius et Conventus sui magnam instantiam et Visitatorum relationem, præfatam Domum omni via et modo quibus melius possumus per præsentes nostro Ordini incorporamus; præficientes præfatum Rectorem in Priorem dictæ Domus, ordinantes quod in his quæ necessaria fore videbuntur, ad Visitatores recursum habere teneatur. » Hoc Priore postea absoluto, successori ejus ad Conventualium preces concessum est ut festum S. Andreæ, patroni suæ Domus, possit cum candelis celebrare.

Novam plantationem accipiunt Visitatores.

Ex Charta 1405.

Thomas a Kempis, Joannes a Leydis, Petrus Opmeerus et Aubertus Miræus hanc etiam fundationem ad præsentem annum referunt; unde perperam a Joanne Blaeccio videtur revocari ad annum septuagesimum septimum hujus seculi. At fere omnes primum illius autorem nominant Guillelmum Bavarum, Hollandiæ comitem, nulla facta civium mentione, dicuntque Guillelmi desiderium, quod ille præ capitis infirmitate complere non potuerat, ab Alberto fratre illius perfectum fuisse. « Albertus Bavarus, inquit Miræus, cum Hollandiam nomine fratris sui Guillelmi comitis qui deliquium mentis patiebatur regeret, ut ejusdem fratris sui pio desiderio satisfaceret, cartusiam ad muros urbis Amstelrodamensis fundat et dotat, Horna sinus australis insula aliisque agris attributis. » Opmeerus et ex eo Raissius eadem fere scribunt, situm nostræ cartusiæ distinctius designantes :

Guillelmus Bavarus hujus cartusiæ vulgo fundator dicitur,

In Chronic. Belg. anno 1393.

Opm. Chronic. univers. Orbis.

Raiss. in Orig. Cartus.

ANNUS 1393

« Guillelmo mente capto, evocatus e Germania Albertus Bavarus, Amstelrodamum appulsus, in gubernatorem provinciarum fratris publico decreto fuit constitutus, calendis Martii. Vir singularis prudentiæ et religionis amantissimus, solitus in diplomatibus suis Cartusianos suos vocare sacellanos. Ille igitur, nomine fratris, quia quod conceperat propter deliquium mentis perficere non potuit, in Amstelrodami suburbanis, via Harlemensi, cartusiam hanc Portus Salutis extruxit, collatis in ejus subsidium agris et insula Horna ad canam fossam, in sinu lacus australis, a colonis cum septem familiis habitari solitam. Mortuo vero fratre sine liberis, ei successit in principatu : qui sicut oppidum ipsum Amstelrodamum variis privilegiis ac prærogativis decoravit ; ita et creaturam suam cartusiam hanc opportunis semper fovit auxiliis. » Hæc illi. Sed cum Guillelmus comes triginta quinque ante fundationem hujus Domus annis in custodia propter amentiam detentus fuerit, ab anno videlicet 1358 ad annum 1377 vel 1379 quo obierit, vix credibile est eum unquam de fundanda cartusia cogitasse. Et revera, in Chronico cartusiæ Capellæ solus Albertus dicitur eam construxisse, et tali quidem occasione : « Dominus Sigerus, quem alii Joannem, alii Walterum vocant, Walteri hujus nominis quinti Anghiæ domini et Capellæ cartusiæ fundatoris nepos, postquam tenuerat dominium (Anghiense) circiter triginta annis, decollatus est in Querceto (circa annum 1366) jussu ducis Alberti comitis Hannoniæ (et Hollandiæ). An juste ? novit Deus. Dicitur tamen idem Dux construxisse monasterium nostri Ordinis juxta Amstelrodamum pro satisfactione occisionis ejus. » Sed præter nostram cartusiam, ecclesiam quoque pro tredecim canonicis apud Hagam in luitionem ejusdem necis jam ante viginti annos condiderat, ad id comitis Flandriæ et quinque fortissimorum Sigeri fratrum armis coactus, ut ab eis totam Hannoniam vastantibus, se suosque subditos liberaret.

Sed minus recte.

Albertus ejus frater verius dicitur fundator Domus.

Miræus, Lib. II, Donat. Belg.

Meyerus, Annal. Lib. XIII.

Ut ut sit de prædicta erigenda nostræ Domus causa, constare debet ex citatis superius Chartis cives Amstelrodamen-

ANNUS 1393

ses non parum ad id opus contulisse. Qui vero hi fuerint hactenus non reperi, ex quibus tamen istos fuisse censeo quorum obitus signantur in Charta anni vigesimi subsequentis seculi, videlicet « dominus Willelmus Jacobi presbiter, Agatha... et domini Hermannus et Nicolaus Comestoris (hoc nomen corruptum erat) et Volba uxor Nicolai, cives Amsterdamenses magni benefactores Domus nostræ. » Fuerunt et alii cives eodem titulo in nostris Chartis insigniti, quorum hæc sunt nomina : Jacobus Divel, 1432. Elisabetha relicta Joannis Wilhem, 1433. Hermannus filius Ermodiæ et Albertus sacerdos, 1435. Willelmus Zael, vicarius in capella Comitis Hollandiæ, 1445. Willelmus Simonis et Mathildis relicta Simonis Joannis, habentes anniversarium perpetuum; hæc sub die 19 Julii, ille sub 10 Octobris, ex Charta 1450. Hildegundis relicta Joannis Pauli, 1457. Droneta relicta Jacobi Dienels, 1461. Gertrudis uxor Willelmi Simonis, 1470. Girardus Matthæi, 1471. Petrus Simonis et Theodoricus Breussdem, 1476. Soror Sophia in Domo S. Luciæ inclusa, professa de Amsterdam, 1458. Jacobus Henrici scultetus, magnus etiam benefactor Ordinis dicitur, 1496. Petrus Haring, 1513. Ericus archiepiscopus Nidrosiensis in Scandinavia, benefactor quoque hujus Domus appellatur in Charta 1523, in qua denunciatur mortuus cum beneficio tricenarii per totum Ordinem et missæ de beata Maria in Provincia Teutoniæ.

Huic fundationi multum conferunt Amstelrodam. cives.

Ordinis beneficia in favorem Alberti.

Sed ad Albertum redeamus, cujus beneficia etiam ante fundationem suæ cartusiæ Nostri experti, tricenarium de Spiritu Sancto pro eo, ejus consorte et liberis per totum Ordinem indixerunt; quod ab anno 1390 ad obitum usque, quem incurrit anno 1404 mense Decembri, soli Alberto concessum est, sed nunquam fundator appellatus est. Duas habuit uxores quarum prior Margareta, quam aliqui Mariam vocant, Ducis Silesiæ filia; recensetur mortua in Charta Patrum Urbanistarum anni 1386. « Obiit domina Margareta comitissa Hollandiæ, 4 Calendas Martii, quæ habet monachatum per totum Ordinem. » Fuerat etiam insignis bene-

Chronic. ms. cartus. Capellæ.

factrix Domus Capellæ, cujus monachos Aprorum militum furorem fugientes, fere per biennium Montibus (Mons) aluit. Cum marito sepulta jacet in capella curiæ Hagensis. Ex Alberto plures genuit liberos, inter quos nostri Ordinis fautores extitere, Guillelmus qui singulis annis, schismatis tempore, ab Urbanistis Patribus commendatus fuit precibus Ordinis, et post obitum quem subiit anno 1417, habuit tricenarium defunctorum in Charta ubi vocatur Hannoniæ, Hollandiæ et Zelandiæ comes. Joannes per plures annos episcopus * Leodiensis, tandem uxorem duxit; ejus obitus habetur in Charta anni 1425. Catharina, utriusque soror, sepulturam accepit in Domo Gelriæ cujus extitit benefactrix. Margareta, altera eorum soror, cum marito suo Joanne, Burgundiæ duce, multa bona fecit Domui Divionensi.

J. a Leydis, Liber XXXI, Chron. c. 64.

* Episcopus designatus, sed non consecratus.

Hæreticorum rabiem hæc Domus prima ante alia monasteria apud Amsterlodamum sustinuit, ut suo loco dicemus.

DECRETA CAPITULI GENER. URBANISTARUM

IX. Utilia hoc anno ab Urbanistis Patribus decreta promulgata sunt, ex quibus hæc fuerunt præcipua :

1. « Cum secundum antiquum et laudabilem morem nostri Ordinis, prout habetur etiam expressum in secunda Parte Statutorum, Cap. VI de Priore, non liceat Prioribus vel Conversis vel aliis personis Ordinis equitare extra terminos nec etiam infra, nisi remote a villa et ab occursu hominum, sine cappis, quæ observantia nostris temporibus apud quosdam vere videtur abolita : ideo ordinamus expresse quod de cætero, Priores et aliæ personæ Ordinis nostri non equitent sine cappis, prout antiqui Patres voluerunt, et etiam honestati cujuscumque viri religiosi valde convenit; qui vero in præmissis inobediens extiterit, clamet culpam suam in proximo subsequenti Capitulo generali, recepturus de sua inobedientia condignam disciplinam.

2. « Declaramus quod Procuratores Domorum non habentium domum inferiorem, de nullo se habeant intromittere nisi de consilio et jussu Priorum suorum generali vel spe-

ANNUS
1393

ciali, sed quæ sunt facienda ad eorum memoriam humiliter inducant, consilium impendentes et auxilium pro bona ipsorum Priorum vel Præsidentium voluntate. Et similiter se habeant Conversi ; qui si in jussis humiliter non obedierint, laborare potuerint et noluerint, vino careant et pitantiis, ad voluntatem Præsidentis ; nec murmurent si in victu et vestitu non æqualiter habuerint Monachis, iisdem sub pœnis.

Mulieres in cœmeteriis nostris non sepelimus.

3. « Cuilibet Domui Ordinis conceduntur quatuor anniversaria et totidem sepulturæ; et declaramus, quod vigore præfatæ concessionis, nulli liceat aliquem sæcularem sepelire in cœmeteriis nostris, ubi monachi et aliæ personæ Ordinis nostri sepeliuntur : non enim quæ de fundatoribus nostris et ædificatoribus ecclesiarum nostrarum expresse dicuntur in prima parte Statutorum, ad alios extenduntur. Injungimus ergo expresse omnibus et singulis personis Ordinis nostri, quatenus nullum hominem sæcularem, illis exceptis de quibus antiquum Statutum loquitur, in nostris cœmeteriis sepeliant vel sepeliri permittant ; sed alius locus pro hujusmodi sepulturis deputetur, in quo viri tantum et non mulieres valeant sepeliri ; qui vero contra peccaverit, si Prior est, clamet culpam suam in proximo Capitulo generali in persona propria vel per nuncium, recepturus de sua inobedientia condignam disciplinam ; alii vero consentientes, sint in disciplina generali ad Ordinis voluntatem. Poterit tamen Capitulum generale vel Prior Cartusiæ dare licentiam pro aliqua spectabili muliere, cui absque periculo et scandalo hujusmodi sepultura non posset denegari ; et tamen cum nulla ratione in cœmeterio Monachorum valeat sepeliri, sed in alio loco prout superius exprimitur, sepultura ei deputetur. Si vero aliquibus mulieribus jam esset concessum per Capitulum generale, vel etiam per Priorem Cartusiæ, vel quoscumque Priores alios, quod apud nos debeant sepeliri, pro scandalo evitando illis etiam concedimus ejusmodi sepulturam, tamen extra cœmeterium Monachorum, ut superius est expressum.

Antiq. Statuta I. P. cap. XLIX. 22.

4. « Denique ad laudem et gloriam beatissimæ semper Virginis Mariæ volentes nos conformare cum universitate Cleri, ordinamus quod de mane ante Primam vel post pulsetur pro veniis, prout in Completorio fieri est consuetum. » Pro veniis, id est pro dicendo ter *Ave Maria,* servata illa cœremonia quam apud nos *veniam sumere* appellamus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1394.

Bonifacii PP. IX Ann. 5.	Ordin. Cartus. Ann. 311.	Guillelmi II. Pr. Car. Ann. 28.

TRIPLEX VIA AD PACEM ECCLESIÆ,

I. ANNUS Christi supra millesimum sequitur trecentesimus nonagesimus quartus, Indictione secunda, quo Clemens Papa Avenionis, anctus animo de successu negotiationis quam conciliandorum Regum Franciæ et Angliæ Petro de Luna suo legato jam ab anno præterito commiserat, Nostrorum preces, novis additis spiritualium bonorum muneribus, pro more suo adhuc ardentius expostulat. Patres itaque apud Cartusiam die 17 Maii et sequentibus congregati, cunctis quas ad unionem et pacem Ecclesiæ promovendam anno præterito preces imperaverant repetitis, recens a Clemente missum beneficium significant : « Qui quidem Dominus noster Papa concessit omnibus Fratribus Ordinis nostri qui sunt vel qui erunt in statu gratiæ, et qui infra octo dies post præsens Capitulum orabunt Deum pro pace Regum Franciæ et Angliæ, tres annos et tres quadragenas de Indulgentiis. »

ab Universitate Parisiensi proponitur.

Sed pactis inter hæc, ut anno superiori præmonuimus, inter utrumque Regnum ad quadriennium induciis, Lunensis Cardinalis conatus incassum abiere. Cumque Nostri a Simone de Chaigneto Parisiensis cartusiæ Priore in ipsis comitiis Diffinitore, audissent triplicem modum ac viam pro pace Ecclesiæ acceleranda ab Universitate Parisiensi propositam fuisse : nempe *cessionis* liberæ utriusque contendentis ; *compromissionis* mutuæ in viros communiter deli-

gendos, quorum arbitrio utraque pars staret; *determinationis* denique, sive *decisionis,* per Concilium generale faciendæ; ipsi Priori secreto videntur id consilii dedisse ut hanc Universitatis deliberationem adeo sapienter factam opportune amplecteretur, quod consilium et ipse postea secutus est, ut sequenti anno videbimus.

SUBITANEA MORTE PRÆOCCUPATUR CLEMENS ANTIPAPA.

II. Denique Clemens, post receptionem literarum ad eum et ejus Cardinales nomine Christianissimæ Universitatis scriptarum, quibus præfatæ viæ sedandi schismatis significabantur, nullum animo gaudium habuit ; quinimo post brevem infirmitatem, Avenione fatis concessit die 16 Septembris, in ecclesia Cœlestinorum sepultus. Ejus obitus anno sequenti plenis in comitiis sic denuntiatus est : « Die 16 Septembris obiit sanctissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus Clemens Papa VII, a quo totus Ordo noster recipiebat continue multa beneficia spiritualia et temporalia, qui habet per totum Ordinem plenum cum psalteriis monachatum. Et nihilominus monemus omnes præsentes et posteros ut ipsum semper in suis orationibus habeant recommendatum. » Ab eo itaque tempore singulis Dominicis in Capitulo Majoris Cartusiæ « anima Papæ Clementis » ab ipso Ministro Generali commendatur.

Ex Charta Major. Cartus. ann. 1395.

Eum subita morte, juxta B. Ursulinæ prædictionem, occubuisse scribit noster Simon de Zanachiis. Hæc enim, ut vidimus anno superiori, ad Clementem a Bonifacio delegata, post primum cum Clemente, a quo satis benigne audita est, et ejus Cardinalibus congressum, cum per septem menses, inscio Pontifice, variis minis et injuriis lacesseretur, ut vel literas Bonifacii cuidam Cardinali traderet vel insalutato Clemente abiret ; « cum his, inquit illa, quæ vobis dixi fidem adhibere neglexeritis, jam ante recessum meum divinum præstolamini judicium (nempe de Clemente futurum). Interim, ait præfatus Simon, dum tot tantisque modis in ipsam virginem desævirent, memoratus antipapa Clemens de beata Ursulina percontatur; et aiunt jam diu fatuam abscessisse. Subito hoc relatum est beatæ virgini, quæ mox

Quod videtur B. Ursulina prædixisse.

ANNUS 1394

misit Literas apostolicas divina dispensatione reservatas, quas a Roma detulerat, ipsi Antipapæ ex parte summi Pontificis et Cardinalium. Tunc dictus Antipapa miratus est valde cum cognovit ipsam Ursulinam non recessisse. Et cum perlegisset dictas literas vehementer stupuit; et vibrans caput, multum stetit super se, cum suspiriis anxius meditans super hoc. Paucis itaque interjectis diebus, præmissus antipapa Clemens, manus ejus abluens ut ad mensam discumberet, repentina morte præoccupatus, miserabiliter vitam suam finivit. Hoc actum est, ut impleretur sermo B. Ursulinæ, quem illis prædixerat; id est, quod ante ejus discessum divinum præsentirent judicium. » His consentit, quoad mortis genus, Juvenalis Ursinus dicens eum repentina apoplexia percussum. Hujus porro beatæ Ursulinæ legationis nullam uspiam fieri mentionem haud adeo mirum esse recte admonet Henschenius, cum suo illa effectu caruerit, ideoque minus memorabilis fuerit; sive potius hoc silentium videtur adscribendum injuriis temporum, quibus Acta beatæ virginis perierunt : inter quæ noster Simon qui hanc Vitam conscripsit anno 1492, asserit fuisse nonnulla librorum volumina ejus revelationes continentia, prout a quodam probatæ vitæ sacerdote ex ore sanctæ virginis excipiebatur. Plures quoque alios idem Simon recenset ex quorum scriptis suam narrationem digessit, et ex eis unus præsertim testis oculatus fuit omnium quæ Avenione inter eam et Clementem ac Cardinales gesta sunt. Hunc vocat Antonium de Mediolano, ipsius Clementis apud Avenionem procuratorem. Sed de Clementis successore nunc agamus.

Acta SS. in Not. ad Vitam B. Ursulinæ.

BENEDICTUS XIII ELIGITUR.

III. Cardinales quotquot post mortem ejus Conclave ingressi fuerant, antequam ad successoris illius electionem procederent, ne schisma fovere viderentur, interposito ad sancta Dei Evangelia jurejurando, eorum chirographis firmato, promiserunt laboraturos se fideliter et diligenter, quantum in se esset, in tollendo schismate; daturosque ei qui foret electus auxilium et consilium ad unionem Ecclesiæ faciendam; et quicumque eligeretur cuncta observaret, sine ex-

Monachus Sandionysian. apud Spicileg. Tom. VI. pag. 64.

Spond. ad hunc ann. n. 12.

cusatione vel dilatione etiam usque ad cessionem inclusive, quæ Cardinalibus qui tunc forent vel majori parti eorum pro bono pacis et Ecclesiæ viderentur expedire. His actis et juratis, refert Petrus Parvi, Doctor Parisiensis, quemdam Cardinalem tiaram sibi ab electoribus oblatam respuisse, quod se ad cedendum post adeptum Pontificatum non satis firmum putaret; cui aliis audientibus respondit Petrus de Luna eadem facilitate Pontificatu se abdicaturum qua cappam deponeret; subditque idem autor Cardinales postea de eligendo Priore Majoris Cartusiæ verba fecisse, quibus ipse Cardinalis Aragonius reposuit : Hujusmodi homines solitarios ita propositi sui plerumque tenaces esse, ut cessionem præstare de eis nemo posset. Sicque Petrus tantam spem de procuranda Ecclesiæ unione faciens, electus est die 28 Septembris, coronatus vero undecima Octobris, Benedicti nomen accepit, quod in maledictionem ei tandem versum fore videbimus.

ANNUS 1394

Not. ad Histor. Juvenal. in Carol. VI.

Factus Cardinalis, nostrum semper Ordinem amaverat suaque foverat autoritate, cui etiam et præsertim Majori Cartusiæ multa bona largitus fuerat, ut colligimus ex Chartis plurimis in quibus antequam ad Papatum eveheretur his commendatur verbis : « Pro reverendissimo in Christo Patre ac Domino, Domino Cardinali de Aragonia, magno benefactore et devoto promotore Ordinis nostri et potissime Domus Cartusiæ, Matris nostræ, dicant celebrantes unam missam de Spiritu Sancto; non celebrantes septem Psalmos pœnitentiales cum Litania; Laici 30 *Pater noster* cum totidem *Ave Maria.* »

Ex Chartis 1388 et seqq.

Nostri Guillelmi Cartusiæ Prioris propositæ ad Papatum electionis mentionem facit ejusdem Domus Chronici continuator : « Hic Pater, inquit, refutavit capellum Cardinalatus sibi missum a Domino Papa Clemente VII ; et tanta fama fuit de ipso quod post mortem ejusdem Clementis in electione Papæ habuit voces undecim. » Item etiam habet Sutor.

Chron. Cartusiæ. c. XXIV.

Vita cartus. Lib. II. Tract. III, cap. 7.

IV. Audita Benedicti electione, cum spes omnis revocandi

DE MISERANDO STATU ECCLESIÆ TRISTATUR STEPHAN. MACONI.

ANNUS 1394

Gallos ad obedientiam Bonifacii ex morte Clementis conceptа, penitus amissa esset, « noster Stephanus Maconus, magno inde conficiebatur mœrore, et pia effusus in vota, modo ante aram maximam humentibus uberi fletu genis, rem christianam precibus quam ardentissimis Deo commendabat; modo cubiculo clausus, gemitibus ac singultibus seipsum macerabat, atque omni animi demissione, ante divinum se conspectum prosternens rogabat, et obsecrabat ut tot aliquando Ecclesiæ ærumnis modum faceret. Nec suis tamen contentus lacrymis erat, ut conscribendis etiam epistolis carorum Dei virorum opem imploraret, orationisque subsidia exposceret ad cœlestes placandas iras, inusitato tum vel maxime temporis quodam ardore in ejus pectore eminente ; recordatus seraphicæ Matris hortamenta, quæ cœlesti collustrata lumine longe prospiciens has Ecclesiæ calamitates, monebat suos ut nunquam cessarent a precibus effundendis : haud dubia quin divinus ejus Sponsus, piorum miseratus lacrymas, pristinum decus ac dignitatem suæ tandem Ecclesiæ sponsæ restitueret. »

Stephanum plurimi facit Petrus Philargius,

postea Alexander V dictus.

Cum sic in dies singulos Stephanus noster, quam de se expectationem concitarat, eam sua ipsemet virtute egregie sustineret, atque ita Mediolanensium Principum gratiam coæquaret, ut crebro in arduis maximisque negotiis sententiam ejus exquirerent, Petrus Philargius Novariæ tunc episcopus, quem summum Romanum Pontificem, ut suo loco dicemus, sequens vidit ætas sub appellatione Alexandri Quinti, tantam in Stephano demiratus animi moderationem pari conjunctam rerum tractandarum usui, amicitiam ejus sibi cupidissime conciliavit. Siquidem Episcopus, ut inter Principis consiliarios primas tunc temporis ferebat, ita in beato Viro nostro familiariter utendo nunquam sibi suum explere animum videbatur. Igitur Stephanus insignem gratiæ locum apud Principem consecutus, multa ab eo privilegia et beneficia in favorem cæterarum cartusiarum obtinebat. Cumque hoc tempore Senenses a nostris circa eorum civitatem constructis monasteriis, quædam tributa exigerent,

Galeatius quem iidem cives Patrem suum appellabant, precibus Stephani ac innato sibi erga totum Ordinem amore commotus, Senenses rogat Cartusienses hujusmodi vectigalibus liberare. His Galeatii literis, quas supra recitavimus, suas etiam ad Senatum Senensem Stephanus sub hac sententia adjunxit :

ANNUS 1394

Vid. ann. 1345.

Steph. Maconi ad Senenses epistola.

« Reverendi Patres et magnifici Domini, post humilem et debitam recommendationem, notifico Dominationi vestræ, quod illustrissimus Princeps et Dominus Comes Virtutum maximam habet affectionem et devotionem ad Ordinem sanctum Cartusiæ, in tantum quod de proximo mense Martii, prout mihi pluries asseruit, ordinaverit ædificari juxta Papiam in suo viridario monasterium solemnissimum, quod quidem si perficiatur secundum dispositionem sui magnifici cordis, non erit in Orbe simile, saltem in Ordine prædicto. Insuper etiam ad parvulam exhortationem meam dotes monasterii, cui præsum licet indignus, ampliare sine dilatione promisit; et nunc actualiter pecunias solvit pro quibusdam possessionibus utilibus monasterii satis boni valoris. Hæc igitur narravi, ut cognoscere possitis quantum afficitur ad dictum Ordinem. Hinc est quod magnificus et excelsus Dominus prædictus, materia se præbente, percipiens quod monasteria Cartusiæ juxta civitatem vestram Senarum sita quandoque gravantur et molestantur a quibusdam officialibus vestris in præstantiis sive gabellis, vel forsitan aliis exactionibus et gravaminibus, moleste tulit, dicens : Ego nullatenus portare potero quod filii mei Senenses quoquo modo molestent monasteria sancti Ordinis, ad quem taliter afficior; sed scribam eis, et ego non dubito quod sine mora satisfaciant desiderio meo. Quare, cum omni reverentia loquendo, videtur mihi quod sine notabili mora, per opportuna consilia Dominatio vestra dictorum monasteriorum exemptionem effectualiter ordinet ad honorem Dei et consolationem hujus Principis, sequendo super his ejus vestigia qui nos gratiis et privilegiis suis munivit, taliter ut nullus officialis nos audeat vel in modico molestare, quin cadat in

Vita Steph. Maconi, Lib. II, c. 13.

Quantum Dux Mediolanens. Ordinem nostrum dilexerit.

ANNUS 1394

pœnam Cameræ prædicti Principis applicandam. Et cum sic ordinatum fuerit, videtur mihi quod hoc totum prædicto Domino notificare velitis : de quo sum certus quod ei non modicum complacebitis ; et ipse cernens promptam obedientiam vestram, affectum suum ad vos amplius augebit. Insuper veridice superaddam quod pluries multum familiariter loquendo secum civitatem vestram, quam sine dubio prædiligo sicut obligor, affectuosis precibus commendavi; narrans et imprimens cordi suo magnam fidelitatem prædictæ civitatis ad eum, et alia plurima circa materiam utilia quæ scribere non decrevi. Et ipse cum magna verborum dulcedine paterna benignitate respondit : Certum tenete quod civitatem Senensem multum diligo ; et propter ejus libertatem conservandam multa millia florenorum jam expendi et expendere sum paratus, nec unquam dum vixero derelinquam eos nisi forte prius me dereliquerint. Sed doleo super eos quia suis divisionibus destruunt semetipsos. Et alia plura silentio transeo pro præsenti. Cordialiter igitur oro Deum, ut et huic illustrissimo Principi et etiam Dominationi vestræ concedat augmentum felicitatis et gratiæ, ut possitis cum salutifera pace populos vobis commissos dirigere ad laudem Dei et vestram et ipsorum salutem. Datum in monasterio nostro sanctæ Mariæ sanctique Ambrosii, Cartusiensis Ordinis, prope Mediolanum, die B. Catharinæ virginis et martyris, 1394. »

VARIORUM OBITUS.

Simon de Hamburgo,

V. Hoc anno in pace quievit Simon de Hamburgo, sic cognominatus ex patria. Is juxta consilium Propheticum obliviscens populum suum et domum patris sui, non tantum patriam suam Germaniam reliquit, sed et celebres pluresque in ea recens erectas Cartusiensis instituti Domos præteriens, ad Montem Dei circa annum 1354 sicut passer migravit; in quo cum viginti annorum spatio perfecti monachi virtutes omni studio et observantia coluisset, ad cartusiæ Argentinensis regimen assumptus est. Quod per quinquennium, non sine utriusque status profectu tractatum, nascente schismate abdicavit, absolutus in comitiis Majoris

Ex mss. Domus Montis Dei.

Ex Charta 1379.

ANNUS 1394

Cartusiæ. Reversus ad Montem Dei, ibidem residuum vitæ solitarius transegit, laudabiliter ac simpliciter conversatus. Nec se inutilem præbuit tum bonæ vitæ exemplo, tum variorum ac plurimorum descriptione librorum non quidem suo marte, sed manu sua exscriptorum, quorum numerum fidem superasse videntium quidam monachus Montis Dei coævus testatus est. Inter hos enim erant multa Psalteria, Gradualia, Breviaria, Diurnalia, Antiphonaria, et alii hujusmodi ad nostrum usum codices, diversos quoque Doctorum tractatus transcripsit ex quibus annumerantur : Liber de Consolatione contra quascumque tribulationes ; duæ Summæ de Vitiis Joannis de Cimaco Ordinis Minorum ; alia Summa Vitiorum incerti autoris ; Rosarium Physicorum, opus magnum ad instar bibliorum compositum per quemdam Cartusiensem olim in seculo medicinæ Doctorem ; multi Sermones utiles ; quædam sancti Bernardi opera ; Passio Domini secundum Nicodemum ; Dieta salutis ; Sermones Theophili Franciscani ; Vita sanctæ mulieris Alpaidis a Cudot ; et alia multa opera quibus nomen non apposuit. Obiit die 17 Novembris sub primo pulsu ad Matutinas, habens in Ordine ultra 40 annos ; habuit tricenarium defunctorum. Ad superos quoque transiit die 29 Decembris Christianus, professus Moguntiæ, qui Clementem verum summum Pontificem existimans, ad Majorem Cartusiam sub initium schismatis confugerat, ubi cum tanta modestia et pietate per plures annos hospitatus est, ut post obitum tricenarium ac anniversarium perpetuum per totum Ordinem meruerit.

Christianus Moguntinus,

Ex amicis et benefactoribus Charta Cartusiæ præsentis anni inter defunctos denunciat Clementem de Suilly, canonicum Suessionensem ; Joannem d'Aranda, sacerdotem et Doctorem Decretorum ; Stephanum Buyre sacerdotem, notarium Apostolicum ; et nobilem Gerardum de Cernilonis.

Et quidam amici

Et in Charta Capituli Seizensis recensentur Franciscus Prægnanus cardinalis, qui magnus benefactor ac promotor Ordinis nominatur ; Wocardus abbas S. Ægidii : fuerunt

et benefactores Ordinis.

ANNUS 1394

diversæ Abbatiæ ejusdem nominis, sed hic videtur esse Abbas sancti Ægidii, Ordinis S. Benedicti apud Norimbergam, cujus successores cartusiam ejusdem urbis dilexerunt, inter quos excelluit Henricus Gult cujus obitus habetur in Charta anni 1437. Hoc pariter anno decessit Marcilius de Inghen, Noviomagensis in diœcesi Coloniensi, qui ab anno 1362 floruerat in Academia Parisiensi, cujus bis Rector electus est. Deinde Heidelbergam evocatus Universitatem instar Parisiensis plantavit, ibidem sepultus in ecclesia sancti Petri. Hunc Thomas Bozius refert inter eximios nostri Ordinis Scriptores, unde non audet noster Petreius inficias ire quin fieri potuerit ut ex professore Heidelbergensi tandem Cartusiensis effectus sit ; sed non hæsitans æstimo eum nunquam fuisse nostri Instituti cum a Trithemio dicatur Heidelbergæ sepultus.

Th. Boz. de signis Eccles. cap. v.

DOMUS RUBI DERELINQUITUR

VI. Domus Rubi B. Mariæ in Bohemia post tot expertas, ut annis superioribus vidimus, vicissitudines, a Patribus Urbanistis tandem penitus hoc anno derelinquitur, monachis ad Domum Olomucensem translatis, ut ex eorum Charta discimus, quæ sic habet : « Quia dominus Episcopus Lutomislensis non duxit ad effectum quæ iteratis jam vicibus promisit Capitulo generali super restauratione Domus Rubi, ideo injungimus Priori Domus Olomucensis expresse, prout alias extitit ordinatum in pluribus Capitulis generalibus, quod personas et bona ejusdem Domus Rubi transferat ad Domum suam. » Huic Nostrorum decreto videtur Episcopus aliquod interposuisse impedimentum quod Prior superavit, fideliter ac strenue mandatum Superiorum exequendo, unde per Chartam anni sequentis : « Exhortamur eum, inquiunt Diffinitores, ut patienter ferat officium Prioratus, commendantes magnam suam sollicitudinem et industriam ac etiam obedientiam, pro qua non timuit se exponere multis periculis in commissione sibi facta per præcedens Capitulum generale de Domo Rubi. » Hanc translationem sive unionem, cunctaque a Patribus circa eam acta Bonifacius Papa confirmavit. Ab eo itaque tempore nulla facta fuit mentio Rubi B. Mariæ

in Chartis capitularibus. Attamen scribit eruditissimus P. Balbinus eam stetisse ad annum 1425, et plures habuisse Priores, quorum etiam nomina recenset; sed pace tanti viri dixerim verosimilius esse quemdam ex monachis Olomucensibus in loco ubi sita fuerat Domus Rubi cum Fratre laico degisse, ut et reditus illius et alia bona excoleret perciperetque, ac divinum Missæ officium in eadem ecclesia, quam ad profanos usus Nostri redigere non poterant, exequeretur; et ex his fuisse Paulum de Praga et Jacobum, quibus laudatus Balbinus Prioris titulum tribuit, quod forsan Procuratoris aut etiam Rectoris nomen pro Domo Olomucensi, gesserint. Quæ vero causæ Nostros impulerint ad hanc Domum monachis vacuandam non reperio, præter paupertatem ac dotem Conventui alendo non sufficientem. Nova enim Statuta prohibebant, sicut et nunc prohibet Nova Collectio, ne ulla Domus recipiatur, nisi prius pro sustentatione Prioris et duodecim Monachorum ac pro aliis oneribus necessariis supportandis sufficientibus dotetur reditibus vel possessionibus. Qui vero reditus sufficerent indicat quidam Statutorum Novorum interpres ab annis tantum ducentis, dicens « unicuique Domui opus esse saltem sex viginti libris de bonis reditibus amortizatis aut valore earum, quia tantis indiget pro necessitatibus Monachorum, Conversorum et familiæ. » Et revera, in parvis Domibus ubi tres tantum aut quatuor Monachi conversantur, regularis observantia multum periclitatur; imo et ipsa Religio, ut recte annotat Joannes de Turrecremata, penitus annihilatur. Unde non mirum si tantam circa novarum Domorum acceptionem in Patribus cautionem sæpius animadvertimus, quam et majorem adhuc, et ad severitatem usque adhibitam experiemur in fundatione Domus Pomeraniæ de qua modo nobis agendum est.

Statut. Nov. P. II, c. 5. n. 3. Nova Collect. P. II, c. 21. n. 3.

Reditus necessarii ad sustentandam unam Ordinis Domum.

In Regul. S. Bened., tract. XIII.

VII. Sita erat hæc cartusia in diœcesi Caminensi prope civitatem Rugerwald, unam e decem Pomeraniæ urbibus quæ Hanseaticis accensæ sunt, ad Wiperam amnem, adjunctumque mare habebat, dicata Deiparæ Virgini; nomen

CARTUSIÆ POMERANIÆ INITIA.

ANNUS 1394

ei fuit *Corona Beatæ Mariæ a Nativitate*. Pulcherrimam fuisse non ignobilis historicus Eichstettensis scribit. Sed nihil hodie de ea apparet, nam ex ejus lapidibus et ruinis arx ducalis, jubente Philippo duce Pomeraniæ lutherano, constructa est, cum hæresis turbida subdeque omnia invertebat. Ejus initia hactenus rerum nostrarum scriptoribus ignota, sicut et illius fundatores, ex Chartis nostris vindicare licet.

J. Isaac Ponnus, in famil. Duc. Pomer.

Adelheidis, Othonis ducis Brunswicensis filia, Bugslai vero Pomeraniæ Orientalis ducis vidua, a Patribus apud cartusiam Seizensem ad comitia celebranda hoc anno congregatis, monachos novam Domum quam meditabatur habitaturos, sibi mitti per Priores Domorum Stetinensis et Dantiscanæ postulat. Prioribus tale datur responsum : « Committimus Prioribus in Prussia et in Stetin quod accedant ad dominam Ducissam Pomeraniæ, et in casu quod dicta domina Ducissa vellet Domum de qua scribit Capitulo generali realiter ædificare et dotare prout Statuta nostra volunt, hoc significet Domno Cartusiæ vel sequenti Capitulo generali, et tunc poterit fieri commissio pro dicta Domo recipienda. » Accepto hujusmodi responso, ambo Priores Ducissam conveniunt, mentem Ordinis aperiunt, quæ tanta eis pollicita est, ut verbis ejus nimium credentes, Rectorem monachosque qui locum nomine Ordinis acciperent et incolerent, ad eam statim direxerint contra usum Ordinis, de quo diximus anno 1309. Eorum adventu pia matrona vehementer delectata, manum operi sine mora admovit, novamque cœpit cartusiam ædificare. Sed cunctis imperfectis nullaque dote assignata, aliquot post mensibus moritur. Cujus quidem benevolentiæ ne immemores Nostri viderentur, beneficium tricenarii defunctorum per Chartam anni sequentis impertierunt his verbis : « Obiit nobilis domina Aldehidis, ducissa Pomeraniæ, quæ ædificare inceperat unam Domum Ordinis, quæ habet tricenarium. » Statimque subditur, « Dominus Wartislaus, dux Pomeraniæ, filius dictæ Dominæ qui habet idem. » Obierat ille anno 1392, relicto filio hærede, Erico videlicet, Suæciæ, Daniæ et Norwegiæ rege, qui in

J. Magnus, Histor. Goth. et Suev. Lib. XXII.

Gothia cartusiam ædificare aliquando molitus est, ut suo dicemus loco. Ubi vero Patres acceperunt præfatos Priores, Dantiscanum imprimis, novam hanc plantationem inscio Ministro generali admisisse, hunc dure arguunt duriusque puniunt per Chartam anni sequentis : « Multum miramur, inquiunt, quod Prior Domus in Prussia absque licentia Capituli generalis, et contra commissionem sibi factam per idem Capitulum generale, nulla relatione facta Priori Cartusiæ, ausus fuerit ædificare Domum Coronæ B. Mariæ; et etiam ibi personas Ordinis ordinare et disponere. Et ut de cætero a tali præsumptione caveat, ordinamus quod usque ad sequens Capitulum generale, bis in hebdomada abstineat a vino et careat pitantiis ; et cum multo majorem disciplinam meruerit, parcimus senectuti suæ. » Nihilominus Bugslao et Barnimo Pomeraniæ ducibus, Adelheidis filiis junioribus, primos matris conatus se perfecturos promittentibus, Rector et monachi solo, ut verisimile est, Prioris Stetinensis consilio, in eodem loco constitere. At Diffinitores Capituli Seizensis anni nonagesimi sexti his ad loca unde venerant remissis, eamdem qua Dantiscanus Prior affectus fuerat, pœnam Stetinensi imponunt : « Prior Domus de Stetin, quia in commissione sibi facta per Priorem Cartusiæ de receptione Domus Pomeraniæ, non adhibuit illam diligentiam et sollicitudinem quam debuit, stet extra sedem suam usque ad sequens Capitulum generale, infra quod spatium semel in hebdomada abstineat a vino et careat pitantia. Et ordinamus quod incontinenti, visis præsentibus, Rector et personæ Ordinis dictæ Domus revertantur ad Domos unde sunt educti ; committentes eidem Priori et Priori Prussiæ quod quamcitius potuerint, adeant dominos Duces Pomeraniæ, diligenter expondituri quid Ordo requirit in novis fundationibus ; quæ si effectualiter complerentur, significent Capitulo generali, et tunc omnibus perfectis, personæ Ordinis poterunt illuc deputari. » Quod et factum anno nonagesimo septimo videbimus.

ANNUS 1394

Patres Commissarii ibid., inscio Capitul. gener. mittunt Monachos ;

Exinde dure arguuntur.

DOMUS CLARIMONTANA AB ORDINE RECIPITUR.

VIII. Eadem fuit apud Patres Clementinos observatio in

ANNUS 1394

recipienda nova Domo Clarimontana, quam in regno Neapolitano sumptibus Wenceslai Venusini comitis ante biennium inchoatam vidimus. Sed quia locus habilis non erat ut volunt Statuta, eo a Nostris non admisso, alium aptiorem a fundatore oblatum Guillelmus Prior Cartusiæ accipiendum hoc anno censuit; ad quem etiam monachos mitti jussit, juxta potestatem sibi in comitiis hujus anni factam. Absoluto namque Capitulo generali, cum nullus ex Neapolitano regno nuncius advenisset, sancitum est « quoniam in præsenti Capitulo nullæ literæ receptæ sunt de partibus Neapolis, seu de earum Domibus, ut Domnus Cartusiæ habeat de ipsis prout sibi visum fuerit expedire, si ipsum contigerit literas recipere. » Accepto itaque paulo post nuncio, ipse Prior Cartusiæ, statum Provinciæ proprio arbitrio moderatus est. Res vero integra præfati cœnobii ad Matthæum de Tito Neapolitæ cartusiæ Priorem detulit his verbis : « Receptis literis in hebdomada Pentecostes a Priore S. Martini de Neapoli Capitulo generali destinatis, necnon et literis domini Ducis Venusii pro una Domo Ordinis construenda, Nos F. Guillelmus Prior Cartusiæ autoritate nostri prædicti Capituli committimus potestatem et autoritatem dicto Priori S. Martini recipiendi dictam novam Domum sic construendam, in qua de uno Rectore valeat providere et de una alia persona Ordinis, prout secundum Deum eidem visum fuerit expedire. Quem Priorem sancti Martini constituimus illius Provinciæ Visitatorem generalem...... ad quem etiam recursum habeant personæ dictarum partium pro dispensatione, si indiguerint, in casibus Sedi apostolicæ reservatis. » Quod dictum videtur occasione schismatis.

Nov. Statut. P. II. c. 5. n. 3.

Hac potestate munitus adiit Matthæus fundatorem, qui Vitum episcopum Tricaricensem suum in hoc negotio per literas die Octobris decima datas Procuratorem delegavit. Hic, Ducis nomine, coram notario territorium S. Helaniæ prope Francavillam (quæ nunc est oppidum ditionis hujus cartusiæ) in comitatu Clarimontano, ad novam Domum condendam Matthæo obtulit; eumque in possessionem loci

die IV Decembris induxit ; præsente, consentiente, ac omnia confirmante proprio episcopo Rogerio Anglonensi ; qui et ipsa die, adstante suo Clero, primum cartusiæ lapidem benedixit ac in fundamentis collocavit. Haud diu post, die videlicet 15 Januarii anni subsequentis, ipse Fundator cuncta per suum Procuratorem acta confirmavit, sancteque juravit totum monasterium suis sumptibus intra decennium se perfecturum. Hæc omnia distinctius exponuntur in diplomate super his in hunc modum confecto :

Carta confirmationis.

« In Dei nomine, amen. Anno a nativitate ipsius 1395, regnante serenissimo domino nostro, domino Ludovico II, Dei gratia rege Jerusalem, etc. Die sexto decimo mensis Januarii, III Indictione, Neapoli, nos Franciscus Scalensis de Neapoli, regnum Siciliæ notarius, et subscripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati, præsenti scripto publico notum facimus et testamur, quod convocatis et personaliter accersitis ad præsentiam spectabilis, eminentis ac generosi viri domini Wenceslai, ducis Venusii et Clarimontis comitis, etc. ; et venerabili et religioso viro fratre Mattheo de Tito, Priore monasterii S. Martini prope Neapolim, Ordinis Cartusiensis, commissario deputato (ut dixit) per venerabilem et religiosum virum fr. Guillelmum, Priorem Cartusiæ, autoritate Capituli generalis dicti Ordinis, ad omnia et singula infrascripta, agente nominatim et pro parte dicti Ordinis ac monasterii S. Nicolai de Valle ædificandi per dictum Ducem, et Fratrum omnium ac Conventus et Capituli qui erunt futuro tempore in eodem, ex parte altera : dictus dominus Dux sponte asseruit coram nobis et dicto fratre Mattheo audiente et intelligente, quod volens pro tantis beneficiis sibi a Deo collatis..., et pro salute animarum prædecessorum ejus et sua ; habens specialem devotionem ad Ordinem Cartusiæ, deliberavit et pia mente disposuit fundare et ædificare ad laudem et gloriam ipsius omnipotentis Dei, quoddam monasterium conventuale dicti Ordinis Cartusiensis, sub vocabulo mirifici confessoris S. Nicolai de Valle, in territorio Sinisii, in loco ubi dicitur territorium S. Philippi. Ipse Dux

ANNUS 1394

pro ædificando monasterio donavit, donationis titulo inter vivos, pro dicto monasterio ædificando, prædictum territorium cum vineis, arboribus, aquis, et omnibus aliis juribus et pertinentiis suis.... Attamen quia locus ipse territorii S. Philippi in quo construi debebat ipsum monasterium, tam viris religiosis Cartusiensis Ordinis quam omnibus aliis visus esset aeris contagiosi, ideo ob causam prædictam Dux in loco prædicti territorii S. Philippi dedit et assignavit territorium S. Helaniæ Clarimontis cum dotibus prædictis, et propterea ad hæc agenda constituit et ordinavit suum Procuratorem reverendum in Christo dom. Vitum, episcopum Tricaricensem, plena sua autoritate suffultum, qui renovando donationem jam factam per dominum Ducem, donavit ipse fratri Matthæo recipienti nomine et pro parte prædicti Ordinis, omnia bona prædicta et reditus annuos sufficientes, et cætera : prout hæc et alia in quodam alio publico Instrumento exinde facto, sub anno Domini 1394, die 4 mensis Decembris, III Indictione, apud Clarummontem, per manum notarii Cicer de Sinisio de Monte Sion, plenius et seriosius asseruit contineri. Quibus omnibus sic assertis et recognitis per ipsum dominum Ducem Venusii, modo prædicto, præsente dicto Matthæo quo supra nomine audiente, dictus Dominus Wenceslaus dux volens de omnibus prædictis, actis gestisque in præmissa et circa præmissa, tam per eum quam per dictum dominum Episcopum, procuratorem suum suo nomine, tam dictum F. Matthæum..... quam dictum monasterium, Domum et ecclesiam S. Nicolai de Valle Clarimontis dicti Ordinis ac Fratres in eodem degentes cautos reddere.... confirmavit.... investiens et ponens per suum annulum tam de dicto monasterio et loco per eum ædificando, quam territorio ipso S. Helaniæ.... eumdem F. Matthæum præsentem in possessionem.... et coram nobis juravit ad sancta Dei Evangelia per eum corporaliter tacta, prædicta omnia et singula adimplere, prout superius sunt expressa. Datum anno 1395, die decima septima Januarii. »

Locus S. Helaniæ, utpote salubrior, conceditur.

ANNUS 1394

Ughellus scripsit Vitum Tricaricensem episcopum cœpisse tantum præesse anno 1399, Rogerium vero electum fuisse Anglonensem præsulem anno 1400; sed verisimile utramque Ecclesiam duos simul habuisse Episcopos : unum qui Pontificem Romanum et Ladislaum regem agnosceret, alterum Clementi et Ludovico Andegavensi adhærentem. Anno nonagesimo sexto, in comitiis apud Cartusiam habitis, Fundator his commendatur verbis : « Pro domino Duce Venusii qui misit eleemosynam suam Capitulo generali, et fundat unam novam Domum in suo Comitatu, dicant celebrantes... etc. » Deinde devicto Ludovico Andegavensi et a regno expulso, Wenceslaus Ladislao regi victori reconciliatus est, et ab eo donatus Ducatu Amalfiæ ; partes quoque Romani Pontificis amplexus est, cujus exemplum sui Cartusienses secuti, obedientiam Patribus Urbanistis præstiterunt, ut ex Charta Capituli Seizensis anni 1403 discimus : « Rectori novæ plantationis S. Nicolai de Valle Clarimontis non fit misericordia, et gratanter acceptamus obedientiam suam et prædictæ Domus. Et exhortamur eum in Domino quod sicut bene cœpit, ita fideliter et laudabiliter perseveret, ut prædicta nova plantatio in manibus suis perficiatur et consummetur, propter bonum testimonium quod accepimus de virtute sua super dicta nova plantatione in agendis et disponendis et ordinandis. Et concedimus sibi plenam autoritatem usque ad futurum Capitulum generale. Et tam sibi quam cæteris Monachis et Conversis secum nunc existentibus gratiose concedimus tricenarium defunctorum (post eorum obitum persolvendum) si tamen ibidem laudabiliter perseveraverint. » Ipse vero Fundator preces ab eisdem Patribus obtinuit : « Pro illustrissimo Principe domino Wincislao de S. Severino, duce Amalfiæ, qui est Ordini devotissimus et solemne monasterium Ordinis ædificare incepit, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto pro sua et filiorum et aliorum suorum incolumitate et pace. » Cum vero extremo quo mortuus est morbo detineretur, eædem preces ordinantur, « ut ipsum Deus a tribulationibus et pressuris ejus, quas

Preces pro Fundatore indicuntur.

Domus S. Nicolai se ad Urbanistas confert.

ANNUS 1394

actu etiam corporaliter patitur, secundum suam benignissimam clementiam liberare dignetur, vel ei sanctam patientiam tribuere. » Denique post suam mortem per Chartam anni 1406 habuit tricenarium defunctorum, quod iterum extincto schismate ei concessum est in Charta anni 1419.

Incorporatur Ordini.

Ex Charta 1416 et seqq.

Eo mortuo, sæpe sæpius incorporatio Domus tum ab ejus hæredibus tum a Monachis ejusdem plantationis expetita est, quibus toties hoc datum est responsum : « Habeant patientiam donec habeatur certa notitia de majori prosperitate dictæ Domus. » Denique, ad instantiam illustrium dominorum Fundatorum et totius Conventus, et ad bonam relationem Visitatorum, per Chartam anni 1419, Patres eam incorporant, « sperantes dictos dominos Fundatores, cum Dei auxilio præfatam Domum ad finem debitum perducturos. » Hi quos Charta nominibus non designat fundatores, fuerunt Rogerius fundatoris filius, et Antonius illius nepos. Rogerius paternam fundationem confirmavit et absolvit, scriptis literis anno 1426, in quibus dicitur Comes Clarimontis. Antonius vero filius ejus idem præstitit anno 1431. Ex eadem Sanseverinorum familia, præter eos quos recensuimus cum egimus de fundatione Domus Padulæ, fuerunt Antonellus de S. Severino, comes Caputaquensis, cujus obitus habetur in Charta anni 1465, cum Raymunda uxore Principis Salerni. Alter Antonellus, Princeps Salerni et comes sancti Severini, Marsici et Tursii, ac regni Siciliæ admiralis, confirmat pascua hujus Domus anno 1495. Berardinus, sive Bernardinus de S. Severino, Princeps Bisiniani, dux S. Marci ac comes Tricarici, Nostros privilegiis fovit, anno 1497.

Benefactores.

Ludovicus Andegavensis, rex Siciliæ, volens, ut loquitur in diplomate regio *, prosequi devotionem nostri fundatoris, quem affinem suum et dilectum consiliarium appellat, fundationi consensit.

* die 1 Jun. 1397 dato.

Ladislaus, rex etiam Siciliæ post ejectum Ludovicum, attendens merita sinceræ devotionis et fidei quam religiosi venerabilis monasterii S. Nicolai de Valle Clarimontis erga Majestatem regiam gesserunt et gerunt, cuncta ab ipso Vin-

ANNUS 1394

Italia Sacr. VII, in Episc. Anglonens.

ceslao jam defuncto tradita et promissa approbavit, datis literis in suo felici Campo, anno 1406, 23 Aprilis. Idem præstiterunt Ladislai successores, inter quos Nostri annumerant Carolum VIII, Francorum regem, cujus literas asservant datas Neapoli anno 1495, die penultima Maii. Regum quoque Hispaniæ privilegiis gaudet hæc cartusia.

Ex aliis amicis et benefactoribus sequentes in nostris Chartis mortui denunciantur : Nobilis dominus Franciscus de Tigina, ex Charta 1435 ; domina Petralla de Francavilla, quæ dicitur Oblata et magna benefactrix, ex Charta 1499 ; dominus Martinus de Brando, anno 1524, et dominus Bernardinus de Scocorto qui habuit missam de B. M. ann. 1557.

URBANISTARUM CONSTITUTIONES.

IX. Duas hoc anno Urbanistæ Cartusienses edicunt constitutiones :

Una hunc habet tenorem : « Incipimus hanc constitutionem, et non absque magna admiratione percepimus quod quidam Priores, absque licentia Capituli generalis, vel Patris Cartusiæ, irrequisitis etiam Conventibus suis, concedere non verentur bona immobilia Domorum quibus præsunt ad usum seu ad vitam recipientium, contra jura Canonica et etiam contra Statuta nostri Ordinis ; ideo de remedio optimo et opportuno providere cupientes, Statuto irrefragabiliter duximus ordinandum, ne alicui Priori sine consensu Conventus, nec Priori et consentiente suo Conventu, absque licentia Capituli generalis vel Prioris Cartusiæ, liceat dare vel concedere ad vitam alicui personæ cujuscumque conditionis sit vel status bona immobilia, vel quocumque modo alio abalienare vel obligationem vel literas super præmissas concedere : quod si Prior vel Procurator contra fecerit, ipso facto sint privati obedientiis suis ; alii vero consentientes sint in disciplina criminosorum ad Ordinis voluntatem. »

Alteram ordinationem sic pronunciarunt : « Quia ex incauta receptione Novitiorum irregularium et non valentium promoveri ad sacros Ordines absque dispensatione Sedis apostolicæ, multi rumores fiunt in Romana Curia, cum pro eisdem Domino nostro Papæ supplicatur pro gratia ; ordi-

ANNUS 1394

namus expresse quod Priores et Conventus sint magis cauti, et sollicite inquirant super præmissa, prout Statuta nostra præcipiunt, ut nunquam recipiantur ad Ordinem in Monachum seu Clericum Redditum, qui non absque dispensatione Sedis apostolicæ ad sacros Ordines possint promoveri; et quis Prior scienter attentare præsumpserit, sit privatus officio; alii vero scienter consentientes sint privati vocibus et obedientiis ad Ordinis voluntatem, et nihilominus hujusmodi receptiones nullius sint valoris. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1395.

Bonifacii PP. IX	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 312.	Ann. 29.

VIAM CESSIONIS UNIVERSITAS PARISIENS. PROPONIT,

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, Indictione tertia, a prima Februarii ad diem 18 ejusdem mensis, habiti sunt Parisiis conventus præcipuorum regni Franciæ Prælatorum ac Doctorum, ubi tandem unanimi omnium consensu conclusum ac deliberatum est, non tamen « per modum determinationis sed consilii, » ex tribus viis ab Universitate Parisiensi anno superiori ad tollendum schisma propositis, cessionem tanquam certiorem ac breviorem eligendam esse. His cœtibus semper adfuit Simon de Chaigneto, Prior Vallis Viridis, qui juxta consilium sibi a Patribus datum, Doctorum Parisiensium sententiæ adhærens, eamdem viam constanter nomine Ordinis approbavit ac tuitus est. « Quamobrem, ut habetur in Instrumento super his confecto, concludendo et eligendo per modum oppositionis et consilii, solum attenta deliberatione Religiosorum Ordinis Cartusiensis et Celestinorum et Universitatis Parisiensis ; et quia necesse est Ecclesiæ sanctæ Dei, sub periculo desolationis ejusdem, istud detestandum schisma brevius quam fieri poterit extirpari et Ecclesiam uniri ; nec viæ prætactæ vel aliæ quæ imaginari valeant sint sufficientes ad veram unionem, pacem firmam et concordiam animarum, præter viam cessionis utriusque partis : istam viam satis congruam quasi instinctu Spiritus Sancti elegit et Regi consuluit per nuncios solemnes

ad extirpandum Ecclesiæ schisma.

ANNUS 1395

Domini Regis Domino Benedicto consulendam, ipsum et ejus Collegium ad hanc omnibus modis cum honore et reverentia decentibus exhortandos; exponendo tamen Domino nostro (Benedicto) primitus alias vias prætactas, causas propter quas non approbantur de præsenti, et causas propter quas cessio cuilibet videtur eligenda. »

LIBELLUS DE VIA CESSIONIS, AB ANONYMIS CARTUSIANIS CONSCRIPTUS.

Apud Marten. Veter. Scriptor. VII. 474.

II. Dum hæc ita aguntur, quidam prodit libellus cujus hoc erat epigraphe : *Scripta quorumdam Religiosorum pro via cessionis*. Qui fuerint isti Religiosi non indicat libellus, quos tamen e Nostris fuisse conjicio, tum quod in Majori Cartusia repertus sit, tum maxime quod illius spiritum ac simplicitatem redoleat Cartusiensem. Quem ea præsertim de causa hic subjicere libet :

Dare consilium non præsumunt.

« Deo gratias super inenarrabili dono ejus qui dissipat gentes quæ bella volunt, lætificans eos qui rogant quæ ad pacem sunt Jerusalem, ut omnes sentiant quam bonum sit et jucundum habitare fratres in unum. Siquidem illorum opinio, vel potius error, qui huc usque honorem suum paci universalis Ecclesiæ inaniter prætulerunt (dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei), ecce divino flante Spiritu rarescere ac pene deficere voluerit, et vel sero operti sicut diploide confusione sua, experti quod justum est subditum esse Deo et mortalem non contraria Deo sentire; quoniam qui Ecclesiam Dei conturbat, portabit judicium quicumque est ille. Hujus rei gratia freti, Reverendi Patres Ecclesiarum Prælati, gloriosaque Theologorum ac jurisperitorum multitudo his diebus in civitate Regia congregantur, tractaturi de viis, modis et remediis competentibus, quibus præsens schisma per successores Abiron, heu! vetustate nimia roboratum, finem accipiat, et populus Dei optata cunctis fidelibus pace fruatur. Super quo pauperes quidam idiotæ et abjecti, non quidem dare consilium, quod extremæ dementiæ foret, præsumunt, sed suum qualemcumque, quem habent, ad unionem Ecclesiæ insinuant dilectionis affectum.

Sed suum ad unionem Ecclesiæ insinuant affectum.

« 1. Primo, quoniam prophetica maledictione notantur qui ordiuntur telam et non per Spiritum Dei (nemo quippe

ordinem cœli et rationes ejus ponet in terra), operæ pretium videtur, etiamsi incerta et occulta sapientiæ suæ super hoc facto manifestaverit Deus, ut res effectum habeat, et is, qui incepit, bonum opus perficiat usque in diem Jesu Christi qui dat velle et perficere pro bona voluntate ; ne forte, quod absit, interim aliqua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.

Cum utraque parte lenius agendum.

« 2. Item, cum error hujus schismatis ex superbia et propriæ gloriæ cupiditate convaluisse noscatur, et humilitas utriusque partis, quæ nunc ad amorem unitatis et pacis inclinare se cœpit, satis tenella et læsibilis merito suspicetur ; cavendum valde videtur, ne si recens et nondum forte radicata humilitas respectu partis adversæ depressam aut confusam se senserit, a bono proposito resipiscat et fiat novissimus error pejor priore. Sed si ex æquo sic fiant omnia, ut integraliter utriusque Collegii et Principum ac Prælatorum populorumque partibus adhærentium honor et reverentia conservetur, non dabitur occasio maligno spiritui, et omnium ora prorsus claudentur.

Humiliatio haud formidanda dummodo animæ salventur.

« 3. Item, si ex prædicta æqualitate aliquis zelo partis suæ, aut infrendens murmurat aut stomachans tacitus ingemiscat, quod scilicet pars quam schismaticam et falsam esse aut opinatur aut firmiter credit, parti suæ quam sanam et catholicam non dubitat, ne in modico quidem succumbat, sed in omnibus comparetur : noverit qui hujusmodi est, quod caro et sanguis hanc sibi sapientiam revelavit, et manifeste quæ sua sunt quærere, non quæ Jesu Christi. Difficile huic hujusmodi persuadebitur, ut sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic debeat et ipse pro fratribus animam ponere, qui nec modice saltem pro salute hominum humiliari consensit ; quod certe si volens ageret, et in præsenti et in futuro ad magnam sibi cederet gloriam, Scriptura dicente : Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo et hominibus invenies gratiam. Esto non est Propheta aut filius Prophetæ, ut Jonam imitetur, qui pro pauculis hominibus hisque idolatris, de navi propter ipsum pericli-

ANNUS 1395

tante deponi voluit, et seipsum belluinis faucibus obtulit glutiendum; nec potest comparari perfectioni Moysis qui pro salute populi petiit deleri de Libro Dei; aut sequi Paulum qui cupivit anathema esse a Christo pro fratribus. Sed erubescat necesse est ipse Christi discipulus justitiam illius meretricis, quæ verum et certum partum ejus penes æmulam manere voluit integrum, quem nulla poterat ratione divisum.

Ad unionem hanc inclinandi sunt Principes sæculares,

« 4. Item, quia præsens schisma magna ex parte Principum sæcularium partibus adhærentium favore et adminiculo creditur roboratum, satis rationabile videtur quod super hoc prudenter et reverenter moveantur; ne pro gloria sua temporali, in præjudicium Ecclesiæ pacis, suam de cætero partem confoveant negotiumque spirituale spiritualibus determinandum committant, dicente Propheta : Non in exercitu neque in robore, sed in Spiritu meo dicit Dominus. Et loquitur de his qui templum Domini ædificabant post reditum Babylonicæ captivitatis. Hinc est quod rex Osias, inanis gloriæ vento repletus, dum ultra quam decens erat rebus spiritualibus se ingessit offerendo incensum, usque ad diem mortis suæ lepra percussus contabuit. Sane articulus iste, et immediate præcedens, quamvis fortassis quibusdam ex superfluo videantur adjungi, nonnullis tamen videtur quod (ut vulgo dicitur) hic jacet lupus; quoniam si Principes et Prælatos obstinata non detinet proprii honoris ambitio, speramus quod Ecclesia Dei facile pacem recuperabit optatam.

et ad cœtum seu Concilium vocandi,

« 5. Item, nonnullis videtur rationi consonum, ut quia Ecclesiæ Dei Principes sæculares de diversis regnis ad hanc desideratam pacem securius peragendam convocentur, tum ut dignum est ex hoc honorentur gaudeantque tanti boni tantæque lætitiæ se esse mediatores, cooperatores, et participes, qui de divisione multiplices sustinuere dolores; tum ut pondere autoritatis eorum, si qua forte, quod absit, partibus adunatis controversia emergeret, sopiatur.

sicut et Doctores atque Magistri.

« 6. Item, cum salus sit ubi multa consilia, non videtur absurdum ut ad locum ordinandum ad quem utraque pars conveniet, assumantur ab utraque parte decem vel quin-

decim Sacræ Theologiæ Magistri et totidem Canonici Juris Doctores, sive sint Prælati aut Religiosi, aut Sæculares, qui magnæ litteraturæ et bonæ conscientiæ putabuntur, tum ad præstandum in re tam ardua, si opus est, sanum consilium, tum ut ad certum actum inferius describendum, si justum et rationabile visum fuerit, eligantur.

Omnes simul conveniant ;

« 7. Item, cum objectum præsens multum moveat multis considerationibus ad pacem facilius obtinendam, apparet quamplurimum expedire, ut utrumque Collegium cum suo capite ad certum locum conveniat. Et difficile quidem est, ut communi utriusque partis consensu, vel in Roma vel in Avenione laudabilis Synodus congregetur; sed potius justum videtur, pro utriusque partis honore servando, ut in aliqua civitate, sive Bononia sive alia, quasi inter duas partes media, ambæ partes cum Principibus et Doctoribus memoratis conveniant, et finem huic calamitati, modo quem Deus inspiraverit ardenti zelo pacis imponant.

primum, a quacumque censura omnes absolvantur,

« 8. Item, cum utrumque Collegium, Deo miserante, una cum Principibus, Magistris et Doctoribus supradictis ad condictum locum pervenerint, pium et sanctum videtur quibusdam, ut a peritissimis et Deum timentibus certa conscribatur forma verborum; quæ quidem a quolibet duorum de jure Papatus contendentium successive et immediate legatur, audientibus universis : in qua quidem forma verborum, qui primo legerit, autoritate quantacumque potest et de consilio fratrum suorum revocet, quasset, et penitus annullet omnes processus, sententias et pœnas, sub quacumque forma verborum, a suo prædecessore vel a seipso, contra quoscumque schismaticos et sibi vel suo prædecessori non obedientes, modo quolibet promulgatas; ipsosque absolvat et cum eis dispenset, prout forma verborum latissime et perfectissime continebit.

Dein indifferenter Prælati in sua confirmentur dignitate.

« 9. Item, in prædicta verborum forma, scribatur quod idem, autoritate et consilio quibus supra, primo illum qui de jure Papatus contendit, et omnes Fratres suos, quos suos nuncupat Cardinales, creet, constituat et ordinet, S. R. E.

ANNUS 1395

Cardinales; itemque omnes indifferenter Prælatos, Religiosos vel sæculares aut alios in quacumque dignitate, gradu, ordine vel officio ecclesiastico constitutos, quos dudum, ipse vel prædecessor ejus pro schismaticis reputavit, in eisdem dignitatibus, gradibus vel officiis denuo creet et constituat, prout in prædicta forma verborum sapientia peritorum dictanda uberius exprimetur; et hæc dicuntur ad cautelam, propter illos qui de utraque parte, variis considerationibus, dubiis et scrupulositatibus, vel læsam vel turbatam conscientiam habuerunt.

Et ambo Pontifices eadem forma Papatui renuntient.

« 10. Item, in præfata verborum forma continetur, quod idem ad Dei gloriam et sanctæ Ecclesiæ unitatem et pacem, sponte sua et de consilio Fratrum cedat, et plenarie renunciet totali juri quod in Papatu habet vel habere se credit. Et cum hanc verborum formam, omnibus audientibus, pronunciaverit, alter immediate, nihil addito vel remoto, hanc eamdem formam verborum, omnibus audientibus, consimili modo pronunciet. Tunc in conspectu omnium Domini Cardinales, ex utroque latere, in gaudio Spiritus Sancti et osculo pacis reconcilientur, agentes gratias Deo qui concordiam in sublimibus suis faciens, et solvens inimicitias, utraque unum, ex tunc omnis amaritudo, clamor et indignatio tollatur ab eis cum omni malitia ; omnes denique præteritæ injuriæ, infirmationes et improperia et irrisiones, quasi nunquam fuerunt, ab ore et corde talium virorum, cum ingenti proscribantur horrore, et sempiterno sint consopita silentio.

De modo eligendi novum Pontificem.

« 11. Item, cum ad electionem futuri Pontificis Domino favente, pervenerint, unum Collegium effecti, non absonum quibusdam videtur, ut quia forsan una pars Cardinalium aliam excedit in numero, quod ab utraque parte eligantur Cardinales ad æqualem numerum, in quos sub facto electionis cæteri compromittant; ut negotium tam sanctum et pium omnis invidiæ et suspicionis omnino careat, quod summa mentium suavitate et unitate debet compleri. Cæterum non desunt qui arbitrantur commodius, si in præfata electione assumantur de qualibet parte tres vel quatuor Cardi-

nales, et de præfatis Magistris et Doctoribus ex parte qualibet decem vel duodecim, in quos totum electionis devolvatur negotium. Cum autem electus in plenam et pacificam potestatem Papatus fuerit, poterit, si ei placet, secundum sapientiam datam sibi a Deo, ad omnimodum scrupulum in perpetuum removendum, ea quæ in præscripta verborum forma contenta et perlecta fuerint, sua certa et vera autoritate plenarie confirmare.

Deus illuminet Prælatorum mentes.

« 12. Deus autem qui dixit de tenebris lumen splendescere, per quem legum conditores justa decernunt, illuminet corda sanctorum et Reverendorum Patrum horum ad dandam scientiam salutis plebi ejus; et sic zelus Domus Dei comedat eos ut antequam unusquisque redeat ad propria, aliquid salubre ad invicem de reformatione et emendatione Sanctæ Matris Ecclesiæ constanter pertractet, quod loco et tempore offerant effectui mancipandum, et cui dictum est : Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, cui ne subditorum sanguinem requirat Deus de manu ejus, justum est ut evellat et dissipet, et ædificet et plantet...

Ad morum conversionem adhortatio.

« Decebat quidem ut emendaremus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, essemusque perfecti sicut et Pater noster cœlestis perfectus est. Verum quoniam mirabilis facta est justitia, hæc ex nobis confortata est, et non poterimus ad eam. Declinemus saltem quorumdam hominum peccata manifesta præcedentia ad judicium, quo ipsos etiam laicos scandalizant, illis subsannantibus et dicentibus nobis : Jam non est sicut populus sic sacerdos ; qui cum clavem scientiæ habeat, nec ipse moratur in regnum cœleste nec alios intrare permittit, quia cum limpidissimam aquam intelligendo bibat, reliquam pedibus suis male vivendo conculcat. Egressa est quippe iniquitas de Babylone a senibus judicibus qui videbantur regere populum, et quia, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, publicani et meretrices præcedent eos in regno Dei. Putamus aiunt, tempus gratiæ impletum iri, quod dicitur per prophetam : In die illa non erit ultra mercator in domo Domini,

ANNUS 1395

Aliquid hic deest.

qui facto de resticulis funiculo columbas vendentes negociatoresque de templo ejecerit, etc..... et qui olim descendentes in profundum lacus cum incircumcisis et interfectis gladio dormierant, surrexerunt et venerunt in sanctam Civitatem, et apparuerunt multis, et sibi januam usurpantes, clauderunt et nemo aperuit, aperuerunt et nemo claudit. Sunt et alia extirpatione dignissima, quæ provocant oculos Majestatis ejus qui dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, quæ nulla si subsecuta fuerit, etiamsi per eum obducta fuerit cicatrix schismatis hujus, verendum est ne dicatur de nobis : Curavimus Babylonem et non est sanata ; verendum est, inquam, ne forte in his omnibus sit aversus furor ejus, sed et adhuc manus ejus extenta, et cum diu in multa patientia sustinuit, via iræ aperta in interitum, tandem excitatus tanquam potens crapulatus a vino, repellat altare suum et maledicat sanctificationem, percutiens ecclesiam suam plaga insanabili, castigatione crudeli, et derelinquatur filia Sion, ut umbraculum in vinea, et sicut augurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur.

Libelli conclusio.

« 13. Ut autem ea quæ superius prolixioribus quam decuerat, ob imperitiam dictantis, verbis, brevi coarctemus epilogo, quod tamen non immerito in re tam ardua sub tremore et correctione omnium hominum dicimus, videtur nobis simplicibus et idiotis hoc esse bonum et expediens ad Dei gloriam et celerem Ecclesiæ pacem ac utriusque partis magnum meritum et honorem : ut utrumque Collegium, accersitis Principibus et Magistris et Doctoribus prælibatis, ad locum certum conveniat, ibique, præsentibus omnibus, nulla alia de jure partium discussione facta, ambo contendentes de jure Papatus cedant et plenarie renuncient totali juri quod in Papatu habent vel habere se credunt; ibidemque reconciliatis in osculo pacis Cardinalibus, omnes utriusque imo jam unius Collegii, ad summi Pontificis electionem procedant. »

Hoc scriptum cœtui Prælatorum oblatum fuisse verisimile est, cum in eo quædam de forma cessionis et novi Papæ

electionis reperiantur, quæ etiam in eodem cœtu proposita legimus. Idem quoque videtur postea innuisse qui nomine totius conventus loquens, conclusit viam electionis eligendam esse « attenta deliberatione Religiosorum Ordinis Cartusiensis et Celestinorum, etc. »

ANNUS 1395

Multa Benedictus XIII *Nostris largitur.*

Posthac Legati Avenionem mittuntur qui Benedicto, quem tamen tota Gallia ut verum Pontificem habebat, præfatam deliberationem nomine Regis Clerique Gallicani significent. Ipse vero Benedictus ut Cartusiensium studia demereretur, scriptis ad instantia Ordinis comitia Literis, spiritualia ac temporalia bona toti Ordini largitur, ut ex Charta capitulari colligimus quæ sic habet : « Pro Domino nostro summo Pontifice Benedicto Papa XIII, qui singulariter ad nostrum Ordinem afficitur, ut apparet manifeste per suas Literas gratiosas et per beneficia spiritualia et temporalia quæ misit et mandavit Capitulo generali, quibus statum suum et S. R. Ecclesiæ devotissime recommisit, fiat, etc. Et nihilominus fiant suffragia alias ordinata pro pace et unione Ecclesiæ sanctæ Dei. Et quilibet secundum gratiam sibi datam fundat preces assidue et gemitus ad Dominum pro præmissis. Item ipse concessit Ordini, quod omnes Monachi, Clerici, Conversi et Redditi qui erant in Ordine in die B. Georgii martyris proxime præteriti, et etiam omnes qui exinde usque ad septem annos continuos ipsum Ordinem nostrum intraverint et in eo finierint dies suos, habeant in mortis articulo, si fuerint pœnitentes et confessi, plenam Indulgentiam et remissionem peccatorum. Item concessit quod quando Priores in Domibus Ordinis proponent verbum Dei, centum dies Indulgentiæ; quando vero non Priores, quinquaginta dies de Indulgentia omnes præsentes assequantur, tam de Ordine quam de familiaribus, dummodo sint pœnitentes et confessi. »

NOSTRI BRUGENSES FIUNT CLEMENTINI.

III. Porro Benedictus spe ac promissis Galliam, imo et universam Ecclesiam deludens, totis viribus partes suas stabilire et augere nitebatur, nec incassum plane. Quidam enim e Flandria qui spretis Burgundiæ Ducis minis, Pontifici Romano constanter hactenus obedierant, ad eum deflexe-

ANNUS 1395

runt; inter quos fuerunt nostri Brugenses monachi, quorum Prior a Capitulo generali Majoris Cartusiæ obtinuit ut a Priore Antwerpiæ qui semper Clementi adhæserat, fieret Visitatio « ad reformandos », ut habet Charta, sive potius ad confirmandos quosdam e suis in obedientia Benedicti vacillantes. Eorum subjectio placuit Duci, a quo propterea exemptionem a caduco hoc anno, mense Aprilis, obtinuerunt.

Ex Ms. Dom. Brugens.

Non ita Moniales ejusdem civitatis.

Nostræ ejusdem urbis Moniales Gandavensium Cartusiensium exemplo excitatæ, nullatenus a Bonifacii partibus abstrahi potuerunt, quarum mentes cum Joannes Sassius earum Vicarius flectere non posset, ad Domum Sylvæ S. Martini, jam ab annis duobus Capitulo Majoris Cartusiæ subditam se recepit, cui et anno sequenti a Patribus Clementinis prælatus est : nulla tamen contra Moniales prolata sententia. Diu a Principis ministris tum ipsæ Moniales tum Gandavenses Monachi ad obsequium frustra lacessiti sunt, quamobrem Patres Urbanistæ ut eos in obedientiæ suæ gyro magis ac magis continerent, tricenarium Spiritus Sancti injungunt : « Pro venerabili Domna Priorissa S. Annæ cæterisque devotis Sororibus dictæ Domus Ordinis nostri, ut Deus omnipotens, Jesusque Christus, Sponsus earum, in suis tribulationibus, angustiis et pressuris quas de schismaticis perpessæ sunt et continuo patiuntur, eis concedat fortitudinem et tolerantiam ac in fide S. R. Ecclesiæ perseverantiam ; ac etiam pro Priore et Conventu Domus Vallis Regalis prope Gandavum, qui multa a schismaticis passi sunt et majora pati continuo formidant. » Et in dispositione Provinciæ, eamdem « Priorissam adhortantur in Domino et cæteras venerabiles sorores, ut in suis angustiis et afflictionibus patientiam propter Deum habeant, et schismaticis fortiter resistant prout hactenus laudabiliter fecerunt; concedentes omnibus et singulis ad præsens professis utriusque sexus ejusdem Domus, propter ipsarum fidem et probitatem ac constantiam, confidentes quod semper de bono in melius perseverabunt, tricenarium defunctorum per totum Ordinem. Concedentes

Hanc ob rem laudantur a generali Urbanistarum Capitulo.

etiam eis de gratia speciali quod festum sanctæ Barbaræ possint celebrare prout supplicarunt Capitulo generali; committentes etiam Priori Coloniæ, Visitatori earum, ut de Vicario idoneo eisdem valeat providere, ad quem etiam in omnibus suis necessitatibus habeant recursum, cui in præmissis plenariam concedimus potestatem. » Priorem quoque Gandavensem cohortantur ut pro honore et reverentia Dei et nostræ religionis incremento et statu viriliter resistat schismaticis ut hactenus fecit, commendantes etiam in Domino ejus charitatem et sollicitudinem quam erga illas Moniales S. Annæ impertiri studuit ; exhortantes ut sicut hactenus fecit, ipsas visitet et suis monitis et laudabilibus exhortationibus in sancta fide et bono proposito confortare ac confirmare studeat. Sicque perseverarunt usque ad reconciliationem nostri Ordinis.

ANNUS 1395

IV. Hoc anno piissime moritur vir nobilis et potens, sed virtute potentior, Joannes de Saulx (de Salicibus), magnus baillivus Sammanechildesii *, insignis benefactor cartusiæ Montis Dei et in ea sepultus; de quo hæc apud Ganneronium nostrum legimus : « Frequentabat sæpius, ait, hunc Dei montem nobilis et potens dominus Joannes de Salicibus, miles, dominus de Cernonno, castri Bussini, etc.; ex antiqua Salicensium stirpe, e Burgundia oriunda, natus. Ut majorum vestigia premeret, arma exercuit : ast quum Cæsari quæ Cæsaris erant reddebat, quæ etiam Dei Deo dare non omisit. Uxorem duxit Joannam de Voulziers e qua genuit unicum filium, Ricardum nomine. Ille Joannes, licet sæculi negotiis plurimum innodatus, eximie tamen laudabatur, etiam vivus, ob morum integritatem, pietatem in Deum singularem, charitatem erga pauperes officiosamque in nosocomiis visitandis sedulitatem. Anno 1379, ad ejus instantiam, facta est elevatio corporis beatæ Manechildis, virginis et solitariæ, quæ circa annum 480 in diœcesi Catalaunensi, S. Alpino huic Ecclesiæ præsulante, vixerat. Ut ergo illius Sanctæ memoriam, tunc fere deperditam, in populos diffunderet Joannes noster, quarto decimo Octobris die, quo virginis festum

J. DE SAULX INSIGNIS BENEFACTOR MONTIS DEI.

* Sainte-Menehould.

Histoire des Essuens, ms. p. 313.

ANNUS 1395

occurrit, nonnullis convocatis Prælatis, magna cum pietate et devotione levari sacrum corpus et dividi curavit. Jam diu pretiosum Sanctæ caput in ipsa Sammanechildisii civitate servabatur, reliquum vero corpus apud monachos S. Urbani jacebat : ex eo Joannes abscidit brachium et costam unam quæ ecclesiæ de Binervilla contulit ; similiter et ossa plurima cartusiæ Montis Dei. Sed hodie unum tantum, ad magnitudinem pollicis, nobis superest ; cæteris, dum Heretici Domum nostram invaserunt, deperditis. Dominus ipse de Saulx particulas Reliquiarum aliquas ad proprium usum selegit et in magna lipsana deposuit ; residua autem Religiosis S. Urbani commisit. Arcambaldus, LXXV Catalaunensium episcopus, ad Joannis preces, festum ejusdem sanctæ Manechildis quolibet anno solemniter celebrari jussit cum Octava, tam a Clero quam ab omni populo suæ diœcesis ; et Indulgentias quadraginta dierum (dein a Ricardo archiepiscopo Remensi auctas) ecclesiam ubi sacræ istæ manent Reliquiæ per ejus festi Octavam devote visitantibus largitus est. In matutinalibus lectionibus Officii sanctæ Manechildis de nostro Joanne perhonorifica fit his verbis mentio : Hujus sanctissimi corporis in S. Urbani monasterio quiescentis, per venerabilem virum Joannem de Salicibus, dominum de Cernone, militem, portio certa, videlicet brachium et costa translata est et collata, anno 1379, ecclesiæ villæ quæ hujus virginis nomine nuncupatur.

Amicus fit

« Ubi primum Dominus de Saulx et Joanna uxor ejus, sanctam conversationem Fratrum Montis Dei sub D. Simone de Chagneto Priore noverunt, ambo sæpe sæpius Nostros convenere, eorum exemplo suam in Deum pietatem magis magisque accensuri ; eisque multa beneficia contulerunt, præsertim quas in pago de Binerville (annuente et amortizante Domino primario hujus loci, Joanne comite de Grandpré et Catharina d'Ailly ejus consorte) emerant terras : hæc autem donatio, quot dies annus habet, tot arpenta complectebatur. Præterea cum dicti Joannes et Joanna in hujus cartusiæ sacello B. Mariæ dicato sepulturam elegissent, illud

apparate picturis, statuis et ornamentis decorarunt, atque pro suorum Anniversariorum fundatione unum modium tritici annui reditus super censu de Valla prope Vonc assignaverunt. Insuper idem Dominus nobis donavit semel centum francos, et lipsanam pulcherrimam sacris Reliquiis refertam, cunctosque suos libros manuscriptos tunc temporis magni pretii habitos.... Legi alicubi prædictum Joannem, ni fuisset matrimonii vinculo ligatus, in Domo Montis Dei monachum induere ibique mori peroptasse. Cum vitæ interiori et recollectioni maxime addictus esset, quasi cellulam in suo castro de Vendy disposuerat ut ibi Deo et suæ saluti serius vacaret. Sibi etiam rigidissimus extitit : nam, quod cicatrices et vulnera in ejus corpore post mortem reperta clare probarunt, solitus erat ad nudam carnem gerere crucem ferream tribus hirsutam acutissimis clavis, quibus dum pectus tundebat sanguis eliciebatur. Priori Montis Dei cum Joanni de Saulx morienti præsto esset, indicavit infirmus quod Dominus (ut, ni fallor, quam grata hæc sibi fuisset anima ostenderet) suis oculis conspiciendum se præbuisset in forma Seraphim flammei et crucifixi, micantes radios circum spargentis : unde mirum in modum ægrotus jucundabatur ; et adjunxit Joannes se ex eo aliquam spem de sua salute concepisse. Et post hanc visionem apparuit illi venerabilis quidam senex veste alba coopertus, cujus capilli candidi erant tanquam lana, eum in supremo agone confortans : antequam vero spiritum emitteret, prædictus dominus Joannes dixit hunc senem esse beatum Evangelistam, patronum suum, quem tantopere coluerat, cujusque lapideam imaginem in sacello Montis Dei collocaverat. Demum anno 1395, quarto Non. Martii, diem clausit extremum. Corpus ejus ad Montem Dei asportaverunt et in sacello Beatæ Mariæ locaverunt : uxorem vero superstitem habuit Joannes de Saulx, quæ die 27 Martii, anno mihi incomperto, obiit ; juxta maritum sepulta. »

V. Hoc anno Parisiis decessit quidam Benedicti Papæ fratris filius, de quo hæc habentur in Indiculo sepulturarum

ANNUS 1395

et benefactor Domus Montis Dei.

Sancte moritur.

OBITUS JOANNIS DE LUNA.

ANNUS 1395

et epitaphiorum Vallis viridis : « Joannes de Luna, nobilis Aragonensis, nepos Domini Benedicti XIII, post obitum suum qui contigit anno 1395, depositus est in choro hujus cartusiæ.» Eodem anno Petrus Remuse, dictus de Tornoduro, canonicus Remensis et Tornacensis, Regis ac Ducis Burgundiæ consiliarius, mortuus die 8 Octobris tumulatus est in choro ejusdem cartusiæ. Idem habet Marlotus ex Brullio. In Charta Capituli generalis anni sequentis non fit mentio hujus Canonici, sed cujusdam procuratoris ejusdem nominis et urbis cujus obitus signatur his verbis : « Magister Petrus de Tornoduro, procurator Ordinis in parlamento Regio, habens tricenarium. » Et in necrologio ejusdem Domus Parisiensis idem Canonicus non reperitur, sed ad 8 Octobris, dicti procuratoris Anniversarium sic recensetur : « Petrus de Tornoduro, procurator in parlamento, de cujus bonis habuimus circa valorem 1800 francorum, multaque alia bona fecit nobis. » Certe ex nomine, patria, anno et die obitus illius, posset aliquod dubium oriri num idem sit qui simul et Canonicus et procurator esset, nisi canones refragarentur.

Metropol. Remens. II. Lib. IV. c. 5.

Brul. Antiq. Paris. p. 669.

B. NICOLAUS ALBERGATI NOSTRUM AMPLECTITUR INSTITUTUM.

VI. Nostrum Ordinem hoc anno amplexus est Nicolaus Albergatus, futurus S. R. Ecclesiæ cardinalis celeberrimus. Ejus Vitam plures nostris temporibus docte ac eleganter conscripsere. Nos vero quicquid de eo referemus ex solis veteribus eruemus autoribus quos noster Garnefeltius in unum collectos anno 1618 edidit. Nobilissimam antiquissimamque esse, quippe quæ jam seculo decimo floruerit, Albergatorum familiam omnes conveniunt. Ex ea Nicolaus noster traxit originem, Bononiæ natus anno seculi quod decurrimus septuagesimo quinto, patre Petro Nicolao, plebis Bononiensis tribuno, matre Philippa. Patris obitum, hactenus ignotum, reperimus in Charta Capitulari anno 1419, sub his verbis : « Obiit dominus Petrus de Albergatis genitor Domini Episcopi Bononiensis, habens tricenarium. » Literis ab eo nostrum Nicolaum primum eruditum fuisse, prout puerilis ætas imbui consuevit, asserit autor coævus Jacobus Zenus, episcopus Feltrensis. Deinde vix undecimum ætatis annum agens, civili-

Vita. B. Nicol. cap. 1 et 2.

bus studiis (quæ peculiari quodam jure plurimum in ea urbe vigent) adhibere operam cœpit, et in eis ad novem continuos annos persistens, magnam virtutis atque doctrinæ in ea ætate spem præstitit. Cumque jam ingenio et moribus et civilibus disciplinis usque adeo claresceret, ut decorandus pro studiorum præmio insigni laurea videretur ; ipse contemptis humanis omnibus, abjecta legum cura, neglectis honoribus, parentibus, divitiis, Religionem ingredi constituit. » Quod quidem divino quodam videtur consilio contigisse, data quam Carolus Sigonius his verbis narrat occasione : « Cum enim quodam die extra urbem ad monasterium Cartusiensium animi causa, ut fit, invisendum secessisset; forte sæva tempestate coorta, muris exclusus, ibi pernoctare compulsus est. Quod primum ægre ferens, demum pro singulari beneficio accepit. Etenim, concubia nocte, ubi Patres ad Matutinas laudes in ecclesiam convenire non obscuro campanæ documento novit, et ipse rei novitate permotus accessit. Ibi vero positus, humili ac pio illo monachorum per noctis silentium cantu usque adeo est illectus, ut statim habitus ejus assumendi, et solitariæ inter eos vitæ cum Dei laude agenda cupido acris incesserit. Quod post dies aliquot a Patribus illis haud magno admodum negotio impetravit. Cæterum monachus factus, aliquot annos in cella omni humilitate, abstinentia et sinceritate vitæ persolvit. Verum ubi perspecta et explorata est virtus, prudentia et sanctimonia morum, qui in Religione præsidebant ad religiosas Nicolaum dignitates extulerunt, pluribusque illum pro temporum varietate monasteriis, sive ut Priorem sive ut Visitatorem præfecerunt; ita ut integrum decennium nunquam ejusmodi præfectura caruerit. » Sed de his dicemus suis locis.

ANNUS 1395

Vita B. Nicol. cap. 2.

Qua occasione.

Zenus, ubi supra.

VII. In Charta Majoris Cartusiæ recensentur mortui : Galterandus de Artignos, protonotarius Domini Regis Arragonum, et Raymundus de Thersio (al. Coysio) miles et Doctor Legum. Et in Charta Seizensi : Bernardus de Egher, canonicus Leodiensis (forsan germanus Henrici Calkariensis cui idem erat cognomen); Helaidis de Oystant, et domina Si-

OBITUS MATRIS REV. P. CHRISTOPHORI DE FLORENTIA, URBANIST. GENERALIS.

ANNUS 1395

mona de Florentia, mater Domni Cartusiæ, videlicet Christophori tunc Prioris Seizensis; quem oneris et honoris impatientem, absolutionemque ab officio enixe petentem ad patientiam Diffinitores his verbis adhortati sunt : « R. Patri Domno Christophoro, Domno Priori Cartusiæ, non fit misericordia; et exhortamur eum in Domino, ut pro honore Dei et statu totius Ordinis, ac sua et suorum salute filiorum, habeat patientiam in officio Prioratus Cartusiæ. »

CLEMENTINORUM DECRETA.

VIII. Ex decretis Patrum Clementinorum illud notatu dignum est :

1. « Cum secundum Apostolum, nemo debeat sibi honorem assumere, nisi qui vocatur a Domino tanquam Aaron, nunc autem quod dolentes referimus, quædam pestifera consuetudo in Domibus Monialium Ordinis nostri inolevit, quod quando contingit aliquam Priorissam obire vel absolvi, Monialium parentes, noti, amici et affines, tam per se quam per alios, auxilio etiam Nobilium implorato et potentium per preces, minas et literas, et aliis modis exquisitis sive ingeniis, nituntur quas volunt et ad quas magis officiuntur, in Priorissas contra Deum et omnem justitiam facere promoveri; Conventus etiam ipsarum Monialium, verbis, donis et promissionibus subornando, ad suam partem trahendo; unde etiam D. Prior Cartusiæ, pater noster, a talibus multas patitur molestias et expensas : quapropter, super præmissis volentes de remedio providere, statuto perpetuo et irrefragabili duximus ordinandum, ut tales Moniales pro quibus a personis quæ non erunt de Ordine nostro fuerit D. Priori Cartusiæ, vel Monialibus ad quas electio pertinebit, supplicatum vel rogatum, non possint pro illa vice eligi aut eligere, sed sint pro tunc privatæ voce, nisi forte appareret vel constaret aut verisimiliter crederetur quod supplicantes in fraudem et malitiam hoc facerent, pro impediendis electionibus illarum quæ alias essent tanquam sufficientes et digniores seu meliores eligendæ. Et ut hoc statutum melius observatur, scribatur in Martyrologiis Domorum ipsarum Monialium et legatur per Priores qui pro confir-

manda electione vocabuntur, omnibus præsentibus, antequam ad electionem procedatur, ad cujus confirmationem omnino non procedant si secus in præmissis repererint esse factum.

Piæ peregrinationes Nostris interdictæ.

2. « Præcipitur cuidam Monacho provinciæ Franciæ « ne amplius inquietet Capitulum generale nec Domnum Cartusiæ quod faciat peregrinationem ad sanctum Mathurinum, sed reddat unam Brevem pro singulis diebus quibus in peregrinatione remansisset. » Videtur hic monachus ad peregrinationem hujusmodi imprudenti voto se obstrinxisse.

3. « Conceditur Monialibus Gosnayensibus, quod possint festum de sancta Anna cum Capitulo celebrare, et de SS. Fabiano et Sebastiano facere festum 12 Lectionum, sicut de pluribus Martyribus. »

URBANISTARUM ACTA CAPITULARIA.

Ad Reverendum Patrem exhortatio.

IX. Urbanistæ vero hoc anno primum cœperunt suum Generalem pia exhortatione ad sustinendum tanti muneris onus inflammare, quod et postea, singulis annis, his verbis prosecuti sunt: « Domno Christophoro Priori Cartusiæ, Reverendo Domino Patri nostro, non fit misericordia. Et exhortamur eum in Domino ut habeat patientiam in infirmitatibus et tribulationibus suis propter Deum, et in officio Prioratus Cartusiæ propter honorem Dei et totius Ordinis utilitatem ac suam magnam coronam et suorum filiorum nostrarumque animarum salutem. »

Deinde sua studia in omnem observantiam vigilanter intendentes, has decernunt ordinationes :

Contra multitudinem Anniversariorum

1. « Quia quædam Domus Ordinis a multitudine Anniversariorum ultra modum prægravantur, ita quod dies vacantes non habeant ad persolvendum tricenaria quæ injunguntur a Capitulo generali ; ideo monemus Priorem Cartusiæ et Diffinitores Capituli generalis, ut de cætero nulli concedant dicta Anniversaria sine causa multum evidenti et necessaria ; concedentes Domibus dies vacantes ad sufficientiam non habentibus, ut in qualibet hebdomada, in qua nulla dies est vacans, possint transferre unum anniversarium, et tricenaria a Capitulo imposita persolvere.

ANNUS 1395

Literæ testimoniales difficile concedantur extraneis, maxime Judæis ad fidem conversis.

2. « Exhortamur etiam et monemus omnes Priores singulos sive Rectores Domorum Ordinis, ne de facili et sine evidenti causa, alicui concedant literas testimoniales, et præcipue Judæis conversis ad fidem; quia mediantibus talibus literis, multæ fraudes possunt fieri, ex quibus fama nostri Ordinis verisimiliter et de facili posset denigrari. Qui contra fecerint graviter per Visitatores puniantur vel denuncientur Capitulo generali vel Priori Cartusiæ qui eis condignam disciplinam injungant.

3. « Quia quidam Donati contra formam Statutorum, ac si omnino essent sæculares, cum indumentis inhonestis et brevibus non erubescunt incedere; ideo districte injungimus omnibus et singulis Prioribus sive Rectoribus ut dictos Donatos in vestitu et aliis compellant servare Statutum, alias ipsos graviter puniant. Quod si in sua pertinacia permanserint, graviter per Visitatores puniantur.

4. « Monentur confirmatores electionum Priorum, quod electionem factam non confirment illa die qua fit, quia de jure talis confirmatio non valet; sed assignent terminum saltem usque ad sequentem diem, in qua si nihil opponatur, tunc de jure poterit confirmari.

5. « Declaramus quod monachi professi Domus Sancti Joannis in Seiz propter onera Capituli generalis quod ibi celebratur durante schismate, habeant monachatum per totum Ordinem, sicut monachi Cartusiæ antea habuerunt.

6. « Domum S. Joannis in Seiz, ut Domum Cartusiæ, et Domum S. Mauritii in Girio visitabunt Priores Coloniæ et Pontiniani.

7. « Ordinamus quod de cætero Priores Provinciæ Angliæ contribuant in expensis Visitatoribus Alemaniæ Inferioris vel aliis, pro eisdem venientibus ad Capitulum generale; Visitatores dictæ Provinciæ Angliæ propter longitudinem et discrimina viarum et maris, de non veniendo ad Capitulum habentes excusatos. »

Interstitia inter cellas serventur.

8. In quadam Domo ordinatur « quod nullo monacho liceat infra septa monasterii exercere aliquam piscaturam;

et quod inter cellas fiant interstitia secundum quod est in Ordine consuetum. ANNUS 1395

9. « Super petitione Prioris et Conventus Domus N..., super materia illius festi celebrandi de quo scripserunt Capitulo generali, respondemus ipsis quod sint contenti communibus festis ordinatis per sanctos Patres in Ordine nostro, et non quærant introducere alias novitates.

10. « Priori Domus de Stetin concedimus quod molendinum pro quo scripsit Capitulo generali, de quo dubitat an sit infra terminos, absque scrupulo conscientiæ possit retinere.

11. « Priori Isenacensi non fit misericordia ; et quoniam Prior et Conventus dictæ Domus supplicarunt Capitulo generali ut concederetur licentia uni Clerico Reddito ut se transferret ad aliam Religionem, cum hoc per Capitulum licite fieri non valeat, ideo ordinamus quod dictus Prior propter suam indiscretam petitionem stet extra sedem in ecclesia per unum mensem, et quilibet monachorum ad terram semel comedat. »

EXPLICIT VOLUMEN SEXTUM.

INDEX

INDEX

ANNALES ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM TERTIUM

(prosequitur)

Jesu Christi annus 1358.

Annus 1359.

Annus 1360.

Annus 1365.

Annus 1366.

Annus 1367.

Annus 1368.

Annus 1369.

Annus 1370.

Annus 1371.

Annus 1372.

Annus 1373.

Annus 1374.

Annus 1375.

Annus 1376.

Annus 1377.

Annus 1378.

Annus 1379.

Annus 1380.

Annus 1381.

Annus 1382.

Annus 1383.

SECULUM QUARTUM

ORDINIS CARTUSIENSIS

Annus 1384.

Annus 1385.

Annus 1386.

Annus 1387.

Annus 1391.

Annus 1392.

Annus 1393.

Annus 1394.

Annus 1395.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
Ern. Duquat typographus.